BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
32
4 B
7

[illegible] Google

COMPENDIUM THEOLOGIÆ UNIVERSÆ

AD USUM

EXAMINANDORUM.

AUCTORE


R. P. THOMA

EX CHARMES,

Provinciæ Lotharingiæ Capuccinorum Definitore, Cuſtode Generali, necnon antiquo Sacræ Theologiæ Profeſſore.

EDITIO TERTIA VENETA;

Omnibus, quæ ab ipſo Auctore *vel addita, vel emendata ſunt, locupletata.*



VENETIIS,

Ex Typographia Balleoniana.

MDCCLXXIX.

SUPERIORUM PERMISSU.

FACULTAS IMPRIMENDI

a Reverendiſſimo Patre Vicario Generali totius Ordinis conceſſa.

NOs F. Gelaſius, a Goritia, Vicarius Generalis totius Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capuccinorum, L. J.

Cum Opus, cui titulus eſt, *Compendium univerſæ Theologiæ per interrogata & reſponſa*, &c. a R. P. Thomâ ex Charmes, ſacræ Theologiæ olim Lectore, & Definitore elaboratum, à duobus deputatis Theologis Ordinis noſtri jam fuerit reviſum & approbatum, tenore præſentium, facultatem facimus, ut ſervatis ſervandis, idem Typis detur. Datum Romæ in Conventu noſtro immaculatæ Conceptionis, die decima tertia Aprilis, anno 1754.

F. GELASIUS, *qui ſuprà*.

(*L. S.*)

APPROBATIO

Clariſſimi D. D. De Tervenus, S. Theologiæ Doctoris, Cenſoris Regii, &c.

LEgi, juſſu D. D. Cancellarii, Compendium univerſæ Theologiæ, quod & perſpicuitate & brevitate ſua viſum eſt mihi perutile ad revocanda in memoriam ſtudioſæ juventutis, fidei & morum principia. Datum Nanceji die cima Octobris, anno 1754.

TERVENUS.

A P-

APPROBATIONES

Theologorum Ordinis.

EGo infra ſcriptus, de mandato Reverendiſſimi Patris Generalis, legi Opus, cui titulus eſt, *Compendium Theologiæ per interrogata & reſponſa, ad uſum examinandorum, Auctore R. P. Thoma ex Charmes*, &c. In quo nihil deprehendi Catholicæ fidei ac bonis moribus contrarium, immo hoc Opus propria laude jam commendatum, non tantum ſacræ Theologiæ Candidatis perutile, verum & eruditis non injucundum fore judicavi, ſic prælo dignum cenſeo. Datum Nanceji, die 15. Martii, anno 1754.

F. NICOLAUS FRANCISCUS
a Gerbevilla, quondam S. Theologiæ Lector & Provincialis.

DE mandato Reverendiſſimi Patris Generalis, attente legi Opus, cui titulus: *Compendium Theologiæ univerſæ per interrogata & reſponſa, ad uſum examinandorum, a R. P. Thoma ex Charmes ..... compoſitum*. Opuſculum ſane, etſi brevi calamo, non minori tamen ſtudio & opera elaboratum judicabit quiſque illud, & nudis iiſque candidis pervolverit oculis, & mente fingere neſcia perpenderit; nihilque in eo, quod aut bonis moribus, aut fidei orthodoxæ conſentaneum, aut etiam & peritorum amica attentione, & tyronum, quorum præſertim gratia concinnatum eſt ſedulo conatu dignum non ſit, reperiet: idem proinde de eo, ac de univerſa ejuſdem Auctoris laudata Theologia judicium ferendum cenſeo, typiſque utiliter mandari poſſe exiſtimo. Datum San-Deodati die 4. menſis Martii, anno 1754.

F. CAROLUS FRANCISCUS,
a Badonvilla, Capuccinus, Guardianus, & antiquus S. Theologiæ Lector.

I. N-

INDEX TITULORUM.

TRACTATUS I.

DE PROLEGOMENIS.

DISSERTATIO I.

DE ipſa Theologia. pag. 2

DISSERTATIO II.

De locis Theologicis. 7
Cap. I. *De Scriptura ſacra.* 8
Cap. II. *De traditione & SS. Patribus.* 21
Cap. III. *De Eccleſia.* 28
§. I. *De membris Eccleſiæ.* ibid.
§. II. *De notis Eccleſiæ.* 35
§. III. *De proprietatibus Eccleſiæ.* 39
Cap. IV. *De Romano Pontifice.* 44
Cap. V. *De Conciliis.* 47
§. I. *De Conciliis in genere.* ibid.
§. II. *De Conciliis generalibus in ſpecie.* 53
Cap. VI. *De Locis extrinſecis Theologiæ.* 64

DISSERTATIO III.

De propoſitionum Cenſuris. 65

TRACTATUS II.

DE DEO UNO.

DISSERTATIO I.

De exiſtentia Dei. 68

DISSERTATIO II.

De natura, ſeu eſſentia Dei. 76

DISSERTATIO III.

De attributis divinis generatim. 79

DISSERTATIO IV.

De attributis divinis ſpeciatim. 85
Cap. I. *De ſimplicitate Dei.* ibid.
Cap. II. *De infinitate & perfectione Dei.* 89
Cap. III. *De immutabilitate, incomprehenſibilitate, & ineffabilitate Dei.* 91
Cap. IV. *De inviſibilitate Dei.* 94
Cap. V. *De viſibilitate Dei.* 97
Cap. VI. *De Dei æternitate, immenſitate, & bonitate.* 111
Cap. VII. *De intellectu & ſcientia Dei.* 117
§. I. *De exiſtentia, proprietatibus, & diviſione ſcientiæ Dei.* ibid.
§. II. *De ſcientia ſimplicis intelligentiæ.* 119
§. III. *De ſcientia viſionis.* 120
Cap. VIII. *De voluntate Dei.* 132

APPENDIX.

De voluntate Dei circa ſalutem omnium. 138
Cap. IX. *De juſtitia, miſericordia, & providentia Dei.* 142
Cap. X. *De Prædeſtinatione.* 144
Cap. XI. *De Reprobatione.* 153

TRACTATUS III.

DE DEO TRINO.

DISSERTATIO I.

De Trinitatis myſterio in genere. 158
Cap. I. *De exiſtentia SS. Trinitatis.* 159
Cap. II. *De modo cognoſcendi SS. Trinitatem.* 169.
Cap. III. *De proceſſionibus divinis.* 171
Cap. IV. *De Perſonalitatibus & relationibus divinis.* 182
Cap. V. *De iis quæ tribus perſonis ſunt communia.* 187

DISSERTATIO II.

De Perſonis divinis in particulari. 189

DISSERTATIO III.

De mutua prædicatione nominum abſolutorum de relativis, & viciſſim. 192

TRACTATUS IV.

DE DEO CREATORE.

DISSERTATIO I.

De Angelis. 194

Cap. I. *De exiſtentia, natura, &c. Angelorum.* ibid.

Cap. II. *De loco, motu, potentia motrice, & locutione Angelorum.* 196

Cap. III. *De peccato, & pœna peccati Angelorum.* 197

Cap. IV. *De variis Angelorum ordinibus, ac de eorum miſſione, illuminatione, & cuſtodia.* 198.

DISSERTATIO II.

De creatione primi hominis. 202.

TRACTATUS V.

DE DEO INCARNATO.

DISSERTATIO I.

De poſſibilitate, convenientia, &c. Incarnationis. 210

Cap. I. *De poſſibilitate & convenientia Incarnationis.* ibid.

Cap. II. *De neceſſitate Incarnationis.* 215

Cap. III. *De exiſtentia Incarnationis.* 218

Cap. IV. *De cauſis Incarnationis.* 222.

Cap. V.

Cap. V. *De quidditate Incarnationis.* 226
Quæſt. I. *De perſona aſſumente, & natura aſſumpta.* ibid.
Quæſt. II. *De unione hypoſtatica.* 236

DISSERTATIO II.

De Chriſto. 246
Cap. I. *De ſcientia Chriſti.* 247
Cap. II. *De gratia, donis, ac virtutibus Chriſti.* 249
Cap. III. *De libertate, & merito Chriſti.* 253
Cap. IV. *De ſatisfactione Chriſti.* 257
Cap. V. *De variis Chriſti titulis & officiis.* 262.
Cap. VI. *De adoratione, ſeu cultu Chriſti, ejus Matris, Sanctorum, imaginum, ac reliquiarum.* 268
Cap. VII. *De B. V. Maria, Matre Chriſti.* 273.

TRACTATUS VI.

DE GRATIA CHRISTI.

DISSERTATIO I.

De gratia actuali. 277
Cap. I. *De neceſſitate gratiæ actualis.* ibid.
Cap. II. *De natura & diviſione gratiæ actualis.* 289
§. I. *de gratia ſufficienti.* ibid.
§. II. *De gratia efficaci.* 294
Cap. III. *De diſtributione gratiæ ſufficientis.* 298.

DIS-

DISSERTATIO II.

De gratia habituali. 304

TRACTATUS VII.

DE ACTIBUS HUMANIS.

Cap. I. *De fine actuum humanorum.* 315
Cap. II. *De natura actuum humanorum.* 320
Quæſt. I. *De voluntario, & involuntario.* ibid.
§. I. *De involuntario per violentiam & metum.* 322.
§. II. *De involuntario per concupiſcentiam & ignorantiam.* 323
Quæſt. II. *De libertate.* 326
Cap. III. *De moralitate actuum humanorum.* 331.
Quæſt. I. *De ſpeciebus moralitatis.* ibid.
Quæſt. II. *De principiis moralitatis.* 334
Quæſt. III. *De affectionibus moralitatis.* 338
Quæſt. IV. *De prima moralitatis regula.* 339

TRACTATUS VIII.

DE CONSCIENTIA.

Cap. I. *De conſcientia vera, & erronea.* 342
Cap. II. *De conſcientia ſcrupuloſa, & lata.* 344.
Cap. III. *De conſcientia certa, & dubia.* 345
Cap. IV. *De conſcientia probabili, & improbabili.* 347

TRA-

TRACTATUS IX.

DE LEGIBUS.

Cap. I. *De Legibus in communi.* 353
Cap. II. *De Lege æterna.* 356
Cap. III. *De Lege naturali.* 357
Cap. IV. *De Lege poſitiva divina.* 361
Cap. V. *De Lege humana in genere.* 366
Cap. VI. *De variis ſpeciebus legum humanarum.* 372
§. I. *De Lege ſcripta & conſuetudinaria.* 373
§. II. *De Lege favorabili, ſeu de privilegiis.* 374
§. III. *De Lege pœnali.* 375
§. IV. *De Lege irritante.* 377
Cap. VII. *De ceſſatione legum humanarum.* ibid.

TRACTATUS X.

DE PRÆCIPUIS ECCLESIÆ PRÆCEPTIS.

§. I. *De præcepto auditionis Miſſæ.* 380
§. II. *De præcepto ſanctificationis feſtorum.* 382
§. III. *De præceptis jejunii & abſtinentiæ.* 384

TRA-

TRACTATUS XI.

DE VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS.

Cap. I. *De Obligationibus beneficiatorum.* 387
Quæſt. I. *De Horis Canonicis.* ibid.
Quæſt. II. *De Beneficiis.* 391
Art. I. *De variis titulis, quibus beneficia acquiruntur.* 392
Art. II. *De iis quibus conferri debent beneficia, ac de bonorum Eccleſiaſticorum uſu & dominio.* 395
Art. III. *De beneficiorum pluralitate, & beneficiatorum reſidentia.* 397
Art. IV. *De Simonia.* 399
Cap. II. *De obligationibus religioſorum.* 402
Cap. III. *De obligationibus perſonarum judicialium.* 404

TRACTATUS XII.

DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

407

TRACTATUS XIII.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

DISSERTATIO I.

De Fide. 409
§. I. *De objecto fidei.* 410

§. II.

§. II. *De proprietatibus fidei.* 413
§. III. *De neceſſitate fidei.* 415
§. IV. *De vitiis fidei oppoſitis.* 417

DISSERTATIO II.

De Spe theologica. 418

DISSERTATIO III.

De Charitate. 421
§. I. *De præcepto & ordine charitatis.* 422
§. II. *De officiis charitatis.* 426
§. III. *De vitiis charitati oppoſitis.* 428

TRACTATUS XIV.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

§. I. *De devotione & oratione.* 431
§. II. *De Voto.* 433
§. III. *De Juramento.* 436
§. IV. *De vitiis religioni oppoſitis.* 439

TRACTATUS XV.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

DISSERTATIO I.

De prudentia, fortitudine, & temperantia. 443.
§. I. *De prudentia.* ibid.
§. II.

Google

§. II. *De fortitudine.* 444
§. III. *De temperantia.* 445

DISSERTATIO II.

De Juſtitia. 547
Cap. I. *De Jure.* 448
Cap. II. *De Contractibus in genere.* 455
Cap. III. *De Contractibus in particulari.* 458
§. I. *De locatione & conductione.* ibid.
§. II. *De emptione & venditione.* 460
§. III. *De mutuo & uſura.* 465
§. IV. *De Cambio.* 470
§. V. *De Cenſibus, ſeu, reditibus annuis.* 472
§. VI. *De contractu ſocietatis.* 474
Cap. IV. *De injuria & reſtitutione in communi.* 475
Cap. V. *De injuria & reſtitutione in particulari.* 479
§. I. *De injuria in bonis corporis, & eorum reſtitutione.* 480
§. II. *De injuriis in fama & honore, & earum reſtitutione.* 482
§. III. *De injuriis in bonis fortunæ & reſtitutione.* 485

TRACTATUS XVI.

DE PECCATIS.

Art. I. *De Peccatis in communi.* 487
Art. II. *De Peccatis in particulari.* 491
§. I. *De Peccato commiſſionis & omiſſionis.* ibid.
§. II. *De Peccatis ignorantiæ, infirmitatis, & malitiæ.* 492

§. III.

§. III. *De Peccatis oris, & cordis.* 493
§. IV. *De Peccato mortali & veniali.* 497
§. V. *De Peccatis capitalibus.* 500
§. VI. *De Peccato originali.* 505

TRACTATUS XVII.

DE SACRAMENTIS.

DISSERTATIO I.

De Sacramentis in genere. 510
§. I. *De eſſentia, exiſtentia, & auctore Sacramentorum.* 511
§. II. *De materia & forma Sacramenti.* 513
§. III. *De Miniſtro Sacramentorum.* 517
§. IV. *De ſubjecto Sacramentorum.* 524
§. V. *De effectibus Sacramentorum.* 525
§. VI. *De cæremoniis Sacramentorum.* 531

DISSERTATIO II.

De Baptiſmo. 532
§. I. *De natura, materia & forma Baptiſmi.* ibid.
§. II. *De neceſſitate Baptiſmi.* 535
§. III. *De miniſtro & ſubjecto Baptiſmi.* 537
§. IV. *De effectibus & cæremoniis Baptiſmi.* 540.

DIS-

DISSERTATIO III.

De Confirmatione. 541
§. I. *De natura, materia & forma Confirmationis.* 542
§. II. *De miniſtro, ſubjecto, & neceſſitate Confirmationis.* 545
§. III. *De effectibus & cæremoniis Confirmat.* 546.

DISSERTATIO IV.

De Euchariſtia. 548
Cap. I. *De Euchariſtia ut eſt Sacramentum.* ibid.
§. I. *De eſſentia Euchariſtiæ.* 549
§. II. *De materia & forma Euchariſtiæ in fieri.* 551.
§. III. *De re in Euchariſtia contenta.* 556
§. IV. *De miniſtro & ſubjecto Euchariſtiæ.* 566
§. V. *De uſu Euchariſtiæ.* 569
§. VI. *De effectibus Euchariſtiæ.* 573
Cap. II. *De Euchariſtia prout eſt Sacrificium.* 575.
§. I. *De exiſtentia & eſſentia Sacrificii Miſſæ.* 577
§. II. *De efficacia & valore Sacrificii Miſſæ.* 580
§. III. *De cauſa efficiente Sacrificii Miſſæ, & iis, pro quibus applicari poteſt.* 582
§. IV. *De ſtipendio celebrantibus conceſſo.* 583
§. V. *De circumſtantiis ad celebrationem requiſitis.* 585

DISSERTATIO V.

De pœnitentia. 587
§. I. *De exiſtentia Sacramenti Pœnitentiæ.* 588.

§. II.

§. II. De materia & forma Pœnitentiæ. 591
§. III. De contritione. 595
§. IV. De confeſſione. 606
§. V. De ſatisfactione. 610
§. VI. De miniſtro Pœnitentiæ. 613
§. VII. De effectibus Pœnitentiæ. 619

APPENDIX I.

De ſatisfactione per ſuffragia. 620

APPENDIX II.

De ſatisfactione per Indulgentias. 263

DISSERTATIO VI.

De Extrema Unctione. 627

DISSERTATIO VII.

De Ordine. 631
§. I. De Ordine, variiſque Ordinis ſpeciebus. ibid.
§. II. De materia & forma ſingulorum Ordinum. 635
§. III. De miniſtro, ſubjecto, & effectibus Ordinis. 638
§. IV. De irregularitatibus. 641
§. V. De Cenſuris. 645

DISSERTATIO VIII.

De Matrimonio. 654
§. I. De ſponſalibus. ibid.
§. II. De exiſtentia & eſſentia Matrimonii. 655.

§. III.

§. III. *De Miniſtro Matrimonii, & conſenſu ad eum requiſito.* 658
§. IV. *De bonis & proprietatibus Matrimonii.* 662.
§. V. *De impedimentis Matrimonii.* 669
§. VI. *De diſpenſatione ab impedimentis Matrimonii.* 68-

THEO-

THEOLOGIA
REDACTA
IN COMPENDIUM
PER INTERROGATA ET RESPONSA
AD USUM
EXAMINANDORUM.

Nota: Hujuſce Compendii duodecim erunt Tractatus. I. Erit de Prolegomenis. II. De Deo Uno. III. De Deo Trino. IV. De Deo Creatore. V. De Deo Incarnato. VI. De Deo per gratiam ſanctificatore. VII. De actibus humanis. VIII. De Legibus. IX. De obligationibus variorum ſtatuum. X. De Virtutibus. XI. De Peccatis. XII. De Sacramentis.

TRACTATUS I.
DE PROLEGOMENIS.

HUJUS Tractatus erunt tres Diſſertationes; 1. De ipſa Theologia. 2. De locis Theologicis; 3. De propoſitionum Cenſuris.

DISSERTATIO I.

De ipſa Theologia.

Quæres 1. Q*Uid eſt Theologia?*

Reſp. Theologia, quæ, ſecundum vim nominis, eſt *Sermo de Deo*, definitur: *Habitus mentis, quo ex veritatibus immediate, vel mediate revelatis, aut ex una ſaltem revelata, variæ de Deo, rebuſque divinis, concluſiones per diſcurſum deducuntur.*

Quæres 2. *Quotuplex eſt Theologia?*

Reſp. Duplex, nimirum ſpeculativa, & practica, ſeu moralis . . . . *Speculativa*, eſt ea, quæ in objecti ſui contemplatione quieſcit, nihil circa illud operans . . . . . *Moralis*, eſt ea, quæ ad informandos mores tota occupatur.

Quæres 3. *Exiſtitne Theologia?*

Reſp. affirm. Quia ex ſacris Scripturis & traditione probamus res divinas, quomodo Chriſtus ipſe ſuam probavit divinitatem ex hoc Davidis textu, Pſalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo;* ex quo ſic arguit: *Ipſe ergo David dicit eum Dominum, & unde eſt filius ejus?*

Quæres 4. *An Theologia ſit neceſſaria?*

Reſp. 1. Theologia, ſecundum ſubſtantiam ſpectata, ſimpliciter & abſolute neceſſaria eſt corpori Eccleſiæ, quia ex Auguſt. (*a*) Theologia eſt, *Scientia, qua fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur:* atqui talis ſcientia eſt abſolute neceſſaria corpori Eccleſiæ; ergo, &c.

Reſp.

(a) Lib. 14. de Trinit. cap. 1.

Reſp. 2. Theologia Scholaſtica corpori Eccleſiæ non eſt abſolute neceſſaria, quia Eccleſia, cum ſola Theologia poſitiva, diu ſtetit, diuque floruit ſine ope Scholaſticæ, quæ primum apud Græcos ortum habuit ſæculo VIII. & apud Latinos ſæculo XII. tempore Petri Lombardi Epiſcopi Pariſienſis, cui originem debet.

Eſt tamen valde utilis, cum multum conferat, 1. ad Philoſophos per propria ad fidem veritatis perducendos. 2. Ad refellendos Sophiſtas. 3. Ad faciliorem rerum, quæ ex fide ſequuntur, intelligentiam, quod enim varie multiformique argumento ſuadetur, id firmius hæret animis diſcipulorum; hinc D. Baſil. *in cap.* 2. *Iſaiæ*, dicit: *Dialectica muri inſtar eſt dogmatibus, quod ea non ſinit facile diripi, & quorumlibet incurſioni patere.*

Dices: Scriptura & SS. Patres rejiciunt uſum Philoſophiæ, tanquam fidei nocivum; ergo, &c.

Reſpond. diſt. ant. Tanquam fidei nocivum, per accidens, *conc.* per ſe, *nego ant.* Loquuntur ergo Scriptura & Patres de Philoſophia falſa & ſophiſtica, ſupra auctoritatem Scripturæ & traditionis dominativa, quæque tota eſt ad ſimplicitatem fidei circumveniendam: non vero de vera Philoſophia, quam adhibent Theologi ad detegenda & ſolvenda hæreticorum ſophiſmata, & quæ captivatur in obſequium fidei, à qua regitur ut ancilla, & cui dominari non permittitur.

Quæres 5. *Quodnam eſt objectum materiale Theologiæ?*

Reſpond. Eſt Deus ipſe, & res omnes quæ ad Deum aliquo modo referuntur, vel tanquam effectus ad cauſam, ut Angelus, homo, mundus hic aſpectabilis, vel tanquam inſtrumentum ſalutis noſtræ animatum, ut Chriſtus

qui per paſſionem ſuam nos redemit, & per gratiam ſuam nos perducit ad Patrem: vel tanquam inſtrumentum ſalutis inanimatum, ut ſunt Sacramenta novæ Legis, quæ ſanctificant hominem per gratiam quam ſignificant & producunt: vel tanquam media ad finem, ut ſunt actus humani. *Ratio eſt*, quia Theologia circa illa omnia verſatur.

Quæres 6. *Quodnam eſt objectum formale* quod *Theologiæ?*

Reſp. Eſt ipſa divinitas; quia eſt fons & radix omnium quæ in Deo ſunt, & a Deo producuntur; quare enim eſt Creator, Sanctificator, &c. quia habet divinitatem: quare eſt unus, trinus, infinitus, quia habet divinitatem; ergo divinitas, eſt formalitas ſub qua Theologia attingit ſuum objectum materiale; ergo, &c.

Quæres 7. *Quodnam eſt objectum formale*, quo *ſeu motivum Theologiæ?*

Reſp. Eſt concluſio, quæ ex revelatione per argumentationem deducitur. Unde fundatur mediate in revelatione; per quod differt 1. a fide divina, quæ habet pro motivo immediato ipſam revelationem; 2. a ſcientiis mere naturalibus, quæ nec fundantur in revelatione, nec deducuntur ex illa.

Quæres 8. *Ad quem habitum mentis reducitur Theologia?*

Reſp. Reducitur ad ſcientiam; quia ad ſcientiam proprie dictam, duo ſufficiunt, nempe evidentia conſequentiæ, & certitudo conſequentis; atqui Theologia 1. habet evidentiam conſequentiæ, id eſt, evidenter cognoſcit propoſitionem, quam infert, neceſſario ſequi ex præmiſſis. 2. Habet certitudinem conſequentis, id eſt, veritatis, quæ ex præmiſſis deducitur, cum nitatur divina revelatione, quæ

eſt cer-

eſt certiſſimi, cum Deus nec falli, ne fallere poſſit.

Quæres 9. *An Theologia ſit ſpeculativa, vel practica?*

Reſp. Eſt ſpeculativa ſimul & practica. Speculativa quidem, quatenus ſiſtit in contemplatione ſui objecti attributionis, quod eſt Deus. Practica vero, quia ad Dei poſſeſſionem dirigit per virtutis exercitium, & peccati fugam.

Quæres 10. *Utrum Theologia ſit certior omnibus ſcientiis naturalibus?*

Reſpond. Eſt certior, 1. *Certitudine objecti*, quia verſatur circa objectum magis immutabile & invariabile, nempe circa Deum, reſque divinas. 2. *Certitudine ſubjecti*, quia motivum propter quod intellectus aſſentitur concluſioni Theologicæ, eſt certius ac firmius eo quod in aliis ſciendis intellectum determinat ad aſſenſum: eſt enim divina revelatio, quæ majorem certe habet certitudinem, quam principia lumine naturali cognita, quæ ſunt motiva ſcientiarum naturalium.

Quæres 11. *An concluſio Theologica, ſit æque certa, ac fides divina?*

Reſp. negative: Quia concluſio Theologica eſt tantum certa propter unam ſaltem præmiſſam de fide; ergo fides eſt certior concluſione Theologica; nam, ut fert axioma, *propter quod unumquodque tale, & illud magis.*

Quæres 12. *Utrum Theologia noſtra, ſit ſubalternata ſcientiæ Sanctorum, ſeu intuitivæ Dei viſioni?*

Reſp. Eſt ſubalternata improprie, non proprie.

Prob. prima pars: Quia duæ conditiones requiruntur & ſufficiunt ad ſubalternationem improprie dictam; nempe 1. Quod ſcientia ſubalternans, ſit ſuperior ſubalternata. 2. Quod

ſcientia ſubalternata ad ſcientiam ſubalternantem comparandam ordinatur; atqui 1. ſcientia Beatorum, eſt ſuperior Theologia viatorum. 2. Theologia viatorum ad ſcientiam Beatorum comparandam ordinatur; ergo.

Prob. ſecunda pars: Quia ad proprie dictam ſubalternationem requiritur, 1. Ut ſcientia ſubalternata habeat idem objectum ac ſcientia ſubalternans, ſed contractum per aliquam rationem accidentalem realem, ſub qua a ſubalternante non conſideretur. 2. Ut ſcientia ſubalternata deſumat ſua principia a ſubalternante. 3. Ut ſubalternata cum ſubalternante, ſit compatibilis in eodem ſubjecto. Atqui Theologia noſtra nullam habet ex his conditionibus reſpectu ſcientiæ Beatorum; nam 1. habet idem objectum ac Theologia Beatorum, nulla differentia reali contractum, nempe Deum ſub ratione deitatis. 2. Theologia noſtra non deſumit ſua principia a ſcientia Beatorum, cum principia noſtræ Theologiæ ſint propoſitiones fidei, quæ non reperiuntur in ſcientia Beatorum. 3. Noſtra & Beatorum Theologia non poſſunt eſſe in eodem ſubjecto, cum noſtra ſit obſcura & inevidens, Beatorum vero ſit clara & evidens, quæ duo ſeſe mutuo excludunt; ergo, &c.

Quæres 13. *An Theologia noſtra, ſit etiam ſapientia?*

Reſp. affirmat. Quia ſapientia eſt *cognitio rerum altiſſimarum per altiſſimas cauſas:* atqui Theologia noſtra eſt cognitio rerum altiſſimarum, nempe Dei rerumque divinarum, per altiſſimas cauſas, nempe per revelationem divinam, quæ haud dubie eſt cauſa altiſſima; ergo.

Quæres 14. *An Theologia ſit ſcientia ordinis ſupernaturalis?*

Reſp. Eſt ſcientia ordinis naturalis; quia ratio

tio formalis ſpecificativa Theologiæ, nempe diſcurſus per quem acquiritur, eſt mere naturalis, cum ſit actus intellectus agentis ſecundum ſuam virtutem naturalem; ergo.

Nec obſtat, quod Theologia habeat cauſam ſupernaturalem, nempe revelationem, ſiquidem revelatio eſt cauſa tantum remota Theologiæ, cujus cauſa proxima, eſt judicium de connexione quam habet aliqua veritas cum articulo revelato, quod judicium eſt merus fœtus rationis illam connexionem per diſcurſum apprehendentis; porro ordo, in quo eſt Theologia, non ſumitur ex ejus cauſa remota ſupernaturali, ſed ex ejus cauſa proxima, quæ naturalis eſt.

DISSERTATIO II.

De locis Theologicis.

Quæres 1. QUid ſint loci Theologici?

Reſp. Sunt ſedes, ac veluti promptuaria, ex quibus Theologia, ſua deſumit argumenta.

Quæres 2. *Quot ſunt loci Theologici?*

Reſp. Sunt decem præcipui: ſcilicet, *Scriptura ſacra*, *traditio*, *auctoritas Patrum*, *Eccleſia Catholica*, *decreta ſummorum Pontificum*, *Concilia*, præſertim generalia, *auctoritas ſcholaſticorum*, *rationis naturalis argumenta*, *philoſophorum placita*, *humana ratio* . . . ſex primi ſunt *interni*, ex quibus Theologia, certa deſumit argumenta; ſex ultimi ſunt *externi*, ex quibus deſumit argumenta duntaxat probabilia. De his omnibus, ſequentibus capitibus.

CAPUT I.

De Scriptura ſacra.

Quæres 1. Quid eſt Scriptura ſacra?

Reſpond. Eſt, *Verbum Dei, ab auctore hagiographo, aſſlante Spiritu ſancto, ſcriptum, & ut tale ab Eccleſia nobis manifeſtatum.*

Quæres 2. *Utrum Scripturæ, quæ nobis ab Eccleſia ut ſacræ proponuntur, ſint libri veri, prout verum opponitur ſuppoſito.*

Reſpond. Sunt libri veri, & non ſuppoſiti; quia illi libri, quovis Eccleſiæ ſæculo, adſcripti ſunt auctoribus, quorum nomen præ ſe ferunt, ut conſtat 1. ex infinitis Scripturæ editionibus, quæ, ſub iiſdem ſemper titulis, in lucem prodierunt. 2. Ex eo quod ſcriptores ſubſequentes, libros antea ſcriptos ſub iiſdem nominibus ſemper allegent: ſic in novo Teſtamento citantur libri Moyſis, Iſaiæ, Jeremiæ, &c. 3. Ex primis Eccleſiæ Patribus, qui libros novi Teſtamenti ſub propriis nominibus referunt; ergo ſunt libri veri.

Quæres 3. *Libri veteris Teſtamenti, qui Bibliis continentur, ſuntne integri?*

Reſp. Sunt integri quoad partes ſubſtantiales, id eſt, quoad fidem & mores, quia non fuerunt depravati a Judæis, nec ante Chriſti adventum, neque enim eam eis depravationem objecerunt Chriſtus & Apoſtoli; atqui tamen, *nuſquam Dominus & Apoſtoli, qui cætera crimina arguunt in ſcribis & Phariſæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuiſſent*, inquit Divus Hieronymus, *in cap. 6. Iſaiæ*. Nec poſt Chriſti adventum, tum quia teſtimonia, quæ a Chriſto & Apoſtolis ex veteri Teſtamento lau-

laudantur, omnia inveniuntur nunc in Moyſe & Prophetis, ut ab illis citata ſunt ..... Tum quia præcipua de Chriſto vaticinia, eodem modo in noſtris codicibus leguntur, quo in Judaicis ..... tum quia tanta eſt Judæorum religio erga libros ſacros, ut ſcribat Philo Judæus quemlibet Judæum centies potius moriturum, quam ut pateretur legem in aliquo mutari.

Quæres 4. *An textus originarius græcus novi Teſtamenti, ſit purus & integer?*

Reſp. Eſt integer quoad partes ſubſtantiales: 1. Quia idem eſt apud ſectas, alioquin ſibi infenſiſſimas. 2. Quia nec tempus, nec auctores hujus depravationis citari poſſunt. 3. Quia nulla rationabilis hujuſce depravationis ſuſpicio poteſt ſubeſſe: nam ſi a Catholicis attentata fuiſſet, eam illis hæretici, mox exprobraſſent; ſi autem ab hæreticis Catholici ſtatim reclamaſſent; ergo, &c.

Quæres 5. *Utrum libri, qui Bibliis continentur, ſint divinæ authoritatis, ac proinde infallibilis regula fidei?*

Reſp. affirm. Quia ab auctoribus ſacris, ex ſpeciali Spiritus ſancti afflatu ſunt ſcripti, juxta illud 2. Petri 2. *Non voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.*

Quæres 6. *Quis eſt auctor principalis Scripturæ ſacræ?*

Reſp. Eſt Deus ipſe, qui eam Prophetis & Apoſtolis, quaſi dictando, inſpiravit, *Ipſe ſcripſit*, inquit D. Greg. in præfat. in Job, *qui & illius operis inſpirator extitit.*

Quæres 7. *Quinam fuerunt auctores Scripturæ inſtrumentales?*

Reſpond. Fuerunt homines, quibus Deus ad ſcribendum uſus eſt, juxta illud Apoſtoli,

Hebr. 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.*

Quæres 8. *Quomodo Deus ſcriptoribus ſacris afflaverit quæ ſcripſerunt? an per ſimplicem approbationem eorum quæ humanitus ſcripſerunt? an per ſpecialem aſſiſtentiam? an per revelationem? an per inſpirationem?*

Reſp. 1. Ad Scripturam ſacram non ſufficit ſimplex approbatio; alias Scriptura non eſſet Verbum Dei, quia non procederet de ore ejus. Unde cum Apoſtolus refert aliquas Poetarum ſententias, eæ non ſunt Scriptura ſacra prout dictæ ſunt a Poetis, ſed prout ſcriptæ ſunt ab Apoſtolo ex inſpiratione Spiritus ſancti.

Reſp. 2. Nec ſufficit ſpecialis Spiritus ſancti aſſiſtentia, alias definitiones Conciliorum eſſent Scriptura ſacra.

Reſp. 3. Nec requiritur in omnibus divina revelatio. Revelatio enim, eſt veritatis, antea ignotæ, manifeſtatio a Deo facta; atqui non omnia, quæ ſcripta ſunt, antea ſcriptores ſacri ignorabant; ergo.

Reſp. 4. Requiritur & ſufficit proprie dicta Spiritus ſancti inſpiratio. *Non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* . . . . . Porro inſpiratio, eſt, *incitatio quædam interior, qua quis impellitur ad aliquid fixum & determinatum ſcribendum, ſive antea fuerit notum, ſive non.*

Quæres 9. *Quid eſt Scripturæ ſacræ canon?*

Reſp. Eſt certus ac determinatus cathalogus librorum, quos Eccleſia ut ſacros recipit. Unde dicuntur libri *canonici*. Quod ſi aliquos non recipiat Eccleſia, eo quod non certo conſtet eorum divinitas, dicuntur *apocryphi*.

Quæ-

Quæres 10. *Quot libros complectitur canon Hebræorum?*

Reſpond. Complectitur libros viginti duos; ut docet Joſephus, *lib.* 1. *contra Appionem*. Quod ſi aliquis ex Patribus plures quam 22. enumerent, id contigit, quod nonnullos, ex iis quos Joſephus recenſuerat, in plures partes, quaſi in plures libros diviſerint.

Quæres 11. *Quomodo Hebræi dividebant ſuum canonem?*

Reſp. Dividebant in Legem, Prophetas, & Hagiographos.

Sub Lege includebantur 5. libri Moyſis.

Sub Prophetis includebantur 8. libri, nempe 1. *Joſue*. 2. *Judicum cum Ruth*. 3. *Samuel*, id eſt, liber 1. & 2. Regum 4. *Melachim*, id eſt 3. & 4. Regum 5. *Iſaias*. 6. *Jeremias cum Threnis*. 7. *Ezechiel*. 8. *Liber duodecim minorum Prophetarum*.

Sub Hagyographis reponebantur 9. libri, nempe, *Job*; *Pſalterium Davidis*; *Proverbia Salomonis*; *Eccleſiaſtes*; *Canticum Canticorum*; *Daniel*; *Paralipomenon*; *Eſdras*, & *Eſther*.

Hinc, *Tobias*, *Judith*, *Baruch*, *Sapientia*, *Eccleſiaſticus*, *primus & ſecundus Machabæorum*, licet in magna veneratione fuerint apud Hebræos, non tamen erant repoſiti in eorum canone.

Quæres 12. *Quot, & quoſnam libros in ſuo canone recipiat Eccleſia Catholica?*

Reſp. Recipit libros 72. nimirum 45. veteris Teſtamenti, & 27. novi, quos poſtquam recenſuit Concil. Trident. *ſeſſ.* 4. addit: *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit, anathema ſit.*

Quæres 13. *An canon ſacrorum librorum mox laudatus, primum a Conc. Trid. fuerit conditus.*

Reſp. negative. Nam ab antiquiſſimo tempore in Eccleſia Dei fuit conſtitutus, ut declarat decretum Tridentinum. Ergo Patres Tridentini, ut ſuum canonem adornarent, accurate expenderunt traditionem Patrum & Conciliorum quæ præceſſerant: deinde, facto illo examine, definierunt, communem Patrum & Conciliorum traditionem ferre, libros illos, omnes ab Apoſtolis, ac primitiva Eccleſia, habitos fuiſſe pro canonicis, & eos ut tales ab omnibus ſuſcipi debere ſtatuerunt.

Quæres 14. *Quomodo dividuntur libri canonici?*

Reſp. dividuntur 1. in Proto-canonicos, & Deutero-canonicos. *Proto-canonici* ſunt illi, qui ſemper & ab initio in canonem Eccleſiæ fuerunt relati. . . *Deutero-canonici*, ſunt illi, qui ab initio in canonem Eccleſiæ non fuerunt relati, eo quod aliqui catholici de eorum veritate dubitarent, quos tamen ſucceſſu temporis Eccleſia, facto traditionis patrum examine, in ſuum canonem recepit.

Dividuntur 2. Ratione materiæ de qua tractant, in legales, hiſtoricos, ſapientiales, & propheticos.

Quæres 15. *Quot ſunt libri legales veteris Teſtamenti.*

Reſp. Sunt 5. libri Moyſis, ſcilicet, *Geneſis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *& Deuteronomium*. Qui ex quinario numero vocantur *Pentateuchus*.

Quæres 16. *Quot ſunt libri hiſtorici veteris Teſtamenti?*

Reſp. Sunt 17. nimirum, *Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, *quatuor Regum*, *duo Paralipomenon*, *duo Eſdræ*, *Tobias*, *Judith*, *Eſther*, *Job*, *duo Machabæorum*.

Quæ-

Quæres 17. *Quot ſunt ſapientiales veteris Teſtamenti?*

Reſpond. Sunt 5. ſcilicet *Proverbia*, *Eccleſiaſtes*, *Canticum Canticorum*, *Sapientia*, *Eccleſiaſticus*.

Quæres 18. *Quot ſunt libri Prophetici veteris Teſtamenti*.

Reſp. Sunt libri conſcripti a Prophetis, quorum 6. majores, ſcilicet, *David*, *Iſaias*, *Jeremias*, *Baruch*, *Ezechiel*, &, *Daniel*. Et 12. minores, nempe, *Oſeas*, *Joel*, *Amos*, *Abdias*, *Jonas*, *Michæas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Aggæus*, *Zacharias*, & *Malachias*.

Quæres 19. *Quot ſunt libri legales novi Teſtamenti?*

Reſpond. Sunt quatuor Evangelia, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem.

Quæres 20. *Quot ſunt libri hiſtorici novi Teſtamenti?*

Reſp. Eſt unicus, *Acta Apoſtolorum* dictus, quem ſcripſit D. Lucas, in quo mirandam Eccleſiæ naſcentis hiſtoriam, illiuſque in omnes gentes propagationem per Apoſtolos, & præcipue per Petrum & Paulum, deſcribit.

Quæres 21. *Quot ſunt libri ſapientiales novi Teſtamenti?*

Reſp. Sunt 21. nimirum 14. Epiſtolæ D. Pauli, & 7. Epiſtolæ *Catholicæ*, quæ etiam dicuntur *Canonicæ*, quarum *duæ* Petri, *tres* Joannis, *una* Jacobi & tandem *una* Judæ.

Quæres 22. *Quot ſunt libri Prophetici novi Teſtamenti?*

Reſp. Eſt unicus, nempe, *Apocalypſis*, quem ſcripſit Joannes in exilio quod paſſus eſt in inſula Pathmos. Multa in eo prædicit, nimirum Eccleſiæ perſecutiones, & duriſſimas crudelitates ſub execrabili Antichriſto, & tandem gloriam futuram Beatorum. Quæ omnia ſunt tot

ænig-

ænigmatibus involuta ; ut nemo hactenus clare potuerit exponere myſteria in Apocalypſi annuntiata , *tot enim in ea ſunt Sacramenta , quot verba* , ait D. Hieronymus Epiſtola ad Paulinam.

Quæres 23. *Quoſnam libros hæretici ex canone librorum ſacrorum deleverunt ?*

Reſp. Lutherani & Calviniſtæ, omnes veteris Teſtamenti libros , qui in antiquo Judæorum canone non reperiuntur , e Scripturarum canone deleverunt , ſicut & librum *Eſther*.

Quoad libros novi Teſtamenti , Lutherani e canone deleverunt Epiſtolas Pauli *ad Hebræos* , *Jacobi* , *Judæ* , *ſecundam Petri* , *ſecundam* & *tertiam Joannis* , & *Apocalypſim* . Hos tamen libros admittunt Calviniſtæ , præter Epiſtolam *ad Hebræos* , quam etſi divinam eam eſſe fateantur , negant tamen eſſe Paulinam.

Quæres 24. *Quo idiomate libri canonici primum conſcripti fuerunt ?*

Reſp. 1. Juxta D. Hieron. libri veteris Teſtamenti hebraica lingua fuere conſcripti , *exceptis* 1. libris Danielis , Tobiæ & Judith , qui chaldaice primitus exarati fuerunt ; *exceptis* 2. libris Sapientiæ , & ſecundo Machabæorum , qui juxta eundem D. Hieron. in Prologo Galeato , græce fuerunt ſcripti.

Reſp. 2. Omnes libri novi Teſtamenti græce editi ſunt ab Apoſtolis , exceptis Evangelio D. Matthæi, & Epiſtola ad Hebræos , qui hebraice fuerunt ſcripti , ut teſtantur D. Hieron. & Euſebius , *lib. 6. hiſt. cap.* 11.

Quæres 25. *An editio hebraica Eſdræ ſit authentica ?*

Nota : Authenticum , eſt illud quod eſt indubitatæ auctoritatis , & in judiciis fidem facit.

Reſpond. affirmat. Nam textus hebraicus tem-

pore

pore Divi Hieronymi erat incorruptus quoad partes eſſentiales, & authenticus, cum, juxta hunc Textum, vetus Teſtamentum latine interpretatus ſit; atqui ille textus (ejuſque exemplaria) ſemper fuit cuſtoditus, & conſervatus a SS. Patribus, & Romanis Pontificibus, & uſque in hodiernum diem ſervatur in Bibliotheca Vaticana, & in aliis Bibliothecis; ergo, &c.

Objicies: Sola Vulgata eſt declarata authentica a Conc. Trid. ergo, &c.

Reſp. Eſt ſola declarata authentica, per excluſionem aliarum verſionem latinarum, *conc.* per excluſionem editionum hebraicæ & græcæ germanarum, *nego ant.* neque enim Patres Tridentini fontium mentionem fecerunt.

Quæres 26. *Quænam verſiones revocentur ad editionem hebraicam?*

Reſp. Tres, ſcilicet, *Samaritana*, quæ non differt ab hebraica, niſi penes characteres. *Syriaca*, quæ tempore Chriſti vocari ſolebat hebræa, quia Hebræi linguam ſyriacam ſibi vulgarem fecerant, hæc qua Chriſtus & Apoſtoli uſi ſunt, fuit ſemper ſummæ auctoritatis. *Chaldaica*, quæ potius paraphraſis eſt dicenda quam verſio, & quæ nullius eſt auctoritatis, cum Thalmudiſtarum fabulis ſit conſperſa.

Quæres 27. *Quot ſunt veteris Teſtamenti verſiones græcæ?*

Reſp. Sunt variæ, inter quas principem locum obtinet *Verſio 70. Interpretum*, ſic dicta, quia eam fecerunt 72. ſeniores Judæi, ſex nimirum ex qualibet tribu, græce pariter & hebraice peritiſſimi, regnante Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum Rege, qui ad Eleazarum ſummum Pontificem miſerat, ſenioreſque totidem petierat, qui ſacros libros in græcum ſermonem transferrent, in *Pharos* inſula.

Quæ-

Quæres 28. *Utrum verſio 70. ſit authentica?*

Reſpond. affirm. Tum quia ea uſa eſt olim, & etiam nunc utitur Eccleſia græca; tum quia ea uſi ſunt Apoſtoli, cum vetus Teſtamentum in ſuis Epiſtolis ad gentes ad fidem converſis laudarunt. Hinc Divus Irenæus de hac verſione loquens, *lib.* 3. *capit.* 15. *ait: Per aſpirationem Dei, interpretatæ ſunt Scripturæ.*

Quæres 29. *Quot ſunt utriuſque Teſtamenti latinæ verſiones?*

Reſp. Sunt variæ, inter quas præcipuum locum tenet verſio Divi Hieronymi, quæ *Vulgata* dicitur, & qua nunc utuntur omnes Catholici occidentales . . . . . Eam Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 4. declaravit *authenticam*, hoc ſenſu, quod ſit immunis ab omni errore *in his omnibus quæ ad fidem & mores ſpectant*, ut docet Canus, *lib.* 2. *de locis*, *cap.* 13.

Quæres 30. *Utrum Concilium Tridentinum, Vulgatam declarando authenticam, eam prætulerit hebraicis & græcis fontibus?*

Reſp. negative: Quia Concilium Vulgatam nullo modo contulit cum fontibus, ſed tantum prætulit ipſam variis verſionibus latinis quæ circumferebantur: *Conſiderans*, inquit, *non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat, ſtatuit, &c.*

Quæres 31. *Quandonam licitum ſit recurrere ad fontes pro emendatione codicum latinorum?*

Reſp. Licitum eſt 1. quando in codicibus noſtris videtur eſſe error ſcribarum, aut librariorum.

2. Quando latini codices variant, nec certo ſci-

to ſci-

to ſciri poteſt quænam ſit vera vulgatæ lectio; ea enim tunc vera erit, quæ fonti erit conformis.

3. Quando ſententia in latino, eſt ambigua.

4. Licet recurrere ad fontes, ad proprietatem & energiam vocabulorum habendam.

Quæres 32. *An Scriptura ſacra in lingua vernacula translata, expediat omnibus?*

Reſp. negative: Quia, licet in ſe optima, tamen ratione loci, temporis, & perſonarum, pluribus poteſt eſſe noxia; multi enim propter infirmitatem, ignorantiam, aut malitiam, plus ex ejuſmodi lectione detrimenti, quam utilitatis haurire poſſent, ut *experimento manifeſtum eſt*, ait Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 4.

Quæres 33. *An Eccleſia prohibuerit lectionem Scripturæ ſacræ in lingua vernacula translatæ?*

Reſp. 1. Non prohibuit abſolute; quia nullibi extat talis prohibitio generalis.

Reſp. 2. Eccleſia juſtiſſimis de cauſis prohibuit, ne lectio Scripturæ ſacræ in lingua vulgari translatæ omnibus indiſcriminatim concedatur; ſed *judicio Epiſcopi aut inquiſitoris ſtetur, ut cum conſilio Parochi aut Confeſſarii, Bibliorum a Catholicis auctoribus verſorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere poſſint, quos intellexerint ex ejuſmodi lectione, non damnum, ſed fidei atque pietatis augmentum capere poſſe quam facultatem in ſcriptis habeant*, &c. Regula IV. *C. Trid.*

Quæres 34. *Quid eſt ſenſus ſacræ Scripturæ?*

Reſp. Eſt, *genuina ejus ſignificatio.*

Quæres 35. *Quotuplex eſt ſenſus ſacræ Scripturæ?*

Reſp. Duplex, litteralis nempe & myſticus, ſeu ſpiritualis.

Sen-

Senſus *litteralis*, eſt ille quem verba, ſive proprie, ſive metaphorice accepta immediate ſignificant. Si verba proprie accipiantur, ſenſus litteralis, eſt proprius; ſi metaphorice, eſt metaphoricus.

Senſus *myſticus*, ſeu ſpiritualis, eſt ille qui, non verbis ipſis, ſed rebus per verba ſignificatis, indicatur. Sic quod in Geneſi litteraliter dicitur de duobus filiis Abrahæ, Apoſtolus in ſenſu myſtico exponit de duobus Teſtamentis.

Quæres 36. *Quotuplex eſt ſenſus myſticus?*

Reſp. Triplex, moralis nempe, allegoricus, & anagogicus ... *Moralis*, eſt rei ad morum inſtructionem ſignificatio, per aliam rem, Scripturæ verbis immediate ſignificatam. Unde eſt de rebus agendis ... *Allegoricus*, eſt rei ad Chriſtum & Eccleſiam militantem pertinentis ſignificatio, per aliam rem Scripturæ verbis immediate ſignificatam. Hinc eſt de rebus credendis ... *Anagogicus*, eſt rei ad Eccleſiam triumphantem pertinentis ſignificatio, per aliam rem Scripturæ verbis immediate ſignificatam. Unde eſt de rebus ſperandis.

Hi quatuor Scripturæ ſenſus his verſibus exprimuntur:

Littera geſta docet; quid credas allegoria;
Moralis quid agas; quo tendas anagogia.

Quæres 37. *An ſub iiſdem Sacræ Scripturæ verbis multiplex aliquando reperiatur ſenſus litteralis?*

Reſpond. affirmat. Sic illud Pſalmi ſecundi, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Apoſtolus, *Hebr.* 1. exponit de generatione Chriſti æterna, *cui Angelorum dixit, Filius meus es tu, &c.* quod idem Apoſtolus, *Actor.* 13. explicat de Reſurrectione Chriſti: *Reſuſcitans Jeſum, ſicut in Pſalm.* 2. *ſcri-*

ſcriptum eſt : Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Quæres 38. *Ex quonam ſacræ Scripturæ ſenſu, Theologia poſſit certa deducere argumenta?*

Reſpond. Ex ſolo ſenſu litterali, non autem ex myſtico, niſi aut ab Eccleſia proponatur, aut Scripturæ & traditionis auctoritate nitatur, aut ex ipſa textus ſacri ſerie certo colligatur. Quia tunc certum eſt ſenſum myſticum a Spiritu ſancto fuiſſe intentum: talis eſt ſenſus, quem Apoſtolus, 1. Cor. 9. ex his verbis Deut. 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, eruit ad probandum miniſtris Evangelii deberi ſtipendia: *Numquid de bobus cura eſt Deo*, inquit, *an propter nos utique hoc dixit? nam propter nos ſcripta ſunt*.

Quæres 39. *Utrum in quolibet Scripturæ textu, præter ſenſum litteralem, contineatur aliquis ſenſus myſticus?*

Reſp. negat. Quia ut ait D. Auguſt. quæſt. 2. ſuper Geneſim: *In quibuſdam locis ſolus ſenſus litteralis quærendus*. Quinam enim ſenſus myſticus in his verbis: *Non occides*, *Non furtum facies?*

Quæres 40. *Utrum detur aliquis Scripturæ textus, in quo non ſit ſenſus litteralis, ſed tantum ſpiritualis?*

Reſp. negat. Quia nullus aſſignatur textus, cujus verba aliquid immediate non ſignificent, ſive proprie, ſive improprie; atqui talis ſenſus eſt litteralis; ergo, &c.

Quæres 41. *Quando idem textus videtur habere duos ſenſus contrarios & incompoſſibiles, quomodo exponi debeat?*

Reſpond. Exponi debet juxta ſequentes regulas:

I. Regula, Ille ſenſus, eſt ſolus verus, qui a tota Eccleſia eſt receptus; ſic hujus textus,

Pater

Pater major me eſt, ſenſus totius Eccleſiæ eſt filium non in omnibus, ſed ſolum ſecundum humanitatem, eſſe patre minorem.

II. Regula, Ille ſenſus eſt verus, qui magis cohæret cum alio Scripturæ ſacræ loco, quomodo hic textus, *Pater major me eſt*, intellectus de minoritate filii ſecundum humanitatem, cohæret cum hoc alio textu: *Ego & pater unum ſumus*, Joann. 10.

III. Regula, Senſus SS. Patrum eſt tenendus, maximæ ſi omnes, vel plures in eundem ſenſum conſentiant.

IV. Regula, Ubi Patres circa ſenſum S. Scripturæ diſſentiunt, liberum eſt cuique, quem probabiliorem judicat, ſequi, modo illos ſenſus Eccleſia non reſpuat.

V. Regula, quando uterque ſenſus eſt incompoſſibilis, nec quis fuerit a Spiritu ſancto intentus cognoſci poteſt, nec ex alio Scripturæ loco, nec ex traditione Patrum, nec ex Conciliis, nec ex recurſu ad fontes, tunc ille præferendus eſt, qui rationi naturali eſt conformior.

Quæres 42. *Quid ſit ſenſus accommodatitius?*

Reſpond. Eſt ille, *quo ea quæ litterali, aut myſtico ſenſu, alia occaſione, dicuntur in Scriptura, per quamdam extenſionem ac ſimilitudinem ad aliquid aliud applicantur*. Hic ſenſus non habet auctoritatem divinam, cum nec immediate, nec mediate a Spiritu ſancto fuerit intentus; poteſt tamen admitti, cum eo Scriptura, Eccleſia, & Patres uſi fuerint: ſic quod *Zachar.* 4. dicitur de Jeſu Sacerdote, & Zorobabele Duce, S. Joannes, *Apoc.* 11. accommodat Enoch & Eliæ, dicens: *Hi ſunt duo Olivæ*.

Quæres 43. *Quænam conditiones requiruntur, ut Scri-*

ut Scripturæ adſcribatur ſenſus accommodatitius?

Reſp. Quatuor.

I. Ut non aſtruatur, tanquam ſenſus litteralis aut myſticus.

II. Ut ſenſus falſus non attribuatur Scripturæ per accommodationem.

III. Ut ſenſus accomodatitius ad res pias applicetur.

IV. Ut quando ſacer ſcriptor dicit quidpiam factum eſſe, *ut adimpleretur Scriptura*, illud per accommodationem non accipiatur; ſed vel ſenſu litterali, quando id ſecundum litteram fit, quod erat prædictum; vel myſtico, quando figura, aut prophetia ipſo eventu impletur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPUT II.

De traditione & SS. Patribus traditionis teſtibus.

Quæres I. Quid eſt traditio?

Reſp. Eſt, *doctrina ad fidem, mores, vel diſciplinam chriſtianam ſpectans, quæ in libris canonicis non eſt ſcripta*, ſed tantum aut in Conciliis, aut in Patribus, aut in unanimi Eccleſiarum conſenſu, conſervatur.

Quæres 2. *Quotuplex ſit traditio?*

Reſpond. Triplex, nimirum 1. *Divina*, quæ eſt verbum Dei non ſcriptum, ſed ab Apoſtolis, quatenus verbi Dei præconibus, ad nos, viva voce, tranſmiſſum. 2. *Apoſtolica*, quæ eſt doctrina, quam Apoſtoli ipſi, quatenus Eccleſiæ Paſtores, inſtituerunt, & ad nos viva voce tranſmiſerunt; v. g. obſervatio diei Dominicæ, jejunii Quadrageſimalis, &c. 3. *Eccleſiaſtica*, quæ eſt doctrina, quæ a ſucceſſoribus

bus Apoſtolorum, accedente fidelium uſu, fuit introducta, & ad nos uſque tranſmiſſa; v. g. feſtorum celebrationes, aquæ luſtralis uſus, &c.

Quæres 3. *Utrum extiterint tum in lege naturæ, tum in lege Moſaica, divinæ quædam traditiones?*

Reſpond. 1. Extiterunt in lege naturæ: nam Adamus filios ſuos docuit quæ ſibi de mediatore Chriſto, & aliis myſteriis revelata fuerant; filii Adami, quæ a Patre didicerant, ſuis poſteris ad Moyſen uſque (non interrupta ſerie) communicarunt; ergo, &c.

Reſp. 2. Extiterunt in Lege Moſaica: quia Iſraelitæ ex ſola traditione habebant divinitatem librorum in canone repoſitorum; remedium ad tollendum peccatum originale, non ſolum in femellis, ſed etiam in maſculis ante octavum diem decedentibus, &c. Hinc Geneſ. 18. dicitur: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi.*

Quæres 4. *Utrum in lege nova, neceſſario admittenda ſit traditio divina, tanquam altera fidei regula?*

Reſpond. Affirm. Quia non omnia fidei dogmata continentur in verbo Dei ſcripto; v. g. quod libri in Scriptura ſacra contenti, ſint divini; quod Dei-para, etiam poſt partum, virginitatem ſervaverit; quod valeat baptiſmus datus parvulis; quod valeat datus ab hæreticis & peccatoribus; quod ſint tantum quatuor Evangelia; quod Chriſtus deſcenderit ad inferos, &c. Ergo ad hæc omnia credenda neceſſaria eſt traditio. Hinc Apoſtolus Theſſalonicenſibus jubet, ut traditionibus firmiter adhæreant: *State*, inquit Theſſal. 2. cap. 2. *& tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem*, ſcilicet ore prolatum, *ſive per Epiſtolam noſtram*. Quem locum Divus Chryſoſtomus,

Hom. 4.

Hom. 4. enarrans, ait: *Hinc patet, quod non omnia per Epiſtolam tradiderunt Apoſtoli, ſed multa etiam ſine litteris. Eadem vero fide digna ſunt, tam illa, quam iſta . . . traditio eſt, nihil quæras amplius.*

Objicies 1. Moyſes, *Deuter.* 4. Apoſtolus, *Galat.* 1. Div. Joannes, *Apoc. ult.* Chriſtus, *Matth.* 15. prohibent uſum traditionum, tum in fide, tum in moribus; ergo, &c.

Reſpond. nego ant. Nam 1. Moyſes & Div. Joannes prohibent tantum traditiones quæ ſunt additio ad verbum Dei, *Non adderis*, inquit Moyſes, *ad verbum quod ego præcipio vobis, nec auferetis ex eo.* Div. Joann. ait: *Si quis appoſuerit ad hæc, opponet & Deus ſuper illum plagas.* At divinæ traditiones non ſunt additiones humanæ ad verbum Dei, cum ſint ipſummet verbum Dei, licet non ſcriptum; ergo... Præterea vetant tantum, ne minuatur, vel addatur aliquid per quod textus alteretur, vel corrumpatur: alias illicitum fuiſſet Deuteronomio & Apocalypſi alios addere libros.

2. Apoſtolus quoque de traditionibus ad verbum Dei additis loquitur, nempe de traditione conjungendi legalia cum Evangelio, quæ contraria erat doctrinæ quam Paulus Galatas docuerat, *Miror*, inquit, *quod tam cito transferimini in aliud Evangelium . . . ſed licet nos aut Angelus de cælo evangelizet, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* In quo textu particula, *præter*, ſumitur evidenter pro particula, *contra*; ſed traditiones divinæ non ſunt contrariæ verbo Dei, cum & ipſæ ſint verbum Dei, ergo, &c.

3. Chriſtus non loquitur de traditionibus divinis, ſed de phariſaicis quæ Dei Legi erant contrariæ, *Irritum feciſtis mandatum Dei*, inquit, *propter traditionem veſtram.*

Obji-

Objicies 2. Patres paſſim docent, omnes tum fidei, tum morum regulas Scripturis contineri, *In his quæ aperte poſita ſunt in Scriptura*, ait Auguſt. *lib.* 2. *de doctrina Chriſt.* c. 9. *inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moreſque vivendi*; ergo.

Reſpond. Patres iis in locis loqui de iis tantum fidei myſteriis, quorum explicita cognitio eſt ad ſalutem neceſſaria, & de communibus morum præceptis quæ in Decalogo continentur: at non loquuntur de aliis omnibus myſteriis, nec de concluſionibus quæ ex Decalogo colligi debent; alias ſibi contradiceret Div. Auguſtin. qui, *lib.* 1. *contra Creſcon. capit.* 33. dicit: *Scripturæ veritatem a nobis teneri, quando facimus quod univerſæ Eccleſiæ placet, etiamſi nihil de ea re ſcriptum legamus.*

Quæres 5. *Quomodo traditiones divinæ & apoſtolicæ diſtinguuntur a traditione mere Eccleſiaſtica?*

Reſp. In hoc diſtinguuntur quod mere Eccleſiaſtica, cum poſt tempora Apoſtolorum emanarit, 1. Non ſemper viguit, ſed habet initium; aut in decretis SS. Pontificum, aut in Conciliorum canonibus, aut in ſtatutis Patrum. 2. Non ubique viguit, ſed in una, aut in aliquibus tantum Eccleſiis particularibus reperitur & obſervatur. *Econtra*, divinæ & apoſtolicæ traditiones ſemper & ubique viguerunt, juxta hanc regulam ab Auguſt. *lib.* 4. *contra Donat. c.* 24. traditam, *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſemper retentum, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.*

Quæres 6. *Quomodo traditiones divinæ ſecerni poſſunt a traditionibus pure Apoſtolicis?*

Reſpond. Ad hoc vulgo traduntur quatuor regulæ:

I. Reg.

I. Reg. Si quod fidei dogma Patres concordiſſime tenuerint, ejuſque contrarium, ut hæreticum, refutarint, nec tamen in Scripturis reperiatur; illud eſt traditionis divinæ: quia omnia fidei dogmata habemus ex divina revelatione. Hujuſmodi eſt perpetua virginitas Deiparæ, etiam poſt partum.

II. Reg. Si quidquam eſt nunc in Eccleſia communi fidelium conſenſione probatum, quod humanam excedit poteſtatem illud eſt traditionis divinæ. Talis eſt, v. g. praxis vota diſſolvendi, juramenta relaxandi, &c.

III. Reg. Si SS. Patres unanimiter doceant aliquam traditionem eſſe divinam, tenenda eſt ut traditio divina, etiamſi illius materia non excedat poteſtatem Apoſtolorum & Eccleſiæ. Secus ſi ſolum ut traditionem Apoſtolicam, vel Eccleſiaſticam tradiderint. Ratio eſt, quia unanimis Patrum conſenſus eſt fidei noſtræ infallibilis regula.

IV. Reg. Quando aliqui Patres in hanc traditionem non conſentiunt, judicandum eſt eam traditionem eſſe divinam, quæ reperitur in præcipuis & apoſtolicis Eccleſiis, in quibus interrupta non fuit Epiſcoporum ſucceſſio, qualis nunc eſt ſola Eccleſia Romana.

Quæres 7. *Quinam ſunt traditionis teſtes?*

Reſp. Sunt Patres; qui primis Eccleſiæ temporibus ſanctitate & doctrina ab Eccleſia recepta & approbata illuſtres, Chriſto filios genuerunt, genitos nutrierunt, ac in fide & communione catholica perſtiterunt. Hinc in Patre Eccleſiæ quatuor requiruntur, 1. Scientia eminens ab Eccleſia recepta & approbata. 2. Eximia vitæ ſanctitas. 3. Perſeverantia in fide & communione catholica. 4. Tandem, antiquitas notabilis.

Quæres 8. *Utrum unius aut alterius Patris*

de rebus divinis ſententia, aliis tacentibus, firmum argumentum miniſtret?

Reſpond. negative: Quia nullus pater de ſe eſt infallibilis, cum aliqui, etiam ex gravioribus, erraverint, etiam in eis quæ poſt deprehenſa fuerunt pertinere ad fidem.

Quæres 9. *Quale Theologo præbeat argumentum plurium Patrum in unum dogma conſenſus, aliis ex altera parte, licet paucioribus, reclamantibus?*

Reſp. Præbet argumentum probabile, ſed non omnino certum.

Prob. prima pars: Quia probabilitas alicujus facti extrinſeca, ex numero teſtium eruitur; ergo ubi plures ſunt teſtes, ibi eſt magna probabilitas, quod veritatem fuerint aſſecuti, licet alii, numero pauciores, reclament.

Prob. ſecunda pars: Quia cum plures Patres unum factum affirmant, aliis, licet numero paucioribus, reclamantibus, non certo conſtat utra pars veritatem aſſerat; fieri enim poteſt, ut qui ex altera parte reclamant, aſſecuti fuerint germanum, aut Scripturæ, aut traditionis ſenſum; ergo, &c.

Quæres 10. *Utrum unanimis SS. Patrum in aliquod dogma conſenſus certiſſimum & infallibile præbeat Theologo argumentum in iis quæ ad fidem & mores ſpectant?*

Reſp. affirm. Quia unanimis ille conſenſus, certiſſimum eſt divinæ traditionis teſtimonium; ergo certiſſimum & irrefragabile ſubminiſtrat argumentum. *Hinc* 1. Conc. Nicænum II. anat. 7. ait: *Qui doctrinas SS. Patrum, & traditionem Catholicæ Eccleſiæ contemnunt, execrato.* Ex quo patet doctrinam SS. Patrum, & Eccleſiæ traditionem ita eſſe connexas, ut qui unam tentaverit labefactare, alterius quoque fidem concu-

cutiat, neceſſe ſit. *Hinc* 2. Patres Chalcedonenſes in definitione fidei ſic clamant; *Hæc eſt fides Patrum, omnes ita credimus*. Unde Conc. Trid. ſeſſ. 4. diſtricte prohibet, *ne quis Scripturam, contra unanimem SS. Patrum ſenſum, audeat interpretari*.

Objicies: Singuli Patres ſunt fallibiles; ergo & unanimis Patrum conſenſus.

Reſp. nego conſeq. Etſi enim ſinguli labi poſſint, quia homines; omnes tamen ſimul errare non permittit Deus, quia unanimis omnium conſenſus, eſt ſenſus Eccleſiæ, ideoque & Spiritus ſancti Eccleſiam per Patres docentis. Unde eorum teſtimonium non eſt tunc humanum, cum ſit Eccleſiæ, & ideo Spiritus ſancti ſenſus.

Quæres II. *Quænam ſervandæ ſunt cautiones in legendis, aut laudandis Patribus?*

Reſp. 1. Conſiderandum eſt *quo modo* ſcripſerint: nam 1. Si modo Theologico ſcripſerunt, rigoroſius, ſi vero modo oratorio, minus rigoroſe eorum verba ſunt accipienda; nam inter concionandum multa ex zelo hyperbolice dixerunt. 2. Si ex profeſſo aliquam quæſtionem tractaverint, accuratius locuti ſunt.

2. Conſiderandum eſt, *quo tempore* ſcripſerint; namque 1. Si ante exortas hæreſes & materiæ diſcuſſionem, minus accurate, quam poſtea ſcripſerunt . . . . . 2. Si ante Eccleſiæ definitionem, potuerunt abſque hæreſeos nota ſcribere, quæ poſtea ab Eccleſia fuere damnata: & ideo nec D. Cyprianus, nec alii Africani, rebaptizantium errorem propugnantes, fuerunt hæretici.

3. Conſiderandum eſt, *qua ætate* ſcripſerint: quia ætate juniori multa ſcribuntur, quæ ætate ſenili maturius examinata, vel gravius tractan-

tur, vel omnino retractantur, ut conſtat ex libris retractationum D. Auguſtini.

4. Conſiderandum eſt, qua occaſione ſcripſerint; ſæpius namque contigit, ut SS. Patres in refellendis quibuſdam hæreſibus, uſi ſint terminis, qui, in ſpecie quidem, oppoſitis erroribus faverent; ſed reipſa & ſecundum ſenſum, ab illis omnino differrent.

5. Cum agitur de aliquo dogmate, olim ab hæreticis impugnato, illi Patres præ cæteris ſunt conſulendi & ſequendi, quos ad has hæreſes debellandas Deus Eccleſiæ ſuæ, ſingulari beneficio, conceſſit: hinc ubi agitur de Chriſti divinitate, Sanctus Athanaſius; ubi de Incarnatione, S. Cyrillus; ubi de prædeſt. & gratia, Sanct. Auguſtinus cæteris omnibus ſunt præferendi.

CAPUT III.

De Eccleſia.

Quæres: Quid ſit Eccleſia ſtricte ſumpta? *Reſp.* Eſt, *cœtus hominum viatorum, unius & ejuſdem fidei chriſtianæ profeſſione, & eorumdem ſacramentorum communione adunatus, ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipue Romani Pontificis.* De omnibus quæ Eccleſiam ſpectant agemus diſtinctis paragraphis.

§. I. *De membris Eccleſiæ.*

Quæres 1. *Utrum infideles ſint membra Eccleſiæ?*

Reſp. negat. Nam eos extra Eccleſiam eſſe teſtatur Apoſtolus 1. Cor. 5. *Quid enim mihi, ait, de iis qui foris ſunt judicare?*

Quæ-

Quæres 2. *Utrum Catechumeni ſint in Eccleſia?*

Reſpond. Non ſunt. Conſtat tum ex Eccleſiæ definitione; tum quia per ſolum baptiſmum homines aggregantur Eccleſiæ, juxta illud Act. 2. *Qui receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt* (utique ad Corpus Chriſti quod eſt Eccleſia) *in illa die animæ circiter tria millia*. Ergo licet prius crediderint, non ſunt in Eccleſiam *appoſitæ*, niſi per Baptiſmum. Hinc Conc. Florent. ait: *Baptiſmus vitæ ſpiritualis janua eſt.*

Objicies 1. Catechumeni poſſunt ſalvari; ergo.

Reſp. nego conſeq. Quia ad hoc ut quis ſalvetur, non requiritur abſolute, ut actu ſit in Eccleſia; ſed ſufficit, ut in ea ſit per ſincerum cordis deſiderium, nec per eum ſtet, quin in eam actu per Baptiſmum ingrediatur; taliter autem ſe habent Catechumeni.

Objicies 2. Catechumeni habent fidem, & charitatem; ergo, &c. . . . *Reſpond. diſt. conſeq.* Sunt in Eccleſia quoad animam, *conced.* quoad corpus, *nego conſeq.* ut ergo quis dicatur eſſe in Eccleſia, non ſufficit, quod habeat eſſe formale Eccleſiæ, ſed requiritur præterea, ut habeat eſſe materiale, quod quidem poſitum eſt in eo quod quis Baptiſmum actu ſuſceperit.

Quæres 3. *Utrum ſoli prædeſtinati ſint membra Eccleſiæ?*

Reſp. negat. Nam reprobi, qui ſub legitimis paſtoribus fidem exterius profitentur, ſunt membra Eccleſiæ, ut conſtat 1. Ex Matth. 3. ubi Eccleſia comparatur areæ, quæ habet *paleas igni inextinguibili comburendas*. 2. Matth. 22. comparatur convivio nuptiali, in quo erat qui ejectus fuit in tenebras exteriores. 3. Matth.

25. comparatur decem virginibus, inter quas fuerunt quinque fatuæ, quibus ſponſus dixit: *Neſcio vos*.

Objicies 1. Eccleſia comparatur cum Arca Noe; ergo ſicut in Arca Noe non fuerunt, niſi qui ſalvandi erant ex aquis diluvii, ita & in Eccleſia ſunt ii tantum qui ſunt prædeſtinati.

Reſpond. diſt. ant. Quoad aliqua, *conc.* quoad omnia, *nego ant.* in eo ergo ſtat Eccleſiæ cum Arca Noe comparatio, 1. Quod ſicut in Arca fuerunt animalia munda & immunda, ita & in Eccleſia ſunt boni & mali. 2. Quod ſicut nemo ſalvari potuit extra arcam, ita nemo poteſt extra Eccleſiam ſalvari; in hoc ſtat, nec alia quærenda eſt ſimilitudo.

Objicies 2. D. Auguſt. ſæpius docet reprobos ad Eccleſiam non pertinere; ergo, &c.

Reſp. diſt. Docet reprobos ad Eccleſiam non pertinere, quoad ſuum eſſe finale, quod eſt ſtatus patriæ, *conc.* quoad ſuum eſſe formale, quod eſt charitas; vel corporale, quod eſt cœtus hominum viatorum eandem fidem ſub legitimis paſtoribus profitentium, *nego*. Div. ergo Aug. ſumit Eccleſiam ſecundum ſuum eſſe finale.

Quæres 4. *Utrum ſoli juſti, ſint membra Eccleſiæ?*

Reſp. negat. Nam etiam graviſſimi peccatores ſunt membra Eccleſiæ, ut conſtat 1. Ex figuris Eccleſiæ in ſuperiori reſponſione relatis... 2. Ex eo quod poſſint ejici ab Eccleſia, Matth. 18. & de facto inceſtuoſus Corinthius de Eccleſia ab Apoſtolo ejectus eſt, 1. Cor. 5. ... 3. Quia pro peccatoribus ſpecialiter inſtitutum fuit pœnitentiæ Sacramentum, neque enim Sacramenta niſi pro Eccleſiæ membris ſunt inſtituta; ergo.

Objicies 1. Peccatores non pertinent ad Chriſtum,

ſtum,

ſtum, juxta illud Rom. 8. *Qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Ergo.

Reſp. diſt. ant. Non pertinent ad Chriſtum, ſecundum formam, quæ eſt charitas, *conc.* ſecundum materiam, quæ eſt externa fidei profeſſio, *nego ant.*

Objicies 2. Eccleſia eſt ſancta; ergo ... *Reſp.* Eſt ſancta ratione præcipuorum ejus membrorum, doctrinæ, Sacramentorum, &c. *conc.* ratione omnium ejus membrorum, *nego ant.* Porro denominatio fit a nobiliori parte.

Objicies 3. Impii diabolum habent pro patre, Joann. 8. *Vos ex patre diabolo eſtis*; ergo non poſſunt habere Eccleſiam pro matre.

Reſpond. diſt. ant. Impii habent diabolum pro patre, ratione imitationis, *conc.* ratione doctrinæ, *nego ant.* Sic enim omnes, qui ſunt in Eccleſia, ſunt filii Dei & Eccleſiæ, cujus doctrinam retinent, tamen poſſunt eſſe boni & mali.

Objicies 4. Div. Auguſtin. *lib.* 5. *de Bapt. cap.* 3. affirmat malos non pertinere ad Eccleſiam, eo quod Eccleſia ſit ſine macula & ruga; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Ad Eccleſiam triumphantem *conc.* militantem, *nego antec.* Ita ſeſe explicat D. Aug. *lib.* 2. *Retract. cap.* 18.

Quæres 5. *Utrum hæretici publici & apoſtatæ, ſint membra Eccleſiæ?*

Reſp. Non ſunt; nam Innoc. III. *cap.* Firmiter, *de ſumma Trin.* dicit quod Eccleſia ſit fidelium cœtus & ſocietas; atqui hæretici & apoſtatæ manifeſti *circa fidem naufragaverunt*, ut docet Apoſtolus, 1. *ad Tim.* 1. ergo, &c. Hinc de iis Conc. Nicænum I. *can.* 8. dicit: *Si quis voluerit venire ad Eccleſiam Catholicam ex Novatianis* (hæreticis publicis) *placuit S. Concilio ut ordinentur, & ſic maneant in Cle-*

ro. Nemo autem poteſt venire in Eccleſiam; niſi qui eſt extra Eccleſiam.

Objicies 1. Juxta parabolam zizaniorum, eodem agro ſunt zizania cum bono ſemine; atqui per *agrum*, intelligitur Eccleſia, per *bonum ſemen*, intelliguntur Catholici, & per *zizania*, intelliguntur hæretici; ergo ſunt membra Eccleſiæ.

Reſp. nego min. Nam per *agrum*, non intelligitur Eccleſia, ſed univerſus mundus, ut ſemetipſum interpretatur Chriſtus, dicens: *Ager autem eſt mundus*, in quo haud dubie multi ſunt hæretici.

Objicies 2. Eccleſia non judicat, nec punit qui ſunt extra illam, juxta illud 1. Cor. 5. *Quid mihi de iis qui foris ſunt judicare*. Atqui Eccleſia judicat & punit hæreticos manifeſtos; ergo, &c.

Reſp. nego major. Nam Eccleſia judicat & punit ſuos deſertores, quia ad eam pertinent ratione Baptiſmi.

Objicies 3. Hæretici manifeſti, 1. Retinent characterem Baptiſmi, 2. Veros Chriſti generant filios; 3. Habent vera Sacramenta; ergo.

Reſp. nego conſeq. Nam 1. Character Baptiſmi non ſufficit, ut quis ſit in Eccleſia, ſed inſuper requiritur fidei profeſſio ſub legitimis Paſtoribus . . . 2. Veros Chriſto filios generant, non ex Eccleſia ſponſa Chriſti, ſed ex Eccleſiæ ancilla, quæ ex Sacramentis a Chriſto inſtitutis filios Chriſto generat, non ſecus ac Eccleſia ſponſa Chriſti . . . 3. Habent vera Sacramenta, quæ non a ſua ſocietate, ſed a vera Eccleſia acceperunt, quæ ſecum extra Eccleſiam detulerunt, per quæ gratiam conſequuntur tum infantes, qui hæreſi non conſentiunt, tum adulti, qui ſimplici corde veritatem

tem quærunt, parati ei adhærere, ubi primum eam cognoverint.

Quæres 6. *Utrum Schiſmatici manifeſti, ſint membra Eccleſiæ?*

Reſpond. Non ſunt: quia Eccleſia eſt ſocietas membrorum inter ſe, & cum ſuo capite; atqui ſchiſmatici publici non ſunt pars illius ſocietatis; *Schiſma* enim ſciſſuram & ſeparationem ſignificat; ergo, &c. Hinc eſt, quod Eccleſia in die Paraſceve, Deum roget *pro ſchiſmaticis, ut eos ad ſanctam Matrem Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam revocare dignetur.*

Objicies 1. Schiſmatici retinent fidem Catholicam: ergo ſunt Catholici.

Reſpond. diſt. antec. Retinent fidem Catholicam extra Eccleſiam Catholicam, *conc.* in Eccleſia Catholica, *nego ant.* Sunt ergo ſeparati ab unitate, & ſic extra Eccleſiam, *quamvis ea credant quæ credimus*, ait D. Aug. *lib. de Symbolo, cap.* 10.

Objicies 2. Schiſmatici, etſi nolint ſubeſſe Sancto Pontifici, ſervant communionem cum Chriſto per fidem & ſubjectionem; ergo ſunt in Eccleſia.

Reſp. nego antec. Quia non poteſt ſubeſſe Chriſto, qui non vult ſubeſſe ejus Vicario.

Objicies 3. Qui renuit ſubeſſe ſuo Epiſcopo, non eſt extra Eccleſiam, modo velit ſubeſſe Romano Pontifici; ergo qui renuit ſubeſſe Romano Pontifici, non eſt extra Eccleſiam, modo velit ſubeſſe Chriſto.

Reſpond. nego antec. Nam qui a ſuo Epiſcopo, ſummo Pontifici unito & ſubdito, ſe ſejungit, ab Eccleſia univerſali ſeparari neceſſe eſt; nam ex Div. Thom. 2. 2. q. 39. artic. 1. *Schiſmatici dicuntur, qui ſubeſſe renuunt ſum-*

mo Pontifici, & qui membris Eccleſiæ ei ſubjectis communicare recuſant.

Quæres 7. *Utrum hæretici & ſchiſmatici occulti ſint membra Eccleſiæ?*

Reſpond. Sunt, ſed imperfecta tantum, & quantum ad corpus viſibile. Hoc probat Div. Joannes, *Epiſt.* 1. *c.* 2. de iis dicens: *Et nunc Antichriſti multi facti ſunt; ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum.* Ergo ſunt in Eccleſia, & non ſunt; ſunt quoad corpus, nam, *exierunt ex nobis*, non potuiſſent autem exire de Eccleſia, niſi fuiſſent in illa. Non ſunt in Eccleſia ſecundum animam, nam *non erant ex nobis*. Poſtquam D. Auguſtinus ſic interpretatus eſt hunc textum, concludit ſic: *Sunt in corpore Chriſti quomodo humores mali.*

Objicies: Eccleſia definitur *ſocietas fidelium*; atqui hæretici occulti non ſunt fideles; ergo...

Reſp. diſt. Non ſunt fideles interius, *conced.* exterius, quoad profeſſionem fidei, *nego*. Hoc autem ſufficit ut ad Eccleſiæ corpus pertineant, ut membra arida & mortua, quæ, quandiu non ſunt amputata, ſunt vera membra.

Quæres 8. *Utrum excommunicati, excommunicatione majori, ſint membra Eccleſiæ?*

Reſp. Non ſunt, ſive ſint tolerati, ſive non ſint: nam 1. Chriſtus, *Matth.* 18. de excommunicatis dicit; *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus;* atqui ethnici non ſunt de Eccleſia .... 2. Apoſtolus jubens excommunicare inceſtuoſum Corinthium, ait: *Cur non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtri*, id eſt, ut ejiciatur de medio Eccleſiæ, *qui hoc opus fecit?*

Objicies 1. Excommunicatio eſt eſſentialiter

pœna.

pœna medicinalis ; atqui non eſſet talis , ſi Chriſtianum ab Eccleſia penitus ejiceret ; ergo.

Reſp. diſt. minor. Si ejiceret in perpetuum & ſine ſpe reditus, *conced.* ad tempus, nempe, donec a contumacia recedat. *nego*. Nam Eccleſia, hac medicinali pœna, cupit delinquentem humiliari, & humiliatum in ſuum corpus iterum redire.

Objicies 2. Excommunicati tolerati valide Sacramenta adminiſtrare poſſunt, ut conſtat ex Bulla, *Ad evitanda*; ergo non ſunt ab Eccleſia penitus excluſi.

Reſp. diſt. conſeq. Non ſunt penitus excluſi, quantum ad juriſdictionem, quæ ipſis in gratiam fidelium conceditur, *conced.* quantum ad bonorum communium participationem, *nego*: hoc enim ſenſu ſunt penitus excluſi.

§. II. *De notis Eccleſiæ.*

Quæres 1. *Quid ſint notæ Eccleſiæ.*

Reſp. Sunt certa, atque indubitata quædam ſigna ſenſibilia, per quæ vera Chriſti Eccleſia diſcerni poteſt a falſis hæreticorum & ſchiſmaticorum ſectis, quæ ſeſe Chriſtianas immerito nuncupant.

Quæres 2. *Quales debent eſſe notæ veræ Eccleſiæ?*

Reſp. Debent eſſe, 1. *propriæ*, ita ut omnes collective ſumptæ alteri ſocietati convenire non poſſint; alioquin non poſſent veram Eccleſiam deſignare. 2. Debent eſſe *notiores ipſa Eccleſia*; alioquin non eſſent verum medium ad demonſtrandam veram Eccleſiam. 3. Debent eſſe ſenſibiles, ut omnes facile cognoſcere poſſint veram Eccleſiam. 4. Debent eſſe *inſeparabiles a vera Eccleſia*, alioquin certam notitiam parere non poſſent.

Quæres 3. *Quot ſint notæ veræ Eccleſiæ?*

Reſp. Quatuor a Concil. Conſtantinopolitano recenſentur, his verbis: *Credo . . . . . Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*, ad quas omnes aliæ notæ, a diverſis auctoribus traditæ, facile revocari poſſunt.

Quæres 4. *In quibus poſita eſt unitas quæ deſideratur in Eccleſia.*

Reſp. In tribus: nimirum, 1. In ejuſdem fidei conſenſione, nam *unus Deus, una Fides, unum Baptiſma*. 2. In eorumdem Sacramentorum participatione: unde ſi plus, aut minus admittantur, quam admittit Eccleſia, non eſt unitas. 3. In eodem ubique terrarum regimine ſuo Paſtoribus & Apoſtolis continua ſucceſſione ordinatis, atque Romano Pontifici ſubordinatis.

Quæres 5. *Utrum Eccleſia ſit una?*

Reſpond. affirm. Quia in Scriptura vocatur, *unum corpus*, Epheſ. 4. *unum ovile*, Joann. 10. una ſponſa ſub unius columbæ figura, *una eſt columba mea . . .* Hinc Patres comparant Eccleſiam cum Arca Noe, cum veſte Chriſti inconſutili, cum domo, in qua Agnus Paſchalis comedebatur; atqui una fuit Arca Noe, una veſtis Chriſti, una domus, &c.

Reſolves: Extra Eccleſiam, cum ſit una, neminem poſſe ſalvari; unde de hæreticis & ſchiſmaticis Div. Cyprian. *Epiſt. 62. ad Pomponium*, ait: *Neque enim vivere foris poſſunt, cum domus Dei una ſit, & nemini ſalus eſſe, niſi in Eccleſia, poſſit.*

Quæres 6. *Quodnam eſt centrum unitatis Eccleſiæ?*

Reſp. Eſt Sedes Romana: quia jure divino habet primatum in univerſa Eccleſia; unde Sanctus Irenæus, *l. adverſus hæreſes, capit.* 3. ait: *Ad hanc Eccleſiam Romanam, propter po-*

tia-

niorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles.

Quæres 7. *Utrum Eccleſia Romana ſit ſancta?*

Reſpond. affirmat. Nam ſanctitas, quæ veræ Eccleſiæ eſt nota, in tribus potiſſimum poſita eſt: nempe, 1. In ſanctitate fundatorum. 2. In ſanctitate doctrinæ & profeſſionis. 3. In ſanctitate præcipuorum membrorum; atqui Eccleſia Romana 1. Pro fundatoribus agnoſcit viros ſanctitate inſignes, nimirum Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, qui miraculis & ſanctitate clari, martyrium pro Chriſto & Eccleſia ſubierunt. 2. Fidem ſanctam, hoc eſt, integram, & ſanctas morum regulas profitetur. 3. Præcipua ejus membra ſunt ſancta, in illis nimirum regnat charitas illa, quæ diffuſa eſt in cordibus eorum per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis; ergo.

Objicies: Eccleſia Romana identidem indiget reformatione; ergo non eſt ſancta.

Reſpond. diſt. Indiget reformatione quoad diſciplinam, quæ ſæpius in non paucis langueſcit, *conc.* quoad fidem & mores, *nego*: nam Eccleſia Romana ſemper retinuit doctrinam, quam ab Apoſtolis recepit.

Quæres 8. *Vera Eccleſia Chriſti, eſtne Catholica?*

Reſpond. affirmat. Eſt enim per totum orbem diffuſa. Unde D. Aug. *lib. de vera Relig. c. 7.* ſic loquitur: *Tenenda eſt nobis Chriſtiana Religio, & ejus Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur.*

Quæres 9. *Cuinam Eccleſiæ convenit Catholicæ nomen?*

Reſp. Soli Eccleſiæ Romanæ: quia ſola Eccleſia Romana per totum orbem eſt diffuſa,

emi-

Quæres 3. *Quot ſint notæ veræ Eccleſiæ?*

Reſp. Quatuor a Concil. Conſtantinopolitano recenſentur, his verbis: *Credo . . . . Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*, ad quas omnes aliæ notæ, a diverſis auctoribus traditæ, facile revocari poſſunt.

Quæres 4. *In quibus poſita eſt unitas quæ deſideratur in Eccleſia.*

Reſp. In tribus: nimirum, 1. In ejuſdem fidei conſenſione, nam *unus Deus, una Fides, unum Baptiſma*. 2. In eorumdem Sacramentorum participatione: unde ſi plus, aut minus admittantur, quam admittit Eccleſia, non eſt unitas. 3. In eodem ubique terrarum regimine ſuo Paſtoribus & Apoſtolis continua ſucceſſione ordinatis, atque Romano Pontifici ſubordinatis.

Quæres 5. *Utrum Eccleſia ſit una?*

Reſpond. affirm. Quia in Scriptura vocatur, *unum corpus*, Epheſ. 4. *unum ovile*, Joann. 10. una ſponſa ſub unius columbæ figura, *una eſt columba mea* . . . Hinc Patres comparant Eccleſiam cum Arca Noe, cum veſte Chriſti inconſutili, cum domo, in qua Agnus Paſchalis comedebatur; atqui una fuit Arca Noe, una veſtis Chriſti, una domus, &c.

Reſolves: Extra Eccleſiam, cum ſit una, neminem poſſe ſalvari; unde de hæreticis & ſchiſmaticis Div. Cyprian. *Epiſt. 62. ad Pomponium*, ait: *Neque enim vivere foris poſſunt, cum domus Dei una ſit, & nemini ſalus eſſe, niſi in Eccleſia, poſſit.*

Quæres 6. *Quodnam eſt centrum unitatis Eccleſiæ?*

Reſp. Eſt Sedes Romana: quia jure divino habet primatum in univerſa Eccleſia; unde Sanctus Irenæus, *l. adverſus hæreſes, capit. 3.* ait: *Ad hanc Eccleſiam Romanam, propter po-*

tia-

niorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles.

Quæres: 7. *Utrum Eccleſia Romana ſit ſancta?*

Reſpond. affirmat. Nam ſanctitas, quæ veræ Eccleſiæ eſt nota, in tribus potiſſimum poſita eſt: nempe, 1. In ſanctitate fundatorum. 2. In ſanctitate doctrinæ & profeſſionis. 3. In ſanctitate præcipuorum membrorum; atqui Eccleſia Romana 1. Pro fundatoribus agnoſcit viros ſanctitate inſignes, nimirum Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, qui miraculis & ſanctitate clari, martyrium pro Chriſto & Eccleſia ſubierunt. 2. Fidem ſanctam, hoc eſt, integram, & ſanctas morum regulas profitetur. 3. Præcipua ejus membra ſunt ſancta, in illis nimirum regnat charitas illa, quæ diffuſa eſt in cordibus eorum per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis; ergo.

Objicies: Eccleſia Romana identidem indiget reformatione; ergo non eſt ſancta.

Reſpond. diſt. Indiget reformatione quoad diſciplinam, quæ ſæpius in non paucis langueſcit, *conc.* quoad fidem & mores, *nego*: nam Eccleſia Romana ſemper retinuit doctrinam, quam ab Apoſtolis recepit.

Quæres, 8. *Vera Eccleſia Chriſti, eſtne Catholica?*

Reſpond. affirmat. Eſt enim per totum orbem diffuſa. Unde D. Aug. *lib. de vera Relig. c. 7.* ſic loquitur: *Tenenda eſt nobis Chriſtiana Religio, & ejus Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur.*

Quæres 9. *Cuinam Eccleſiæ convenit Catholicæ nomen?*

Reſp. Soli Eccleſiæ Romanæ: quia ſola Eccleſia Romana per totum orbem eſt diffuſa,

emi-

eminet enim in Europa, Aſia, Africa, & America; ergo.

Objicies; Multæ ſunt orbis Provinciæ, in quibus Eccleſia Romana non reperitur; ergo non eſt ubique diffuſa.

Reſp. diſt. conſeq. Non eſt ubique diffuſa phyſice, *conc.* naturaliter, *nego.* Porro ad Eccleſiæ catholicitatem, ſufficit diffuſio moralis, quæ in hoc conſiſtit, ut Eccleſia, quæ dicitur Catholica, in præcipuis orbis partibus ita emineat, ut diffuſior ſit qualibet alia ſecta ſeorſim ſumpta, nec ſicut ſectæ particulares quibuſdam Provinciis, aut regnis coarctetur, talis eſt autem ſola Eccleſia Romana; ergo.

Quæres 10. *Utrum vera Chriſti Eccleſia ſit Apoſtolica?*

Reſpond. Affirmat. Quia docet doctrinam ab Apoſtolis tum ſcripto, tum viva voce traditam; atque regitur a ſucceſſoribus Apoſtolorum; ergo.

Quæres 11. *Quænam Eccleſia ſit Apoſtolica?*

Reſpond. Sola Romana Eccleſia: nam 1. Ipſa ſola eſt, quæ profitetur doctrinam quam Apoſtoli tradiderunt: nec enim ullus Eccleſiæ Romanæ novitatem in aliquo dogmate poteſt objicere; cum omnium ſuorum dogmatum antiquitatem, legitima præſcriptione demonſtret; cum econtra ſectæ hæreticorum novitatis in doctrina facili negotio convincuntur ab Eccleſia Romana, quæ evidenter probat, a quibus, quo tempore, in quo loco, falſa eorum dogmata invecta fuerunt.

2. Sola eſt, quæ eſt Apoſtolica ſecundum auctoritatem: ſola enim eſt, cujus Paſtores ſucceſſione non interrupta ab Apoſtolis, immediate, vel mediate ordinati & miſſi fuerunt; unde Div. Auguſtin. *lib. contra Epiſt. fundam. cap.* 4. ait: *Tenet me in Eccleſia Catholica ab*

ipſa

ipſa Sede Petri Apoſtoli . . . . uſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio Sacerdotum. Cum econtra aliarum ſocietatum miniſtri oſtendere non poſſint quibus ſucceſſerint, de quibus D. Cyprian. *lib. de unit. Eccleſ.* dicit: *Hi ſunt qui ſe præpoſitos, ſine ulla ordinationis lege, conſtituunt, qui nemine Epiſcoporum dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt.*

Objicies: Auctores Eccleſiarum reformatarum habuerunt miſſionem extraordinariam, qua a Deo immediate auctoritatem acceperunt reformandi Eccleſiam; ergo Eccleſiæ reformatæ, ſunt Apoſtolicæ.

Reſp. nego antec. Nam miſſio extraordinaria, ſi quæ foret, miraculis confirmari deberet, ut ſuam Apoſtoli & Chriſtus ipſe confirmarunt; atqui Auctores Eccleſiarum pſeudo-reformatarum, nullis miraculis ſe a Deo extraordinarie ad reformandam Eccleſiam miſſos probarunt; ergo.

Inſtab. Rapidiſſima tot populorum converſio, qui, intra breviſſimum tempus reformationem amplexi ſunt, eſt maximum miraculum; ergo.

Reſpond. nego antec. Neque enim opus eſt miraculo, ut quis, relicto auſteriore vivendi modo, amplectatur eum qui omnibus cupiditatibus favet, quique vi & armis propugnatus eſt. Econtra maximum eſſe miraculum, quod tota Chriſtianitas ad Calviniſmum & Lutheraniſmum non defecerit, nemo non videt.

§. III. *De proprietatibus Eccleſiæ.*

Quæres 1. *Utrum vera Eccleſia, ſit viſibilis?* hoc ſenſu quod inter alias ſectas per totum orbem,

orbem ſingulari quadam ac eminenti perſpicuitate omnium oculis præfulgeat?

Reſpond. affirm. & *prob.* 1. Ex figuris quibus Eccleſia comparatur: nempe, *Matth.* 5. comparatur civitati ſupra montem poſitæ; *Pſal.* 18. comparatur ſoli; *Marci* 4. comparatur lucernæ in candelabro poſitæ; atqui omnes illæ figuræ, ſunt viſibiles; ergo ... *Prob.* 2. quia Eccleſia debet regi ab Epiſcopis. Si quis per ſchiſma aut hæreſim ab Eccleſia diſceſſerit, ad ipſam redire tenetur; atqui neutrum fieri poteſt, ſi Eccleſia non ſit viſibilis; ergo, &c.

Objicies 1. Eccleſia creditur; ergo non eſt viſibilis .... *Reſp.* in Eccleſia unum videtur, nempe cœtus hominum Chriſti fidem, ſub legitimis Paſtoribus profitentium: & aliud creditur, nempe illum cœtum eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

Objicies 2. Apoſtolus, *Hebr.* 12. ſcribit Eccleſiam non eſſe montem tractabilem; ergo, &c. ..... *Reſpond.* Apoſtolus loquitur de Eccleſia in cælis triumphante; unde ſubdit: *Et millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum qui conſcripti ſunt in cælis.*

Quæres 2. *Utrum Eccleſia viſibilis, ſit indefectibilis?*

Reſp. affirm. Nam 1. Dicitur civitas, quam *Deus fundavit in æternum*. Pſalm. 47. .... 2. Dicitur Regnum *quod in æternum non diſſipabitur*. Daniel 2. Tandem, *Matth.* 16. Chriſtus dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam;* prævalerent autem, ſi poſſet deficere; ergo. Hinc Auguſtin. contra Donatiſtas, qui hoc dogma negabant, ait: *Non vincetur Eccleſia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus ſæculi finis.*

Obji-

Objicies 1. Eccleſia defecit tempore Eliæ, qui, 3. *Reg.* 19. ait: *Dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael, altaria tua deſtruxerunt . . . derelictus ſum ego ſolus.*

Reſp. nego antec. Nam Eliæ querenti, *Derelictus ſum ego ſolus*, reſpondit Deus: *Derelinquam ſeptem millia virorum in Iſrael, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal.* Præterea tempore ſchiſmatis decem tribuum, remanſerunt fideles Domino tribus Juda & Benjamin, quibus ſe adjunxit integra tribus Levi, in quibus viſibiliter remanſit vera Dei Eccleſia.

Objicies 2. Tempore Arianorum viſibiliter defecit Eccleſia: *Tunc*, ait Div. Hieron. dialogo contra Luciferianos, *Nicæna fidei damnatio conclamata eſt.*

Reſpond. Conclamata eſt, non quidem a Patribus Concilii Ariminenſis, ſed a Valente & Urſacio Epiſcopis Arianis, qui poſt diſſolutionem Concilii *cœperunt palmas ſuas jactare, dicentes, ſe filium non creaturam negaſſe, ſed ſimilem cæteris creaturis.*

Inſt. Addit Div. Hieronym. *Ingemuit totus orbis & Arianum ſe eſſe miratus eſt.* Ergo, &c. ...... *Reſp.* Miratus eſt ſe eſſe Arianum apparenter, *conc.* in rei veritate, *nego*. Nam Patres Ariminenſes, non niſi Arianorum dolis decepti, conſenſerunt ſuppreſſioni vocis, *omouſios*, rati nihil periculi eſſe, nec curandum *de vocabulo, cum ſenſus eſſet in tuto*, ait D. Hieron. & ideo detectis Arianorum fraudibus, reclamarunt, dicentes: *Putavimus ſenſum congruere cum verbis .... decepit nos bona de malis exiſtimatio*, &c. ita refert D. Hieron.

Objicies 3. Apoſtolus 2. ad Theſſal. 2. prædixit generalem apoſtaſiam futuram, in Eccleſia tempore Antichriſti, ergo .... *Reſp. nego.*

Nam

Nam Matth. 24. dicitur: *Propter electos breviabuntur dies illi*. Ergo erunt tunc veri Dei cultores.

Quæres 3. *Quinam eſt ſupremus controverſiarum fidei Judex?*

Reſp. Eſt ſola Eccleſia docens; id eſt, corpus Epiſcoporum Romano Pontifici adhærentium. His enim, & non aliis, dictum eſt: *Euntes docete omnes gentes*, Matth. ult. his, & non aliis Chriſtus promiſit ſpecialem aſſiſtentiam ad recte docendum, dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi...* Hinc Apoſtoli conſtanter affirmant ſibi ita commiſſum eſſe Evangelium, ut non niſi ab ipſis quærendum ſit: *Probati ſumus a Deo, ut nobis crederetur Evangelium*, ait Apoſt. 1. Theſſal. 2.

Quæres 4. *Utrum Eccleſia, per totum orbem diſperſa, ſit infallibilis in definiendis fidei & morum controverſiis?*

Reſp. affirm. Quia hanc infallibilitatem Chriſtus Eccleſiæ promiſit, 1. Quando Matth. 16. dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Atqui ſi non eſſet infallibilis, portæ inferi prævalerent adverſus eam.... 2. Quando Matth. ult. dixit: *Ite docete omnes gentes.... docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis, & ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Ergo Eccleſiæ Paſtoribus promiſit ſpecialem, ac perpetuam aſſiſtentiam, ne quid falſum docerent; ergo.

Objicies: Singuli Epiſcopi, ſeorſim ſumpti, ſunt infallibiles; ergo & omnes ſimul ſumpti; nam valet illatio a ſenſu diſtributivo ad collectivum .... *Reſp. diſt.* Valet illatio a diſtributivo ad collectivum, quando collectio non plus habet, quam diſtributio, *conced.* quando collectio aliquid habet, ſaltem ab extrinſeco, quod non habet, diſtributio, *nego*. Porro Chri-

Chriſtus infallibilitatem promiſit collectioni Epiſcoporum, non ſingulis Epiſcopis ſeorſim ſumptis.

Quæres 5. *Utrum Eccleſiæ judicium, de ſenſu librorum & propoſitionum definientis, ſit infallibile?*

Reſp. affirm. Nam Eccleſia eſt infallibilis in his quæ ad fidem pertinent, ut fide conſtat; atqui judicium de ſenſu orthodoxo, vel heterodoxo librorum, ad fidem pertinet. Ergo. *Prob. min.* Tum ex D. Leone, qui in ſua ad Synodum Chalcedonenſem Epiſtola, aſſerit: *Pertinere ad puritatem fidei atque doctrinæ; damnare hæreſes cum ſuis auctoribus.* Tum quia ſine infallibili Eccleſiæ judicio de ſenſu librorum, fides illibata cuſtodiri non poteſt, nec defendi: (cum ſine eo, nec SS. Patrum libros, in quibus fides traditur, approbare; nec hæreticorum ſcripta, in quibus evertitur, reprobare poſſit) ergo cum ſit de munere Eccleſiæ, fidem cuſtodire illibatam, eamque contra omnes novitates defendere, ejus de ſenſu librorum judicium, pertinet ad fidem .... Hinc Concilium generale V. tria capitula ſub anathematis pœna damnans, declarat ſe ea damnare virtute horum verborum: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, & *ſponſabo te mihi in fide*. Quibus Chriſtus promiſit Eccleſiæ infallibilem in rebus religionis auctoritatem.

Objicies: Quæſtio de ſenſu librorum eſt quæſtio facti; atqui Eccleſia non eſt infallibilis in quæſtionibus facti; ergo.

Reſp. diſt. maj. Eſt quæſtio facti dogmatici, id eſt, facti dogmate permixti, *conc.* facti particularis, ſeu perſonalis, *nego maj.* atqui Eccleſia non eſt infallibilis in quæſtionibus facti particularis, *conc.* pendet enim a teſtimonio hominum fallaci. In quæſtionibus facti dogmatici, *nego min.*

judi-

judicium enim Eccleſiæ de facto dogmatico, non pendet ex teſtimoniis hominum, ſed ex collatione doctrinæ in libris contentæ cum Scriptura & traditione, quæ ſunt certæ fidei regulæ.

Inſt. Multi Epiſcopi diu V. Concilio reſtiterunt, & damnationem trium capitulorum rejecerunt; ergo ſenſerunt judicium Eccleſiæ de factis dogmaticis non eſſe infallibile.

Reſp. diſt. ant. Damnationem trium capitulorum rejecerunt, eo quod crederent Eccleſiam falli poſſe in ſuo de textibus dogmaticis judicio, *nego ant.* eo quod falſo & ex errore crediderint tria capitula in Conc. Chalcedonenſi approbata fuiſſe, & Conc. V. non eſſe generale, *conc. ant.* unde illi Epiſcopi tanquam ſchiſmatici habiti ſunt ab Eccleſia, nec ad ejus communionem fuerunt admiſſi, niſi poſtquam tria capitula damnarunt, & Conc. V. ut legitimum & generale ſuſceperunt.

CAPUT IV.

De Romano Pontifice.

Quæres 1. UTrum *D. Petrus acceperit a Chriſto primatum in univerſa Eccleſia?*

Reſpond. Accepit, non ſolum ſupra fideles, ſed & ſupra alios Apoſtolos. Nam 1. Conſtitutus eſt fundamentum Eccleſiæ, Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam .....* 2. Accepit claves regni cælorum, *tibi dabo claves regni cælorum*, ibidem: nomine autem clavium intelligitur primatus & ſuprema poteſtas .... 3. Conſtitutus eſt Paſtor, non ſolum fidelium, ſed & omnium Paſtorum: Joann. 21. *Paſce agnos meos*, id eſt, fideles: *Paſce oves meas*, id eſt, Paſto-

res.

res. Ergo, &c. Quare Div. Hieron. *lib.* 1. *ad Jovinian.* ait: *Inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.*

Quæres 2. *Quinam D. Petro ſuccedit in univerſali primatu Eccleſiæ?*

Reſpond. Romanus Pontifex; quia tenet Cathedram in qua Petrus ſedit & mortuus eſt, ut teſtantur Euſebius in chronico annorum 44. & 71. Div. Hieron. de viris illuſtribus in Petro. Paulus Oroſius, *lib. 7. hiſt. cap. 6.* & alii omnes ſcriptores Eccleſiaſtici ſide digniſſimi... hoc dogma de fide definitum eſt in Conciliis Nicæno I. can. 6. *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum.* Chalced. Act. 16. Patres clamarunt: *Perpendimus omnem quidem primatum & honorem præcipuum ſecundum Canones antiquæ Romæ Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari.* Florentino, in quo ſic definitur ſeſſ. 6. *Definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Romanum Pontificem, ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem ac doctorem exiſtere, & ipſi B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro J. C. plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris canonibus continetur.*

Hinc Clerus Gallicanus in comitiis generalibus anni 1681. hanc de Rom. Pontifice edidit declarationem: *Caput eſt Eccleſiæ, centrum unitatis: obtinet ille in nos primatum auctoritatis & juriſdictionis ſibi a Chriſto Jeſu in perſona S. Petri collatum: qui ab hac veritate diſſentiret, ſchiſmaticus, immo & hæreticus eſſet.*

Objicies 1. Primatus totius Eccleſiæ fuit privile-

vilegium perſonale Petri; ergo non tranſit ad ejus ſucceſſores.

Reſp. diſt. antec. Fuit privilegium perſonale Petri; cum poteſtate, ipſi a Chriſto facta, illud alligandi ad aliquem determinatum locum, *conc.* ſine tali poteſtate, *nego*. Itaque primatus Petro primum collatus eſt ſine alligatione ad aliquem locum, ſed cum poteſtate illum poſtea ſic ad aliquem locum particularem alligandi; & cum Petrus, ex ſpeciali Dei inſpiratione & juſſu, ſedem Romæ ultimo fixerit, illiuſque Epiſcopus mortuus fuerit, inde factum eſt, ut Romanus Epiſcopus ſuccedat Petro in omni poteſtate quam Petrus pro ſe, & pro ſuis ſucceſſoribus, a Chriſto accepit.

Objicies 2. Ex facto Petri ſedem Romæ figentis ortum eſt, quod Romanus Epiſcopus, potius quam alter, ſuccedat Petro in primatu totius Eccleſiæ; ergo jure humano, non divino, ſuccedit in primatu.

Reſpond. diſt. antec. Ut ſuccedat in primatu, quoad ordinem ſucceſſionis, *conced.* quoad ipſam ſucceſſionem, *nego ant.* nam ut obſervat Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontifice, c. 12. *Aliud eſt ſucceſſio, aliud ordo ſucceſſionis: nam ſucceſſio Rom. Pontificis in Pontificatum Petri ex inſtituto Chriſti eſt; ratio autem ſucceſſionis, qua Rom. Pontifex, potius quam Antiochenus, aut aliquis alius, ſuccedat, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Chriſti inſtitutione. Nam potuiſſet Petrus nullam ſedem particularem ſibi unquam eligere, ſicut fecit quinque primis annis, & nunc moriente Petro, non Epiſcopus Romanus, neque Antiochenus ſucceſſiſſet, ſed is quem Eccleſia ſibi elegiſſet, potuiſſet quoque ſemper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus ſine dubio ſucceſſiſſet; quia vero Romæ ſedem fixit & tenuit uſque ad mortem, inde factum eſt, ut Roman. Pontifex ei ſuccedat.*

Inſt.

Inſt. Primatus a canonibus Rom. Pontifici eſt delatus, nam ſic ait canon 28. Concilii Chalced. *Antiqua Romæ throno, quod Urbs illa imperaret, Jure Patres privilegia contulerant.* Ergo jure humano primatus competit Rom. Pontifici.

Reſp. nego ant. Concil. enim Chalcedonenſe, nullum novum privilegium Rom. Pontifici tribuit, ſed privilegia ei a Chriſto collata declaravit & definivit, quomodo Conc. Nicænum definivit Chriſtum eſſe conſubſtantialem Patri, ut docet D. Thom. opuſculo contra impugnantes religionem: *Eccleſia Romana nullis Synodicis conſtitutis, cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Evangelica voce Domini & Salvatoris noſtri primatum obtinuit.*

CAPUT V.

De Conciliis in genere & in particulari.

§. I. *De Conciliis in genere.*

Quæres 1. *Quid eſt Concilium?*

Reſp. Definitur: *Congregatio Prælatorum Eccleſiæ legitima auctoritate convocatorum, ad tractandum de rebus Eccleſiæ gravioribus.* Quales ſunt res fidei, morum, & diſciplinæ.

Quæres 2. *Quot ſunt Conciliorum genera?*

Reſp. Quatuor, *generale* nimirum, quod univerſam repræſentat Eccleſiam, & quod *œcumenicum* vocatur, quando convocatione, celebratione, & exitu legitimum eſt; *nationale*, quod regni alicujus; Provinciale, quod alicujus Provinciæ; & *Diœceſanum*, quod cujuſdam Diœceſis particularis repræſentat Eccleſiam.

Quæres 3. *Cujuſnam eſt Concilium generale convocare?*

Reſp.

Reſp. Eſt ſummi Pontificis, cui ſoli competit poteſtas ordinaria convocandi Concilia generalia. Ita ut niſi Concilium ab ipſo, vel ab alio de ejus conſenſu & auctoritate convocetur; aut ſaltem niſi convocatio, ab alio facta, ab ipſo rata habeatur, non poſſit eſſe Concilium generale & œcumenicum. *Ratio eſt*, quia ſolus eſt univerſalis Eccleſiæ caput, Paſtor, & Princeps, cui ſoli dictum eſt Jo: 21. *Paſce agnos meos*, *paſce oves meas*. Hæc veritas in Concil. Nicæno I. *can.* 1. definita eſt his verbis: *Non debent præter ſententiam Rom. Pontificis Concilia celebrari*.

Objicies 1. Octo priora Concilia generalia, non a Rom. Pontificibus, ſed ab Imperatoribus fuerunt convocata, & tamen habentur ut legitima & œcumenica; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Fuerunt convocata ab Imperatoribus, auctoritate & conſenſu Romanorum Pontificum a quibus erant rogati, *conc.* proprio ſuo nomine & auctoritate, *nego*. Tali porro uſi ſunt œconomia Romani Pontifices, quia ſine Imperatorum auxilio non potuiſſent Epiſcopos congregare: 1. Quia Legibus imperii cautum erat, metu ſeditionum, ne, citra Imperatoris auctoritatem, ullus fieri poſſet hominum conventus. 2. Quia Patres ad Concilium concurrentes indigebant Imperatorum auxilio tam pro ſecuritate itineris, quam pro ſumptibus neceſſariis quos Imperatores Epiſcopis, utpote pauperibus, debebant ſuppeditare.

Objicies 2. Poſſunt dari caſus, in quibus convocatio Concilii generalis eſt neceſſaria, v. g. ſi plures de Papatu contendant, nec ullus velit cedere, nec Concilium convocare; ergo non ſoli Romano Pontifici competit poteſtas convocandi Conc. generalia.

Reſp. diſt. conſeq. Non ſoli Rom. Pontifici competit

petit poteſtas ordinaria, *nego*. Extraordinaria, *conc.* porro caſus allegatus eſt extraordinarius, in quo fatemur poſſe abſque conſenſu Papæ congregari Concilium, vel per Cardinales, qui Sede vacante Eccleſiam Romanam moderantur, vel per Epiſcopos, motu proprio in unum convenientes, & ideo dixi in reſponſione: *Poteſtas ordinaria*.

Quæres 4. *Quinam ſint ad Concilia vocandi?*

Reſp. Epiſcopi, qui ſoli, *de jure*, habent in Conciliis jus ſuffragii, deciſivi tanquam judices fidei; quia iis ſolis dictum eſt Act. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; ergo ad eos ſolos pertinet munus paſcendi & regendi Eccleſiam. Unde ſoli in Conciliis ſubſcribunt his verbis: *Ego N. Epiſcopus definiens ſubſcripſi*.

Dixi in reſp. *de jure*: quia de conſuetudine vocantur, 1. Cardinales, Generales Ordinum, & aliqui Abbates, quibus ex privilegio S. Pontificis conceditur ſuffragium deciſivum .... 2. Theologi & Juriſperiti, ſed tantum ut conſultores .... 3. Imperator, Reges & Principes, ſed tantum ut Concilii defenſores.

Objicies: In Concilio Apoſtolorum, *Actor*. 15. dicitur: *Convenerunt Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc*. Atqui per tò, *Seniores* intelliguntur ætate provectiores; ergo, &c.

Reſp. nego min. Nam per tò *Seniores*, intelligi debent *Presbyteri*; ſic enim vertunt tranſlatio ex Syriaco, & tranſlatio Eraſmi permiſſa. Et quamvis non ſit certum, an Presbyteri illi fuerint ſimplices Sacerdotes, an Epiſcopi, probabile tamen eſt quod fuerint Epiſcopi; nomen enim *Presbyter*, ſumitur pro Epiſcopo, ſic 1. *Petri*, *cap. ult.* dicitur: *Seniores ergo, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior*: Quod ſi fue-

fuerint ſimplices Sacerdotes, convenerunt ut conſultores ad diſcutiendam controverſiam, juxta illud: *Cum magna diſquiſitio fieret:* ſed nullo modo apparet quod Laici fuerint vocati.

Inſt. Cauſa fidei & morum pertinet ad omnes fideles; ergo ab omnibus tractanda eſt...

Reſpond. Pertinet ad omnes fideles ſed diverſo modo; nam pertinet ad Epiſcopos ut Judices; ad alios fideles ut diſcipulos; Epiſcoporum ergo eſt definire & docere; fidelium vero definientes audire, & res ab eis definitas credere.

Quæres 5. *Quid requiritur ad legitimam Conciliorum generalium celebrationem?*

Reſp. Requiritur & ſufficit 1. Ut convocatio ſit generalis, ita ut omnibus majoribus Eccleſiæ Provinciis innoteſcat. 2. Ut nullus Epiſcopus excludatur, niſi ſit excommunicatus. 3. Ut ex majori parte Provinciarum Eccleſiæ, aliqui adveniant qui cæterorum vota & vices ſuppleant; ita tamen ut ſi Concilium celebretur in Oriente, ſufficiat multos ex Provinciis Orientis convenire, & aliquos ex Provinciis Occidentis; ſi autem celebretur in Occidente, ſufficiat ſi multi ex Provinciis Occidentis adveniant, & aliqui ex Oriente, qui cæteros repræſentent.

Quæres 6. *Quiſnam debet generalibus Conciliis præeſſe?*

Reſpond. Summus Pontifex, vel per ſe, vel per Legatos, quibus partes ſuas commiſerit. Nam 1. Solus ex inſtitutione divina primatum obtinet in univerſa Eccleſia. 2. SS. Pontifices præfuerunt omnibus Conciliis generalibus, quæ hucuſque habita ſunt, excepto ſecundo, quod œcumenicum non evaſit, niſi quia S. Pater Damaſus illud approbavit & confirmavit.

Objicies: Conſtantinus Pogonatus præſedit

Con-

Concilio VI. nam initio actionum ejus legitur: *Præſidente eodem piiſſimo ..... Imperatore Conſtantino*; ergo, &c.

Reſp. diſt. Præſedit præſidentia honoraria, non vero præſidentia auctoritativa.

Quæres 7. *Quid requiratur ad legitimum Concilii exitum?*

Reſp. Quatuor; 1. Ut Epiſcopi convocati, habeant ſuffragiorum libertatem .... 2. Ut nullus a Concilio excludatur qui audiri voluerit ..... 3. Ut adhibeatur humana diligentia in inquirenda veritate, quia cum Epiſcopis in Concilio congregatis non fiat nova revelatio, debent in puriſſimis Scripturæ & traditionis fontibus detegere quæ habent fidelibus proponenda; ad hoc autem requiruntur ſtudium, collationes, diſputationes, &c. .... 4. Ut Concilium approbetur & confirmetur a Rom. Pontifice, juxta cap. *Significaſti*, de elect. ubi dicitur; *Omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem robur accepiſſe*.

Quæres 8. *Utrum Concilium generale perfecte œcumenicum ſit infallibile in fidei & morum controverſiis definiendis?*

Reſpond. affirm. 1. Quia univerſam repræſentat Eccleſiam, quæ in controverſiis de fide & moribus eſt infallibilis, cum ſit *columna & firmamentum veritatis* ...... 2. Quia definitio Concilii, eſt ipſamet definitio Spiritus ſancti, juxta illud in Concilio Jeroſolymitano aſſertum, Act. 15. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis* .... 3. Id etiam probatur ex perpetua traditione & ſenſu Eccleſiæ, quæ Conciliorum œcumenicorum definitiones ut infallibiles & irreformabiles ſemper venerata eſt, quæque pro hæreticis habuit quotquot eorum definitionibus contradixerunt.

Objicies 1. Div. Auguſt. *lib.* 3. *contra Maxi-*

minum, ait: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium; nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris;* ergo, &c.

Reſpond. nego conſeq. Ideo enim ſic loquitur D. Auguſt. quia Maximinus rejiciebat Concilium Nicænum ut illegitimum, & admittebat Ariminenſe, quod D. Auguſt. rejiciebat; ergo incaſſum laboraſſent citando utrumque illud Concilium.

Inſt. D. Auguſt. *lib. 2. de Bapt. capit. 5.* aſſerit, *Plenaria Concilia a poſterioribus emendari poſſe.* Ergo .... *Reſp. diſt.* In iis quæ ſunt facti aut diſciplinæ, *conc.* in controverſiis fidei & morum, *nego.*

Objicies 2. Div. Gregor. Nazianz. *Epiſt. 55. ad Procop.* aſſerit, *Se nullius Concilii finem lætum & fauſtum vidiſſe;* ergo .... *Reſpond.* Loquitur de Conciliis particularibus, in quibus Ariana factio prævaluerat.

Quæres 9. *Utrum Concilia particularia, nationalia, nempe, & provincialia, ſint infallibilia?*

Reſpond. Non ſunt infallibilia de ſe, ut conſtat ex Conc. Carthaginenſi, in quo 80. Epiſcopi, ſub D. Cypriano congregati, erronee definierunt, Baptiſmum ab hæreticis datum, eſſe invalidum ..... Si tamen S. Pontificis approbatione & acceſſu, ac Eccleſiæ univerſæ applauſu ſint firmata, ſunt infallibilia; quia firmantur infallibili Eccleſiæ auctoritate.

Quæres 10. *Utrum Concilia generalia ſint abſolute & in omni eventu neceſſaria?*

Reſp. negat. Nam variæ hæreſes abſque Conciliis generalibus fuerunt damnatæ, varia ſchiſmata extincta, tum ab Eccleſia diſperſa, tum a SS. Pontificibus; tum a Conciliis particularibus S. Pontificis auctoritate roboratis.

Quæres 11. *An ſaltem in aliquibus caſibus*

Concilia generalia ſint quodammodo abſolute neceſſaria?

Reſp. affirmat. Quia ſine Concilio generali aliquoties, neque finis imponi controverſiis, neque hæreſes efficaciter confutari, neque decreta fidei & morum convenienter determinari poſſunt; ergo quandoque Concilia generalia ſunt quodammodo abſolute neceſſaria, *ut veritas inveſtigaretur, inventa ſtabiliretur, omniſque contradicentibus occaſio præriperetur*, ait Nilus Theſſalonicenſis, *libr.* 1. *de primatu Papæ*.

Quæres 12. *In quibus caſibus Concilii generalis celebratio eſt quodammodo abſolute neceſſaria?*

Reſp. Sunt tres. *Primus*, eſt hæreſis nova, non quæcumque, ſed ea quæ a pluribus, iiſque inſignibus Eccleſiis propugnata, ſuo veneno poteſt magnos inficere populos .... *Secundus*, eſt ſchiſma inter duos, vel plures de Papatu contendentes ..... *Tertius*, eſt reformatio generalis abuſuum, qui in Eccleſiam irrepſerunt.

§. II. *De Conciliis generalibus in ſpecie.*

Quæres 1. *Quot ſunt Concilia Apoſtolorum certa?*

Reſp. Sunt tria Jeroſolymis habita. 1. Ad eligendum aliquem in locum Judæ proditoris. 2. Ad eligendos ſeptem Diaconos. 3. Pro dirimenda controverſia Antiochiæ orta de Circumciſione, aliiſque legalibus cæremoniis ſervandis a gentilibus ad Chriſtum converſis.

Quæres 2. *Quodnam eſt Concilium generale primum poſt tempora Apoſtolorum celebratum?*

Reſpond. Eſt *Nicænum I.* a S. Silveſtro ſub Conſtantino Magno convocatum anno 325. in quo definitum eſt ... 1. Contra Arium, Ver-

bum eſſe Deum, & ejuſdem eſſentiæ cum Patre ... 2. Paſcha debere celebrari die Dominica, quæ occurreret poſt 14. Lunam Martii, contra Quatuordecimanos, qui aſſerebant Paſcha debere celebrari 14. Luna Martii more Judæorum ..... 3. Extinctum fuit ſchiſma quod Meletius conflaverat contra Eccleſiam Alexandrinam .... 4. In hoc Concilio conditi ſunt Canones 20. pro diſciplina eccleſiaſtica reſtauranda.

Hoc Concilium eſt perfecte *œcumenicum*, ſicut & Concilium *Sardicenſe*, quod Nicæno I. adjungitur tanquam illius appendix, quia in eo nihil de novo fuit conſtitutum, ſed ſolum fides Nicæna confirmata. *Primum*, fuit approbatum a S. Silveſtro. *Secundum* a Julio I.

Quæres 3. *Quodnam eſt Concilium generale ſecundum?*

Reſp. Eſt, *Conſtantinopolitanum I.* a Theodoſio ſeniore, annuente Damaſo Papa, congregatum, anno 381. in quo definitum eſt, contra Macedonium, Spiritum ſanctum eſſe Deum cum Patre & Filio adorandum.

Licet hoc Concilium, convocatione non fuerit generale, cum ad illud Occidentales Epiſcopi non fuerint vocati, evaſit tamen generale *œcumenicum*, quando Damaſus Papa illius decreta, ad ſe miſſa, approbavit, ac ei, cum ſuo Rom. Concilio, acceſſit.

Quæres 4. *Quodnam eſt Concilium generale tertium?*

Reſp. Eſt, *Epheſinum*, a Theodoſio juniore, annuente S. Papa Cæleſtino I. congregatum, anno 431. in quo definitum eſt, contra Neſtorium, unam tantum eſſe in Chriſto perſonam Verbi; ac proinde Mariam vere dici, ac eſſe Dei-param .... Hoc Concilium eſt perfecte *œcumenicum*, a S. Cæleſtino approbatum.

Quæres 5. *Quodnam eſt Concilium generale quartum?*

Reſp. Eſt, *Chalcedonenſe*, anno 451. a Sancto Leone magno, Marciano imperante, fuit convocatum; in eo 1. Dioſcorus fuit depoſitus eo quod in Concilio Epheſino II. præſidentiam Legatis Romani Pontificis denegaverit, eamque uſurpaverit ...... 2. Latrocinii Epheſini (ſic vocatur Conc. Epheſinum II.) acta fuerunt reprobata ..... 3. Definitum eſt, contra Eutychen in Chriſto duas naturas *inconfuſe, incommunicabiliter, indiviſe, inſeparabiliter, in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrere* .... 4. Theodoretus Cyrenſis & Ibas Edeſſenus, qui Conciliabulo Epheſino a Dioſcoro fuerant depoſiti tanquam Neſtoriani, fuerunt in ſuas Sedes reſtituti, poſtquam dixerunt, *Anathema Neſtorio*, & ſubſcripſerunt definitioni Fidei & Epiſtolæ S. Leonis .... Hoc Concilium eſt perfecte *œcumenicum*; a Sancto Leone approbatum.

Quæres 6. *Quodnam eſt Conc. generale V.*

Reſp. Eſt, *Conſtantinopolitanum II.* ann. 553. a Juſtiniano ſeniore, annuente S. P. Vigilio, convocatum ...... In eo 1. errores Origenis damnati ſunt ...... 2. Damnatus eſt Theodotus Mopſueſtenus, & ejus anathematiſmi adverſus S. Cyrillum ..... 3. Damnata & anathematizata ſunt ſcripta Theodoreti, & Ibæ Edeſſeni Epiſtola ad Marium Perſam; ſed perſonis eorum, quæ ſuſceptæ erant a Conc. Chalcedonenſi, nulla inuſta eſt nota .... Eſt perfecte *œcumenicum*, probatum a Vigilio Papa, ac a Leone II.

Quæres 7. *Quodnam eſt Concil. generale VI.*

Reſp. Eſt, *Conſtantinop. III.* ann. 681. a Conſtantino Pogonato, annuente S. P. Agathone, convocatum ..... In eo 1. damnati ſunt Mono-

nothelitæ cum ſua hæreſi ..... 2. Definitum eſt eſſe in Chriſto, *duas naturales voluntates, & duas naturales operationes indiviſe, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfuſe* ..... Eſt perfecte *œcumenicum*, approbatum a S. P. Agathone.

Quæres 8. *Quodnam eſt Conc. generale VII.*

Reſp. Eſt, *Nicænum II.* ann. 787. a Conſtantino & Irene ejus matre, de expreſſo Hadriani I. conſenſu, convocatum ..... In eo fuerunt damnati Iconomachi, hoc eſt, imaginum effractores, reſtitutuſque eſt uſus, & cultus ſacrarum imaginum ..... Eſt perfecte *œcumenicum*, approbatum ab Hadriano Papa.

Quæres 9. *Quodnam eſt Concil. gener. VIII.*

Reſp. Eſt, *Conſtantinop. IV.* ann. 869. a Baſilio Imperatore, de expreſſo Hadriani II. conſenſu convocatum ..... In eo. 1. Photius, qui, expulſo D. Ignatio a Sede Conſtantinopolitana, illam Sedem invaſerat, fuit depoſitus, & D. Ignatius reſtitutus .... 2. Varii conditi ſunt Canones ad diſciplinam ſpectantes ..... Eſt perfecte *œcumenicum*, ab Hadriano II. approbatum.

Quæres 10. *Quodnam eſt Concil. generale IX.*

Reſp. Eſt, *Lateranenſe I.* ann. 1123. a Calixto II. tempore Henrici IV. Imperatoris, convocatum ..... In eo. 1. Henricus IV. dimiſit Eccleſiæ omnem inveſtituram per annulum & baculum tradendam; poſſeſſiones Eccleſiæ ablatas reſtituit; promiſitque ſe electiones & conſecrationes omnino liberas relicturum ...... 2. Conceſſum eſt Henrico IV. ut ſe præſentem ſiſteret electionibus, quæ in illius imperio fierent; atque ut electis *Regalia* per Sceptrum regium daret, nunquam vero per baculum & annulum ..... 3. Actum eſt de expoſitione pro recuperatione Terræ ſanctæ .... 4. Varii editi ſunt

ti ſunt Canones pro reſtauranda diſciplina eccleſiaſtica ..... *Oecumenicitas* hujus Concilii certa eſt apud omnes.

Quæres 11. *Quodnam eſt Conc. generale X.*
Reſp. Eſt, *Lateranenſe II.* ann. 1139. ab Innocentio II. convocatum, ad tollendum ſchiſma per *Petrum Leonem* in Eccleſia factum.... 1. In eo Concilio *Petri Leonis*, aliorumque ſchiſmaticorum acta, ſunt reſciſſa .... 2. Damnati ſunt hæretici, *Petrus de Bruis*, & *Arnaldus de Brixia*, cum eorum hæreſibus... 3. Ad diſciplinam reſtituendam varii conditi ſunt Canones, inter quos Canon: *Si quis, ſuadente diabolo*, eſt præcipuus. *Oecumenicitas* hujus Concilii certa eſt apud omnes.

Quæres 12. *Quodnam eſt Concilium generale XI.*

Reſp., Eſt, *Lateranenſe III.* ann. 1179. ab Alexandr. III. convocatum ad tollendum ſchiſma in Eccleſiam invectum per Cardinalem Octavianum .... 1. In eo, ad vitanda in poſterum ſchiſmata, ſtatutum eſt, nullam deinceps Papæ electionem fore canonicam, niſi duæ partes Cardinalium ad eam conſpirent ... 2. Ordinationes ab Anti-papis celebratæ, irritæ (quoad uſum) declaratæ fuerunt, & collationes beneficiorum nullæ ..... 3. Damnati ſunt VValdenſes & Albigenſes .... 4. Canones circa diſciplinam fuere conditi, maxime ad uſuram & ſimoniam confodiendas .... *Oecumenicitas* hujus Concilii eſt certa apud omnes.

Quæres 13. *Quodnam eſt Concil. generale XII.*

Reſp. Eſt, *Lateranenſe IV.* ann. 1215. ab Innocentio III. convocatum .... 1. In eo damnatus eſt liber, quem Abbas Joachim ſcripſit contra Petrum Lombardum ..... 2. Damnata ſunt impia & ſtulta dogmata *Almarici de Bena*,

qui tranſubſtantiationem negabat ... 3. Statuta eſt expeditio pro recuperatione Terræ ſanctæ .... 4. Inter varios Canones pro morum reformatione, celeber ille, qui incipit: *Omnis utriuſque ſexus*, conditus eſt. Hujus Concilii *œcumenicitas* ita eſt conſpicua, ut quoties in jure canon. laudatur Concilium Lateranenſe fine addito, intelligatur Concil. Lateran. IV.

Quæres 14. *Quodnam eſt Concilium generale XIII.*

Reſp. Eſt, *Lugdunenſe I.* ann. 1245. ab Innocentio IV. convocatum, contra Fridericum II. Imperatorem: qui erga Eccleſiam Romanam tyrannice ſe gerebat ..... 1. In eo ſententia excommunicationis & depoſitionis in Fridericum lata eſt ab Innoc. IV....... 2. Renovatum eſt decretum pro expeditione contra Turcas facienda .... 3. Varii conditi ſunt Canones diſciplinam ſpectantes ... Hoc Conc. eſt perfecte *œcumenicum*, approbatum ab Innocentio IV.

Quæres 15. *Quodnam eſt Concilium generale XIV.*

Reſpond. Eſt, *Lugdunenſe II.* ann. 1274. a Gregorio X. convocatum ..... 1. In eo definitum eſt Spiritum ſanctum a Patre Filioque procedere, tanquam ex uno, non autem tanquam ex duobus principiis ...... 2. Damnati ſunt qui de novo *regalia* uſurpabant, & qui hæc fieri procurabant ..... 3. Græcis promiſſa fuit decima pars bonorum Eccleſiaſticorum pro Terræ ſanctæ expeditione .... *œcumenicitas* hujus Concilii eſt indubia.

Quæres 16. *Quodnam eſt Concilium generale XV.*

Reſp. Eſt, *Viennenſe*, ann. 1311. a Clemente V. convocatum ...... In eo 1. Templariorum Ordo

Ordo fuit penitus extinctus ..... 2. Damnati ſunt Fratricelli, Dulciniſtæ, Beguardi, & Beguinæ.... 3. Decreta eſt nova expeditio pro recuperatione Terræ ſanctæ.... 3. Editæ ſunt variæ conſtitutiones pro morum reformatione, quæ in jure, *Clementinæ*, dicuntur. *Oecumenicitas* hujus Concilii conſtat apud omnes.

Quæres 17. *Quodnam eſt Concilium generale XVI.*

Reſp. Eſt, *Piſanum*, ann. 1409. ad extinguendum ſchiſma quod in Eccleſia excitaverant *Angelus Corarius*, Gregorius XII. dictus, & *Petrus de Luna*, Benedictus XIII. nuncupatus, convocatum ab utriuſque obedientiæ Cardinalibus, quibus præerat *Cardinalis Pictaviensis*, utriuſque obedientiæ Decanus .... in hoc Concilio duo de Papatu contendentes, poſt trinam de jure citationem non comparentes, velut contumaces & perjuri fuerunt depoſiti; atque in eorum locum fuit ſuffectus Alexander V. qui decreta Concilii approbavit; ideoque eſt *œcumenicum*. Ordinarie tamen non recenſetur inter Concilia œcumenica, quia in eo ſchiſma fuit ſopitum, non extinctum: nam Alexandro V. uno poſt ſui electionem anno, Bononiæ mortuo, in ejus locum electus eſt *Balthaſſar Coſſa*, dictus *Joannes XXIII.* ſicque cum Gregor. XII. & Benedictus XIII. decreto Concilii Piſani non parerent, tres nomine viſi ſunt Pontifices in Eccleſia, indeque auctum ſchiſma, quod a 30. annis Eccleſiam diſſecabat.

Quæres 18. *Quodnam eſt Concilium generale XVII.*

Reſp. Eſt, *Conſtantienſe*, ann. 1414. a Joanne XXIII. ad extinctionem ſchiſmatis, & graſſantium variarum hæreſum damnationem, convocatum.

In hoc Concilio 1. damnati ſunt 45. Articuli Joann. VViclefi Presbyteri Angli; & 31. Articuli Joann. Huſſ. .... 2. Hieronymus de Praga, tanquam fautor Articulorum VViclefi, & Huſſ traditus eſt brachio ſæculari, a quo vivens exuſtus eſt .... 3. Pronuntiata eſt ſententia depoſitionis in *Joannem XXIII.* qui ſententiæ acquievit ..... 4. admiſſa eſt unanimi conſenſu *Gregorii XII.* reſignatio .... 5. *Benedictus XIII.* e Pontificatu fuit depoſitus, tanquam contumax, & ſchiſmatis fautor .... 6. Martinus V. fuit electus.

Quæres 19. *Utrum hoc Concil. œcumenicum?*

Reſp. 1. Aliqui volunt illud eſſe partim legitimum, partim illegitimum; legitimum nempe in iis ſeſſ. in quibus damnati ſunt errores Joann. VViclefi, & Joann. Huſſ. illegitimum vero in iis ſeſſ. in quibus definiit S. Pontificem eſſe Concilio inferiorem. Quia illæ Seſſiones habitæ ſunt ab iis ſolis qui erant de obedientia Joann. XXIII. qui jam e Concilio receſſerat. Unde non ſunt habitæ *conciliariter*; atqui Martinus V. ea ſolum decreta approbavit, quæ facta ſunt *conciliariter*, *& non aliter, nec alio modo*.

Reſp. 2. Aliqui alii docent, Concilium eſſe perfecte legitimum, decretumque, quod, ſeſſ. 4. & 5. fuit editum, ſpectare quamlibet Synodum generalem; atque abſolute definire, *quemlibet cujuſcumque dignitatis, etiamſi papalis exiſtat, debere obedire Concilio*.

Reſp. Alii tandem docent, Concilium eſſe perfecte legitimum, ſed decretum, ſeſſ. 4. & 5. editum, non eſſe *abſolutum*, ſed *reſtrictum* ad illud Concilium, quod tempore ſchiſmatis celebratur, quando ſcilicet, nullus eſt Papa indubius.

Quæres 20. *Quodnam eſt Concil. gener. XVIII.*

Reſp.

Reſp. Eſt, *Baſileenſe*, a Martino V. convocatum, quæ convocatio ab Eugenio IV. qui Martino ſucceſſit, confirmata eſt. Cœpit anno 1431.

Quæres 21. *Quænam geſta ſunt in hoc Concilio?*

Reſp. 1. Seſſio prima habita eſt ſub *Juliano* Eugenii IV. Legato ..... 2. Eugenius, poſt hanc ſeſſionem, Julianum Legatum revocavit, Concilium diſſolvit, & aliud Bononiæ celebrandum indixit ..... 3. Non obſtante hac diſſolutione Patres Baſileenſes, ſub præſidentia *Ludovici Alemanni*, Card. & Epiſcopi Arelatenſis, continuaverunt ſeſſiones, in quarum 1. & 2. definierunt Concilium eſſe ſupra Papam ..... 4. Citarunt Eugenium, *ſeſſ.* 12. atque oraverunt, ut diſſolutionem Concilii revocaret, quam pro bono pacis irritavit, Concilii continuationem approbavit; atque Legatos iterum miſit ad Concilium ..... 5. Concilium, *ſeſſ.* 18. iteravit decretum de Concilii ſupra Papam ſuperioritate; quam ob cauſam Legati Eugenii ſecundo diſceſſere, ac *Eugenius* Concilium tranſtulit Ferrariam, anno 1437. quo tranſiit cum majori parte Patrum Baſileenſium .... 6. Patres, qui Baſileæ remanſerunt, continuaverunt Concilium a ſeſſ. 25. ad ſeſſionem 45. in quibus irritaverunt Bullas translationis Concilii, definierunt ſuperioritatem Concilii ſupra Papam, eſſe veritatem fidei divinæ, atque depoſuerunt *Eugenium IV.* in cujus locum elegerunt *Amedeum*, Ducem Sabaudiæ, cui *Felicis V.* nomen impoſuerunt, & qui paulo poſt ad pacem Eccleſiæ dandam abdicavit.

Quæres 22. *An Concilium Baſileenſe ſit legitimum?*

Reſp. 1. Conveniunt omnes, illud non fuiſſe legitimum, ſed degeneraſſe in merum Conciliabulum a ſeſſ. 25. uſque ad ultimam.

Reſpond.

Reſpond. 2. Circa alias ſeſſiones duplex eſt ſententia.

Prima, Quæ in Italia, Hiſpania, Germania, &c. docet Concil. Baſileenſe, poſt primam ſeſſionem, factum fuiſſe illegitimum, nec a *Nicolao V.* fuiſſe confirmatum, niſi in iis ſolis quæ definita fuerant circa beneficia & Cenſuras Eccleſiaſticas; in aliis vero fuiſſe reprobatum, tum ab *Eugenio IV.* tum a Conciliis Florentino & Lateranenſi V. in quo vocatur *Conciliabulum omni robore carens*.

Secunda, Quæ in Gallia propugnatur, docet Concilium illud fuiſſe legitimum a 1. ſeſſ. uſque ad 25. quia fuit approbatum a *Nicolao V.* non tamen admittitur ab omnibus; nam ipſe Duvallius, Doctor Pariſienſis loquens de hoc Concilio, ait: *Hoc Concilium pro beneficiorum Pragmaticis tantum recipitur: nec unquam Pontificis calculo, qui ad Conciliorum firmitatem & valorem eſt neceſſarius, fuit confirmatum.*

Quæres 23. *Quodnam eſt Concilium generale XIX.*

Reſp. Eſt, *Florentinum*, ab Eugenio IV. ad unionem Græcorum cum Latinis convocatum ann. 1438. in eo definitum eſt. 1. Spiritum ſanctum a Patre filioque procedere ... 2. Corpus Chriſti veraciter confici, ſive in azimo, ſive in fermentato pane triticeo ... 3. Animas, quibus aliquid luendum ſupereſt, in Purgatorio detineri, ipſiſque prodeſſe vivorum ſuffragia .... 4. S. Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, &c. .... eſt perfecte *œcumenicum*, ut declarat *Eugenius IV.* dicens, ſuum decretum editum fuiſſe, *ſacro approbante œcumenico Concilio Florentino.*

Quæres 24. *Quodnam eſt Concilium generale XX.*

Reſp. Eſt, *Lateranenſe V.* ann. 1512. a Julio II. convocatum, ad præveniendum ſchiſ-

ma in Eccleſia imminens: per Conciliabulum quod aliqui Cardinales *Piſis* contra *Julium* convocaverant .... Huic Concilio præfuit *Julius* uſque ad 4. ſeſſionem, quo defuncto, in 5. ſeſſione, cui præfuit Cardinalis Oſtienſis, electus eſt Leo X. qui cæteris præfuit.

In hoc Concilio 1. Conciliabulum *Piſanum* fuit reprobatum. 2. Actum eſt de pace componenda inter Principes chriſtianos. 3. Montes pietatis fuerunt approbati. 4. Publicata fuit Pragmaticæ ſanctionis abrogatio, & pacta inter Leonem X. & Franciſcum I. Regem Galliæ concordata, in locum Pragmaticæ ſubſtituta. 6. A Leone X. ſpeciali diplomate fuit confirmatum..... *œcumenicitas* hujus Concilii certa eſt in toto orbe Chriſtiano, dempta Gallia: quia Senatus & Academia Pariſienſis, approbante Clero Gallicano, appellationem ab iſto Concilio ad aliud futurum generale interjecerunt, propter abrogatam Pragmaticam.

Quæres 25. *Quodnam fuit Concilium generale XXI.*

Reſp. Eſt, *Tridentinum*, anno 1545. a Paulo III. ad damnandos errores Lutheri & Calvini, convocatum .... multa in hoc Concilio circa fidem, mores, & diſciplinam fuerunt tractata & definita, quæ hic recenſere vanum foret, cum hoc Concilium omnium manibus teratur.

Quæres ultimo, *Utrum Concilium Tridentinum ſit œcumenicum?*

Reſp. Eſt perfecte *œcumenicum*, quia legitime fuit convocatum, celebratum, & a *Pio IV.* confirmatum Bulla ſingulari, quia illud recipi & ab omnibus obſervari mandatur.

Dices: Non eſt receptum in Gallia; ergo, &c. ...... *Reſp. diſt.* Quoad aliqua diſciplinæ decreta, quæ regni juribus & conſuetudinibus, ex ve-

ex veterum Canonum præſcripto ſervari ſolitis, adverſantur, *conc.* quoad fidem, mores, & cætera diſciplinæ decreta, *nego antec.* Nam fuit receptum non ſolum in Conciliis Provincialibus, ſed maxime in comitiis Cleri generalibus Lutetiæ Pariſiorum, *anno* 1615.

CAPUT VI.

De Locis extrinſecis Theologiæ.

Quæres 1. Q*Uanta ſit Doctorum Scholaſticorum auctoritas ad faciendam fidem?*

Reſp. Diſtinguendum eſt. *Si alii Scholaſtici diſſentiant*, etiam in minori numero, non majoris eſt ponderis eorum auctoritas, quam rationes quibus nituntur: unde expendendæ ſunt & ponderandæ rationes quibus utuntur, *Si communiter unam opinionem teneant*, eorum auctoritas argumentum ſubminiſtrat ita probabile, ut abſque temeritate non poſſit rejici: quia in qualibet arte, peritis credendum eſſe, ratio demonſtrat. *Si unanimiter in unum dogma conſentiant*, tanta eſt eorum auctoritas, ut ei contradicere, ſi non erroneum, ſaltem errori proximum ſit; quia pluſquam probabile teſtimonium eſt, ſic ferre traditionem, ut docet Canus, *lib.* 8. *de locis cap.* 4.

Quæres 2. *An ratio naturalis, certa Theologo poſſit ſuppeditare argumenta?*

Reſpond. Certa argumenta ſubminiſtrat, nam v. gr. ex hoc principio: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*: certo concludit, ergo *non furandum*, &c. ſed non ſubminiſtrat argumenta Theologica, cum concluſio Theologica, ex una ſaltem prop. revelata deduci debeat. Eſt tamen Theologo utilis, immo & neceſſa-

ceſſaria, quia abſque ea non poteſt *exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.* Ratio tamen ſemper ſubjicienda eſt revelationi, velut ancilla quæ *ſubſerviat fidei*, ait D. Thom. 1. *p. q.* 1. *art.* 8. *ad* 2.

Quæres 3. *An Philoſophorum placita, certa Theologo argumenta ſufficere poſſint?*

Reſp. Non poſſe, niſi firma, ac demonſtrativa ratione fulciantur; unde eorum auctoritas ex eorum rationibus penſanda eſt.

Quæres 4. *Quodnam argumenti genus ſubminiſtrant hiſtorici fide digni?*

Reſp. Diſtinguendum eſt. *Si plures hiſtorici fide digni aliquod factum enarrent*, probabile argumentum ſuppeditant, quia imprudens eſt, qui pluribus fide dignis non adhibet fidem. *Si omnes hiſtorici fide digni, aliquod factum, nullo contradicente, enarrent*, ſubminiſtrant argumentum certum; quia de facto, quod ab omnibus probatis ac fide dignis hiſtoricis, nullo contradicente, refertur, nemo, niſi inſipiens ſit, dubitare poteſt.

Quæres 5. *Quanam conditiones requiruntur, ut hiſtoricus cenſeatur omni fide dignus.*

Reſp. Tres 1. Ut ſit rei quam enarrat coætaneus. 2. Ut nunquam fuerit deceptus. 3. Ut ipſius non interſit, quod facta ſic extiterint, quomodo ab eo referuntur.

DISSERTATIO III.

De propoſitionum Cenſuris.

Quæres 1. **Q***Uotuplici modo propoſitiones pravæ damnari ſolent ab Eccleſia?*

Reſp. Duplici. 1. *In particulari*, quando Eccleſias ſuas ſingulis notas tribuit. 2. *In globo*: quan-

quando omnes ſimul damnantur, tanquam falſæ, perniciosæ, hæreticæ, &c. nulli ſuam notam particularem aſſignando. Quoquo modo autem damnentur, ſunt judicia Eccleſiæ dogmatica, quæ a fidelibus mentis obſequium exigunt.

Quæres 2. *Quid ſit propoſitio hæretica?*

Reſp. Eſt ea, quæ formaliter & directe adverſatur propoſitioni explicite revelatæ; vel implicite revelatæ, & ut talis ab Eccleſia definitæ.

Quæres 3. *Quid ſit propoſitio erronea?*

Reſp. Eſt ea, *quæ opponitur veritati, quam vel univerſa tenet Eccleſia, quamvis non ſit de fide, vel communis Doctorum Catholicorum ſententia mediate revelatam judicat, licet ab Eccleſia id nondum expreſſe fuerit definitum.*

Quæres 4. *Quid ſint propoſitiones, hæreſi proxima, ſuſpecta de hæreſi, & hæreſim ſapiens?*

Reſp. Propoſ. hæreſi proxima, eſt ea, *quæ, maxima cum probabilitate judicatur hæretica.*

Suſpecta de hæreſi, eſt ea, *quæ licet aliquo ſenſu tolerari poſſit, tamen magna cum probabilitate, judicatur hæretica.*

Propoſ. hæreſim ſapiens, eſt ea, *quæ majori cum probabilitate, quam ſuſpecta de hæreſi, judicatur hæretica.*

Quæres 5. *Quid ſit propoſitio ſchiſmatica?*

Reſp. Eſt ea, *quæ fideles ab obedientia Summo Pontifici, aliiſque ſuperioribus Eccleſiaſticis debita, retrahit.*

Quæres 6. *Quid ſit propoſitio ſeditioſa?*

Reſp. Eſt ea, *quæ per ſe nata eſt ſubditos ad rebellionem contra Principes civiles inducere.*

Quæres 7. *Quid ſit prop. hæreſi, ut ſchiſmati favens?*

Reſp. Eſt ea, *quæ hæretici, aut ſchiſmatici, uti poſſunt, ad ſuos errores, vel ſuam inobedientiam propugnandam.*

Quæ-

Quæres 8. *Quid ſit propoſitio blaſphema?*

Reſp. Eſt ea, *quæ Deo, vel ſanctis, eſt injurioſa.*

Quæres 9. *Quid ſit propoſ. impia?*

Reſp. Eſt ea, *quæ cultum Deo debitum minuere de ſe nata eſt.*

Quæres 10. *Quid ſit prop. ſcandaloſa?*

Reſp. Eſt ea, *quæ per ſe nata eſt proximum inducere ad peccatum.*

Quæres 11. *Quid ſit prop. pernicioſa?*

Reſp. Eſt ea, *quâ facile poſſunt deduci concluſiones contra fidem, aut bonos mores.*

Quæres 12. *Quid ſit prop. captioſa?*

Reſp. Eſt ea, *quæ ſub pietatis ſpecie, venenum obtegens, apta eſt ſimplicium mentes ſeducere.*

Quæres 13. *Quid ſit prop. male ſonans?*

Reſp. Eſt ea, *quæ licet duplicem habeat ſenſum, unum bonum, & alium malum, abſolute tamen & ſine diſtinctione profertur.*

Quæres 14. *Quid ſit prop. piarum aurium offenſiva?*

Reſp. Eſt ea, *quæ aliquid indecorum de Deo, vel Sanctis ejus, profert.*

Quæres 15. *Quid ſit prop. temeraria?*

Reſp. Eſt ea, *quæ, abſque ullo, aut Scripturæ, aut traditionis, aut rationis Theologicæ fundamento, à communi Theologorum ſententia recedit.*

Quæres 16. *Quid ſit prop. falſa?*

Reſpond. Eſt ea, *quæ factum aliquod, quod ad fidem pertineat, eique nocere poſſit, veritati contrarium enuntiat.*

Quæres 17. *Quid ſit prop. Verbo Dei contraria?*

Reſp. Eſt ea, *quæ licet contraria Scripturæ & traditioni, nondum tamen eſt proſcripta ab Eccleſia.*

Quæ-

Quæres 18. *Quid intelligatur per adverbium*, reſpective, *cum in decreto, in quo plures propoſitiones damnantur, dicitur eas eſſe* reſpective, *hæreticas, erroneas*, &c.

Reſp. Hæc particula, *reſpective*, ſignificat nullam eſſe ex damnatis propoſitionibus disjunctive, in quam non cadat una ſaltem ex notis, quæ in condemnationis decreto referuntur.

TRACTATUS II.

DE DEO UNO.

In Deo, prout eſt unus, conſiderari poſſunt, 1. exiſtentia; 2. eſſentia; 3. attributa generatim; 4. attributa ſpeciatim.

DISSERTATIO I.

De exiſtentia Dei.

Quæres 1. *An detur in nobis idea de Deo innata, ſeu ingenita?*

Reſpond. affirm. Quia ſæpe cogitamus de ente quod eſt a ſe, & eſt cauſa aliorum entium; unde Deum naturaliter confitemur, cum clamamus, *O Deus, &c, Deus videt, &c, Deo commendo, &c.* ut ait D. Cyprianus, *lib. de idolorum vanitatibus*; ergo eſt in nobis idea Dei; atqui illa idea non eſt *factitia*, mens enim nullam ex ſeſe poteſt cudere imaginem entis infiniti, cum & ipſa, & omnia quæ videt, ſint finita. Nec eſt *adventitia*, id eſt, ex rebus ſenſibilibus efformata, quia univerſitas rerum ſen-

ſenſibilium, eſt, quid maxime finitum, ex quibus proinde non poteſt erui idea entis infiniti; ergo reſtat ut idea, quam habemus de Deo ſit innata.

Objicies: Plures fuerunt athei; ergo non habemus de Deo ideam innatam.

Reſp. diſt. antec. Fuerunt athei, *practice*, ſeu cordis, *conc.* athei, *ſpeculative*, ſeu mentis, *nego*. Atheus *practice* dicitur, is qui, libidine excæcatus, ita perdite vivit, ac ſi non eſſet Deus, quem vellet non eſſe, multos eſſe tales confitemur. Atheus *ſpeculative*, dicitur is, qui omnem divinitatis ſenſum deponit, tales autem fuiſſe ac eſſe, prorſus negamus.

Inſt. Dei exiſtentia demonſtratur; ergo non habemus de eo ideam innatam.

Reſp. nego conſeq. Multiplici enim via cognoſci poteſt exiſtentia Dei, & per ideam ab ipſa origine menti impreſſam, & per multiplicem e creaturis petitam demonſtrationem.

Quæres 2. *Utrum hæc propoſitio*, Deus eſt, *ſit per ſe nota quoad ſe?*

Reſp. affirm. Quia propoſ. per ſe nota quoad ſe, eſt ea cujus prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti; atqui in hac propoſ. *Deus eſt*, prædicatum, nempe, exiſtentia, eſt de eſſentia ſubjecti, nempe Dei; ergo, &c.

Quæres 3. *Utrum prop.* Deus eſt, *ſit per ſe nota quoad nos?*

Reſp. affirm. Nam propoſitio *per ſe nota quoad nos*, eſt ea cujus veritas nobis attendentibus innoteſcit ſtatim atque intelligimus terminos quibus conſtat; atqui termini hujus propoſitionis, *Deus eſt*, non poſſunt perfecte intelligi, quin ſimul intelligatur, prædicatum, nempe exiſtentiam, ſubjecto, nempe Deo, eſſentialiter convenire, & hoc ſine ullo medio a priori: nam per hanc vocem, *Deus*, intelligitur

ens

ens perfectiſſimum, quo nihil melius, aut eſſe, aut cogitari poteſt, ac proinde ens quod habet realem exiſtentiam; quæ eſt omnium perfectionum prima; ſi enim eam non haberet, aliud eo perfectius cogitari poſſet, ens nimirum cui realis exiſtentia conveniret.

Objicies: Hæc propoſitio, *Deus eſt*, poteſt demonſtrari; ergo, &c.

Reſp. diſt. antec. Poteſt demonſtrari a poſteriori, *conc.* a priori, *nego ant.* Equidem propoſitio per ſe nota quoad nos, non poteſt demonſtrari a priori; ſed poteſt fieri quod illius ſubjectum habeat aliquos effectus, per quos illius exiſtentia poſſit *a poſteriori* demonſtrari.

Quæres 4. *Utrum exiſtentia Dei poſſit demonſtrari a priori?*

Reſp. Non poteſt; quia demonſtratio a priori eſt ea quæ fit per cauſas rei quæ demonſtratur; atqui Deus nullam habet ſuæ exiſtentiæ cauſam, cum ſit *ens a ſe*; ergo, &c.

Quæres 5. *Utrum exiſtentia Dei poſſit demonſtrari a poſteriori?*

Reſp. affirm. Quia poteſt demonſtrari per effectus, creaturas nimirum; ſiquidem creaturæ ſunt effectus Dei, a quo neceſſario pendent *in eſſe*, *in conſervari*, &c, *in gubernari*, ergo, &c. unde demonſtrativum eſt hoc argumentum: *Creaturæ exiſtunt; ergo Deus exiſtit.*

Objicies 1. Exiſtentia Dei, eſt objectum fidei ſupernaturalis, *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt*, Hebr. 12. Ergo non poteſt demonſtrari.

Probat. conſeq. Scientia & fides non poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu de eodem objecto; ergo objectum fidei non poteſt demonſtrari.

Reſp. diſt. ant. Non poſſunt eſſe, &c. per idem motivum, *conc.* per diverſa motiva, *nego.* Nam

Dei

Dei exiſtentia creditur propter ſummam Dei revelantis veracitatem; & evidenter cognoſcitur propter neceſſariam connexionem quæ concipitur inter creaturas exiſtentes & earum creatorem, quæ duo motiva ſunt valde diſtincta.

Objicies 2. Medium demonſtrationis debet eſſe neceſſarium; atqui creaturæ non ſunt neceſſariæ; ergo, &c.

Reſpond. diſting. maj. Debet eſſe neceſſarium hypothetice, & quoad neceſſariam connexionem cum re demonſtrata, *conc.* abſolute & quoad exiſtentiam, *nego maj.* Porro ex hypotheſi quod creaturæ exiſtant neceſſariam habent cum Deo, a quo dependent, connexionem; ergo dependentia earum non eſt contingens, ſed neceſſaria.

Inſt. Omnis demonſtratio fit ex prioribus; atqui creaturæ non ſunt Deo priores; ergo, &c.

Reſp. Non ſunt Deo priores exiſtentia, *conc.* cognitione, *nego minor.* Hoc autem requiritur & ſufficit ad veram demonſtrationem.

Objicies 3. Per creaturas non poteſt demonſtrari eſſentia Dei; ergo nec illius exiſtentia, cum qua eſt unum & idem.

Reſp. diſt. ant. Non poteſt demonſtrari, quid qualis ſit, *conc.* quod ſit, ſeu exiſtat, *nego ant.* ſic licet demonſtrari non poſſit in quo poſita ſit eſſentia Solis, recte ex effectibus Solis demonſtratur illius exiſtentia.

Quæres 6. *Quibus argumentis poteſt demonſtrari exiſtentia Dei?*

Reſp. Inter varia, quæ a Theologis afferuntur, quatuor refero.

I. *Petitur ex ente neceſſario & contingenti*, quod ſic proponitur: neceſſe eſt ut in rerum natura exiſtat aliquod ens neceſſarium, alias omnia entia eſſent contingentia, quæ nimirum potuiſſent exiſtere aut non exiſtere, quod eſt abſur-

abſurdum: nam ſi quæcumque exiſtunt, potuerint exiſtere, aut non exiſtere, poſſet ſupponi ea de facto non exiſtere; atqui ſupponi non poteſt ea non exiſtere; tunc enim eſſent poſſibilia & non eſſent poſſibilia, quia omne contingens, eſt poſſibile; non eſſent poſſibilia, quia nullum ens neceſſarium exiſteret, a quo illa producerentur; ergo neceſſe eſt ut ſit ens omnino neceſſarium.

Objicies 1. Materia hujus univerſi, eſt neceſſaria; ergo ex ente neceſſario non poteſt demonſtrari exiſtentia Dei.

Reſp. nego ant. Nam ens neceſſarium, habet ex neceſſitate ſuæ naturæ, quod ſit infinitum in omni genere perfectionis; atqui materia non eſt talis. 1. Quia eſt iners & otioſa. 2. Quia eſt mutabilis tum quoad exiſtentiam, alias eſſet a ſe, tum quoad exiſtendi modum, cum ſit infinitarum modificationum ſuſceptiva; ergo.

Objicies 2. Licet ſingula entia, ſint contingentia, tota nihilominus eorum collectio, eſt neceſſaria; ergo, &c.

Reſp. nego ant. Nam ens neceſſarium, quod probamus, debet eſſe infinite perfectum, & conſequenter ſimpliciſſimum; atqui ſupradicta collectio non eſt ſimpliciſſima; a ſuis enim partibus componentibus pendet ut ſit, quod eſt maxima imperfectio; ergo.

II. *Petitur ex neceſſitate primæ cauſæ effectricis, & primi moventis immobilis*, quod ſic proponitur: neceſſe eſt, ut, in rerum natura, exiſtat ens aliquod improductum, & primum movens immobile: nam ſi omnia entia producta fuiſſent ac mota, ſaltem unum ex illis ſeipſum produxiſſet ac moviſſet, quod eſt abſurdum; nam ſi ſeipſum produxiſſet, fuiſſet ſeipſo prius & poſterius; cauſa enim eſt prior

ſuo

ſuo effectu, & effectus ſua cauſa poſterior. Si ſeipſum moviſſet, ſive ad eſſe, ſive ad locum, fuiſſet ſecundum idem ſimul in potentia & in actu: in potentia quidem quatenus potuiſſet recipere motum, in actu autem, quia ſeipſum moviſſet, quæ omnia ſunt contradictoria; ergo datur prima cauſa improducta, aliarum effectrix, & primum movens omnino immobile, a quo moveantur cætera quæ moventur. Atqui illa prima cauſa, illud primum movens, eſt Deus; ergo datur Deus.

Objicies 1. Materia eſt improducta & æterna; ergo non poteſt probari exiſtentia primæ cauſæ.

Reſp. nego antec. Quod non ſolum repugnat fidei, ſed etiam rationi, quæ dictat ens æternum & improductum eſſe infinitum, cum a nulla cauſa limitari potuerit; atqui materia eſt finita, loco circumſcripta, & maxime iners & otioſa; ergo.

Objicis 2. Dantur entia quæ nullum habitura ſint finem; ergo & entia quæ nullum habuerint initium.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod ens, non habens ſuæ exiſtentiæ initium, ſit a ſe, & plane independens, quod repugnat creaturæ; ſed ens quod non habiturum eſt finem, ſemper pendet a ſuo conditore, qui, ſicut illud ex nihilo libere creavit, ita illud in nihilum poteſt redigere.

III. *Petitur ex mirabili mundi hujus fabrica:* ſicque proponitur: opus in quo reperitur totius naturæ ordo ita ſapiens, ut nullus ſapientior; ita pulcher, ut nullus pulchrior; ita conſtans, ut nullus conſtantior inveniri queat, a ſuprema quadam mente & intelligentia ſapientiſſima prodiit, regitur & ordinatur; atqui talis eſt tota mundi hujus machina; ergo a ſu-

Reſpond. 2. Circa alias ſeſſiones duplex eſt ſententia.

Prima, Quæ in Italia, Hiſpania, Germania, &c. docet Concil. Baſileenſe, poſt primam ſeſſionem, factum fuiſſe illegitimum, nec a *Nicolao V.* fuiſſe confirmatum, niſi in iis ſolis quæ definita fuerant circa beneficia & Cenſuras Eccleſiaſticas; in aliis vero fuiſſe reprobatum, tum ab *Eugenio IV.* tum a Conciliis Florentino & Lateranenſi V. in quo vocatur *Conciliabulum omni robore carens*.

Secunda, Quæ in Gallia propugnatur, docet Concilium illud fuiſſe legitimum a 1. ſeſſ. uſque ad 25. quia fuit approbatum a *Nicolao V.* non tamen admittitur ab omnibus; nam ipſe Duvallius, Doctor Pariſienſis loquens de hoc Concilio, ait: *Hoc Concilium pro beneficiorum Pragmaticis tantum recipitur: nec unquam Pontificis calculo, qui ad Conciliorum firmitatem & valorem eſt neceſſarius, fuit confirmatum*.

Quæres 23. *Quodnam eſt Concilium generale XIX.*

Reſp. Eſt, *Florentinum*, ab Eugenio IV. ad unionem Græcorum cum Latinis convocatum ann. 1438. in eo definitum eſt. 1. Spiritum ſanctum a Patre filioque procedere ... 2. Corpus Chriſti veraciter confici, ſive in azimo, ſive in fermentato pane triticeo ... 3. Animas, quibus aliquid luendum ſupereſt, in Purgatorio detineri, ipſiſque prodeſſe vivorum ſuffragia .... 4. S. Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, &c. .... eſt perfecte *œcumenicum*, ut declarat *Eugenius IV.* dicens, ſuum decretum editum fuiſſe, *ſacro approbante œcumenico Concilio Florentino*.

Quæres 24. *Quodnam eſt Concilium generale XX.*

Reſp. Eſt, *Lateranenſe V.* ann. 1512. a Julio II. convocatum, ad præveniendum ſchiſ-

mi

ma in Eccleſia imminens per Conciliabulum quod aliqui Cardinales *Piſis* contra *Julium* convocaverant .... Huic Concilio præfuit *Julius* uſque ad 4. ſeſſionem, quo defuncto, in 5. ſeſſione, cui præfuit Cardinalis Oſtienſis, electus eſt Leo X. qui cæteris præfuit.

In hoc Concilio 1. Conciliabulum *Piſanum* fuit reprobatum. 2. Actum eſt de pace componenda inter Principes chriſtianos. 3. Montes pietatis fuerunt approbati. 4. Publicata fuit Pragmaticæ ſanctionis abrogatio, & pacta inter Leonem X. & Franciſcum I. Regem Galliæ concordata, in locum Pragmaticæ ſubſtituta. 6. A Leone X. ſpeciali diplomate fuit confirmatum..... *œcumenicitas* hujus Concilii certa eſt in toto orbe Chriſtiano, dempta Gallia: quia Senatus & Academia Pariſienſis, approbante Clero Gallicano, appellationem ab iſto Concilio ad aliud futurum generale interjecerunt, propter abrogatam Pragmaticam.

Quæres 25. *Quodnam fuit Concilium generale XXI.*

Reſp. Eſt, *Tridentinum*, anno 1545. a Paulo III. ad damnandos errores Lutheri & Calvini, convocatum ..... multa in hoc Concilio circa fidem, mores, & diſciplinam fuerunt tractata & definita, quæ hic recenſere vanum foret, cum hoc Concilium omnium manibus teratur.

Quæres ultimo, *Utrum Concilium Tridentinum ſit œcumenicum?*

Reſp. Eſt perfecte *œcumenicum*, quia legitime fuit convocatum, celebratum, & a *Pio IV.* confirmatum Bulla ſingulari, quia illud recipi & ab omnibus obſervari mandatur.

Dices: Non eſt receptum in Gallia; ergo, &c. ...... *Reſp. diſt.* Quoad aliqua diſciplinæ decreta, quæ regni juribus & conſuetudinibus, ex ve-

ex veterum Canonum præſcripto ſervari ſolitis, adverſantur, *conc.* quoad fidem, mores, & cætera diſciplinæ decreta, *nego antec.* Nam fuit receptum non ſolum in Conciliis Provincialibus, ſed maxime in comitiis Cleri generalibus Lutetiæ Pariſiorum, *anno* 1615.

CAPUT VI.

De Locis extrinſecis Theologiæ.

Quæres 1. Quanta *ſit Doctorum Scholaſticorum auctoritas ad faciendam fidem?*

Reſp. Diſtinguendum eſt. *Si alii Scholaſtici diſſentiant*, etiam in minori numero, non majoris eſt ponderis eorum auctoritas, quam rationes quibus nituntur: unde expendendæ ſunt & ponderandæ rationes quibus utuntur, *Si communiter unam opinionem teneant*, eorum auctoritas argumentum ſubminiſtrat ita probabile, ut abſque temeritate non poſſit rejici: quia in qualibet arte, peritis credendum eſſe, ratio demonſtrat. *Si unanimiter in unum dogma conſentiant*, tanta eſt eorum auctoritas, ut ei contradicere, ſi non erroneum, ſaltem errori proximum ſit; quia pluſquam probabile teſtimonium eſt, ſic ferre traditionem, ut docet Canus, *lib.* 8. *de locis cap.* 4.

Quæres 2. *An ratio naturalis, certa Theologo poſſit ſuppeditare argumenta?*

Reſpond. Certa argumenta ſubminiſtrat, nam v. gr. ex hoc principio: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris:* certo concludit, ergo *non furandum*, &c. ſed non ſubminiſtrat argumenta Theologica, cum concluſio Theologica, ex una ſaltem prop. revelata deduci debeat. Eſt tamen Theologo utilis, immo & neceſſa-

ceſſaria, quia abſque ea non poteſt *exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*. Ratio tamen ſemper ſubjicienda eſt revelationi, velut ancilla quæ *ſubſerviat fidei*, ait D. Thom. 1. *p. q.* 1. *art.* 8. *ad* 2.

Quæres 3. *An Philoſophorum placita, certa Theologo argumenta ſufficere poſſint?*

Reſp. Non poſſe, niſi firma, ac demonſtrativa ratione fulciantur; unde eorum auctoritas ex eorum rationibus penſanda eſt.

Quæres 4. *Quodnam argumenti genus ſubminiſtrant hiſtorici fide digni?*

Reſp. Diſtinguendum eſt. *Si plures hiſtorici fide digni aliquod factum enarrent*, probabile argumentum ſuppeditant, quia imprudens eſt, qui pluribus fide dignis non adhibet fidem. *Si omnes hiſtorici fide digni, aliquod factum, nullo contradicente, enarrent*, ſubminiſtrant argumentum certum; quia de facto, quod ab omnibus probatis ac fide dignis hiſtoricis, nullo contradicente, refertur, nemo, niſi inſipiens ſit, dubitare poteſt.

Quæres 5. *Quænam conditiones requiruntur, ut hiſtoricus cenſeatur omni fide dignus.*

Reſp. Tres 1. Ut ſit rei quam enarrat coætaneus. 2. Ut nunquam fuerit deceptus. 3. Ut ipſius non interſit, quod facta ſic extiterint, quomodo ab eo referuntur.

DISSERTATIO III.

De propoſitionum Cenſuris.

Quæres 1. Quotuplici *modo propoſitiones pravæ damnari ſolent ab Eccleſia?*

Reſp. Duplici. 1. *In particulari*, quando Eccleſias ſuas ſingulis notas tribuit. 2. *In globo*: quan-

quando omnes ſimul damnantur, tanquam falſæ, pernicioſæ, hæreticæ, &c. nulli ſuam notam particularem aſſignando. Quoquo modo autem damnentur, ſunt judicia Eccleſiæ dogmatica, quæ a fidelibus mentis obſequium exigunt.

Quæres 2. *Quid ſit propoſitio hæretica?*

Reſp. Eſt ea, quæ formaliter & directe adverſatur propoſitioni explicite revelatæ; vel implicite revelatæ, & ut talis ab Eccleſia definitæ.

Quæres 3. *Quid ſit propoſitio erronea?*

Reſp. Eſt ea, *quæ opponitur veritati, quam vel univerſa tenet Eccleſia, quamvis non ſit de fide, vel communis Doctorum Catholicorum ſententia mediate revelatam judicat, licet ab Eccleſia id nondum expreſſe fuerit definitum.*

Quæres 4. *Quid ſint propoſitiones, hæreſi proxima, ſuſpecta de hæreſi, & hæreſim ſapiens?*

Reſp. Propoſ. hæreſi proxima, eſt ea, *quæ, maxima cum probabilitate judicatur hæretica.*

Suſpecta de hæreſi, eſt ea, *quæ licet aliquo ſenſu tolerari poſſit, tamen magna cum probabilitate, judicatur hæretica.*

Propoſ. hæreſim ſapiens, eſt ea, *quæ majori cum probabilitate, quam ſuſpecta de hæreſi, judicatur hæretica.*

Quæres 5. *Quid ſit propoſitio ſchiſmatica?*

Reſp. Eſt ea, *quæ fideles ab obedientia Summo Pontifici, aliiſque ſuperioribus Eccleſiaſticis debita, retrahit.*

Quæres 6. *Quid ſit propoſitio ſeditioſa?*

Reſp. Eſt ea, *quæ per ſe nata eſt ſubditos ad rebellionem contra Principes civiles inducere.*

Quæres 7. *Quid ſit prop. hæreſi, ut ſchiſmati favens?*

Reſp. Eſt ea, *qua hæretici, aut ſchiſmatici, uti poſſunt, ad ſuos errores, vel ſuam inobedientiam propugnandam.*

Quæ-

Quæres 8. *Quid ſit propoſitio blaſphema?*

Reſp. Eſt ea, *quæ Deo, vel ſanctis, eſt injurioſa.*

Quæres 9. *Quid ſit propoſ. impia?*

Reſp. Eſt ea, *quæ cultum Deo debitum minuere de ſe nata eſt.*

Quæres 10. *Quid ſit prop. ſcandaloſa?*

Reſp. Eſt ea, *quæ per ſe nata eſt proximum inducere ad peccatum.*

Quæres 11. *Quid ſit prop. pernicioſa?*

Reſp. Eſt ea, *qua facile poſſunt deduci concluſiones contra fidem, aut bonos mores.*

Quæres 12. *Quid ſit prop. captioſa?*

Reſp. Eſt ea, *quæ ſub pietatis ſpecie, venenum obtegens, apta eſt ſimplicium mentes ſeducere.*

Quæres 13. *Quid ſit prop. male ſonans?*

Reſp. Eſt ea, *quæ licet duplicem habeat ſenſum, unum bonum, & alium malum, abſolute tamen & ſine diſtinctione profertur.*

Quæres 14. *Quid ſit prop. piarum aurium offenſiva?*

Reſp. Eſt ea, *quæ aliquid indecorum de Deo, vel Sanctis ejus, profert.*

Quæres 15. *Quid ſit prop. temeraria?*

Reſp. Eſt ea, *quæ, abſque ullo, aut Scripturæ, aut traditionis, aut rationis Theologicæ fundamento, a communi Theologorum ſententia recedit.*

Quæres 16. *Quid ſit prop. falſa?*

Reſpond. Eſt ea, *quæ factum aliquod, quod ad fidem pertineat, eique nocere poſſit, veritati contrarium enuntiat.*

Quæres 17. *Quid ſit prop. Verbo Dei contraria?*

Reſp. Eſt ea, *quæ licet contraria Scripturæ & traditioni, nondum tamen eſt proſcripta ab Eccleſia.*

Quæ-

Quæres 18. *Quid intelligatur per adverbium*, reſpective, *cum in decreto, in quo plures propoſitiones damnantur, dicitur eas eſſe* reſpective, *hæreticas, erroneas*, &c.

Reſp. Hæc particula, *reſpective*, ſignificat nullam eſſe ex damnatis propoſitionibus disjunctive, in quam non cadat una ſaltem ex notis, quæ in condemnationis decreto referuntur.

TRACTATUS II.

DE DEO UNO.

IN Deo, prout eſt unus, conſiderari poſſunt, 1. exiſtentia; 2. eſſentia; 3. attributa generatim; 4. attributa ſpeciatim.

DISSERTATIO I.

De exiſtentia Dei.

Quæres 1, *AN detur in nobis idea de Deo innata, ſeu ingenita?*

Reſpond. affirm. Quia ſæpe cogitamus de ente quod eſt a ſe, & eſt cauſa aliorum entium; unde Deum naturaliter confitemur, cum clamamus, *O Deus*, &c, *Deus videt*, &c, *Deo commendo*, &c. ut ait D. Cyprianus, *lib. de idolorum vanitatibus*; ergo eſt in nobis idea Dei; atqui illa idea non eſt *factitia*, mens enim nullam ex ſeſe poteſt cudere imaginem entis infiniti, cum & ipſa, & omnia quæ videt, ſint finita. Nec eſt *adventitia*, id eſt, ex rebus ſenſibilibus efformata, quia univerſitas rerum ſen-

ſenſibilium, eſt, quid maxime finitum, ex quibus proinde non poteſt erui idea entis infiniti; ergo reſtat ut idea, quam habemus de Deo ſit innata.

Objicies: Plures fuerunt athei; ergo non habemus de Deo ideam innatam.

Reſp. diſt. antec. Fuerunt athei, *practice*, ſeu cordis, *conc.* athei, *ſpeculative*, ſeu mentis, *nego*. Atheus *practice* dicitur, is qui, libidine excæcatus, ita perdite vivit, ac ſi non eſſet Deus, quem vellet non eſſe, multos eſſe tales confitemur. Atheus *ſpeculative*, dicitur is, qui omnem divinitatis ſenſum deponit, tales autem fuiſſe ac eſſe, prorſus negamus.

Inſt. Dei exiſtentia demonſtratur; ergo non habemus de eo ideam innatam.

Reſp. nego conſeq. Multiplici enim via cognoſci poteſt exiſtentia Dei, & per ideam ab ipſa origine menti impreſſam, & per multiplicem e creaturis petitam demonſtrationem.

Quæres 2. *Utrum hæc propoſitio*, Deus eſt, *ſit per ſe nota quoad ſe?*

Reſp. affirm. Quia propoſ. per ſe nota quoad ſe, eſt ea cujus prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti; atqui in hac propoſ. *Deus eſt*, prædicatum, nempe, exiſtentia, eſt de eſſentia ſubjecti, nempe Dei; ergo, &c.

Quæres 3. *Utrum prop.* Deus eſt, *ſit per ſe nota quoad nos?*

Reſp. affirm. Nam propoſitio *per ſe nota quoad nos*, eſt ea cujus veritas nobis attendentibus innoteſcit ſtatim atque intelligimus terminos quibus conſtat; atqui termini hujus propoſitionis, *Deus eſt*, non poſſunt perfecte intelligi, quin ſimul intelligatur, prædicatum, nempe exiſtentiam, ſubjecto, nempe Deo, eſſentialiter convenire, & hoc ſine ullo medio a priori: nam per hanc vocem, *Deus*, intelligitur

ens perfectiſſimum, quo nihil melius, aut eſſe, aut cogitari poteſt, ac proinde ens quod habet realem exiſtentiam; quæ eſt omnium perfectionum prima; ſi enim eam non haberet, aliud eo perfectius cogitari poſſet, ens nimirum cui realis exiſtentia conveniret.

Objicies: Hæc propoſitio, *Deus eſt*, poteſt demonſtrari; ergo, &c.

Reſp. diſt. antec. Poteſt demonſtrari a poſteriori, *conc.* a priori, *nego ant.* Equidem propoſitio per ſe nota quoad nos, non poteſt demonſtrari a priori; ſed poteſt fieri quod illius ſubjectum habeat aliquos effectus, per quos illius exiſtentia poſſit *a poſteriori* demonſtrari.

Quæres 4. *Utrum exiſtentia Dei poſſit demonſtrari a priori?*

Reſp. Non poteſt; quia demonſtratio a priori eſt ea quæ fit per cauſas rei quæ demonſtratur; atqui Deus nullam habet ſuæ exiſtentiæ cauſam, cum ſit *ens a ſe*; ergo, &c.

Quæres 5. *Utrum exiſtentia Dei poſſit demonſtrari a poſteriori?*

Reſp. affirm. Quia poteſt demonſtrari per effectus, creaturas nimirum; ſiquidem creaturæ ſunt effectus Dei, a quo neceſſario pendent *in eſſe*, *in conſervari*, &, *in gubernari*, ergo, &c. unde demonſtrativum eſt hoc argumentum: *Creatura exiſtunt; ergo Deus exiſtit.*

Objicies 1. Exiſtentia Dei, eſt objectum fidei ſupernaturalis, *credere enim oportet accedentem ad Deum*, *quia eſt*, Hebr. 12. Ergo non poteſt demonſtrari.

Probat. conſeq. Scientia & fides non poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu de eodem objecto; ergo objectum fidei non poteſt demonſtrari.

Reſp. diſt. ant. Non poſſunt eſſe, &c. per idem motivum, *conc.* per diverſa motiva, *nego.* Nam

Dei

Dei exiſtentia creditur propter ſummam Dei revelantis veracitatem; & evidenter cognoſcitur propter neceſſariam connexionem quæ concipitur inter creaturas exiſtentes & earum creatorem, quæ duo motiva ſunt valde diſtincta.

Objicies 2. Medium demonſtrationis debet eſſe neceſſarium; atqui creaturæ non ſunt neceſſariæ; ergo, &c.

Reſpond. diſting. maj. Debet eſſe neceſſarium hypothetice, & quoad neceſſariam connexionem cum re demonſtrata, *conc.* abſolute & quoad exiſtentiam, *nego maj.* Porro ex hypotheſi quod creaturæ exiſtant neceſſariam habent cum Deo, a quo dependent, connexionem; ergo dependentia earum non eſt contingens, ſed neceſſaria.

Inſt. Omnis demonſtratio fit ex prioribus; atqui creaturæ non ſunt Deo priores; ergo, &c.

Reſp. Non ſunt Deo priores exiſtentia, *conc.* cognitione, *nego minor.* Hoc autem requiritur & ſufficit ad veram demonſtrationem.

Objicies 3. Per creaturas non poteſt demonſtrari eſſentia Dei; ergo nec illius exiſtentia, cum qua eſt unum & idem.

Reſp. diſt. ant. Non poteſt demonſtrari, quid qualis ſit, *conc.* quod ſit, ſeu exiſtat, *nego ant.* ſic licet demonſtrari non poſſit in quo poſita ſit eſſentia Solis, recte ex effectibus Solis demonſtratur illius exiſtentia.

Quæres 6. *Quibus argumentis poteſt demonſtrari exiſtentia Dei?*

Reſp. Inter varia, quæ a Theologis afferuntur, quatuor refero.

I. *Petitur ex ente neceſſario & contingenti*, quod ſic proponitur: neceſſe eſt ut in rerum natura exiſtat aliquod ens neceſſarium, alias omnia entia eſſent contingentia, quæ nimirum potuiſſent exiſtere aut non exiſtere, quod eſt abſur-

abſurdum: nam ſi quæcumque exiſtunt, potuerint exiſtere, aut non exiſtere, poſſet ſupponi ea de facto non exiſtere; atqui ſupponi non poteſt ea non exiſtere; tunc enim eſſent poſſibilia & non eſſent poſſibilia, quia omne contingens, eſt poſſibile; non eſſent poſſibilia, quia nullum ens neceſſarium exiſteret, a quo illa producerentur; ergo neceſſe eſt ut ſit ens omnino neceſſarium.

Objicies 1. Materia hujus univerſi, eſt neceſſaria; ergo ex ente neceſſario non poteſt demonſtrari exiſtentia Dei.

Reſp. nego ant. Nam ens neceſſarium, habet ex neceſſitate ſuæ naturæ, quod ſit infinitum in omni genere perfectionis; atqui materia non eſt talis. 1. Quia eſt iners & otioſa. 2. Quia eſt mutabilis tum quoad exiſtentiam, alias eſſet a ſe, tum quoad exiſtendi modum, cum ſit infinitarum modificationum ſuſceptiva; ergo.

Objicies 2. Licet ſingula entia, ſint contingentia, tota nihilominus eorum collectio, eſt neceſſaria; ergo, &c.

Reſp. nego ant. Nam ens neceſſarium, quod probamus, debet eſſe infinite perfectum, & conſequenter ſimpliciſſimum; atqui ſupradicta collectio non eſt ſimpliciſſima; a ſuis enim partibus componentibus pendet ut ſit, quod eſt maxima imperfectio; ergo.

II. *Petitur ex neceſſitate primæ cauſæ effectricis, & primi moventis immobilis*, quod ſic proponitur: neceſſe eſt, ut, in rerum natura, exiſtat ens aliquod improductum, & primum movens immobile: nam ſi omnia entia producta fuiſſent ac mota, ſaltem unum ex illis ſeipſum produxiſſet ac moviſſet, quod eſt abſurdum; nam ſi ſeipſum produxiſſet, fuiſſet ſeipſo prius & poſterius; cauſa enim eſt prior

ſuo

ſuo effectu, & effectus ſua cauſa poſterior. Si ſeipſum moviſſet, ſive ad eſſe, ſive ad locum, fuiſſet ſecundum idem ſimul in potentia & in actu: in potentia quidem quatenus potuiſſet recipere motum, in actu autem, quia ſeipſum moviſſet, quæ omnia ſunt contradictoria; ergo datur prima cauſa improducta, aliarum effectrix, & primum movens omnino immobile, a quo moveantur cætera quæ moventur. Atqui illa prima cauſa, illud primum movens, eſt Deus; ergo datur Deus.

Objicies 1. Materia eſt improducta & æterna; ergo non poteſt probari exiſtentia primæ cauſæ.

Reſp. nego antec. Quod non ſolum repugnat fidei, ſed etiam rationi, quæ dictat ens æternum & improductum eſſe infinitum, cum a nulla cauſa limitari potuerit; atqui materia eſt finita, loco circumſcripta, & maxime iners & otioſa; ergo.

Objicis 2. Dantur entia quæ nullum habitura ſint finem; ergo & entia quæ nullum habuerint initium.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod ens, non habens ſuæ exiſtentiæ initium, ſit a ſe, & plane independens, quod repugnat creaturæ; ſed ens quod non habiturum eſt finem, ſemper pendet a ſuo conditore, qui, ſicut illud ex nihilo libere creavit, ita illud in nihilum poteſt redigere.

III. *Petitur ex mirabili mundi hujus fabrica:* ſicque proponitur: opus in quo reperitur totius naturæ ordo ita ſapiens, ut nullus ſapientior; ita pulcher, ut nullus pulchrior; ita conſtans, ut nullus conſtantior inveniri queat, a ſuprema quadam mente & intelligentia ſapientiſſima prodiit, regitur & ordinatur; atqui talis eſt tota mundi hujus machina; ergo a ſu-

prema quadam intelligentia prodiit, &c. Atqui illa intelligentia eſt Deus; ergo, &c.

Objicies; Univerſum hoc regitur a ſola natura, quæ uno curſu & ordine ſemper eadem agit: v. g. nox ſemper eodem curſu ſuccedit diei, æſtas veri, &c. homines ſemper eodem modo naſcuntur & moriuntur, &c. ergo non datur illius intelligens moderator.

Reſp. nego ant. Nam quod illa ita regulariter ſibi ſuccedant, hoc habent ab ipſo Deo auctore naturæ, cui placuit ipſi naturæ regulas permanentes ſtatuere, a quibus ſeipſa non poteſt recedere. Porro, *hic ordo facile turbaretur, niſi maxima ratione conſiſteret*, ait Minutius Felix in Octavio.

IV. *Petitur ex communi hominum ſenſu*, ſicque proponitur: quod omnes homines unanimi & conſtanti conſenſu exiſtere fatentur illud certiſſime exiſtit, ait Cicero; atqui populi, quotquot unquam extiterunt, omnes unanimi conſenſu Deum exiſtere fatentur; nam *Perſa*, *Gothus*, *Ægyptius*, *Turca ipſum agnoſcunt* . . . *& totius mundi una vox eſt*, *Deus eſt*, ait Divus Hieronymus Epiſt. ad Nepotian.

Quæres 7. *Utrum Deus poſſit invincibiliter ignorari?*

Reſp. Non poteſt: nam illius exiſtentia a nemine rationis compote poteſt invincibiliter ignorari, cujus idea nobis eſt ingenita, cujus exiſtentia invictiſſimis argumentis demonſtrari poteſt; atqui, &c. Præterea ignorantia excuſat a peccato; atqui ignorantes Deum dicuntur *inexcuſabiles*, Roman. 1. ac graviſſime puniuntur, *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt*, Pſalm. 78.

Objicies. Ignorantia Dei non poteſt ſuperari niſi per diſcurſum, ex creaturarum ſcilicet exiſtentia colligendo exiſtentiam creatoris; atqui

mul-

multi ſunt barbari ita agreſtes, ut non ſint huſuſmodi diſcurſus capaces; ergo.

Reſp. 1. *nego major.* Quippe omnibus innata eſt Dei idea, ita ut ad illius cognitionem, ſola attentione ad conſcientiæ teſtimonium opus ſit.

Reſp. 2. *nego min.* Nemo enim eſt ita ſtupidus, qui ex creaturis non eruat cognitionem ſaltem probabilem, quod in hoc univerſo ſit ſupremus aliquis gubernator cui ſit parendum, qualiſcumque tandem ille ſit: hoc enim ipſo, tenetur inquirere quis ille ſit, & qua ratione colendus.

Inſt. Puer in ſylvis educatus, poſtquam uſum rationis adeptus eſt, indiget aliquo temporis intervallo, ut ex idea ſibi indita, & ex creaturis concludat exiſtentiam Dei; ergo illo ſaltem brevi tempore poteſt Deum invincibiliter ignorare.

Reſp. nego ant. Quia tam clarum eſt de Deo conſcientiæ teſtimonium, tam evidens eſt creaturarum cum creatore connexio, ut ſi ad ea, ut par eſt, attenderit, ne momento quidem eſſe queat ſine cognitione Dei, ſi non ſtatim monſtrativa, ſaltem probabili, & moraliter certa.

Quæres 8. *Utrùm ſit unicus Deus?*

Reſp. Eſt unus tantum, ut declaratur, Marci 12. *Unus eſt Deus, & non eſt alius præter eum.* Ratio eſt, quia Deus eſt ens ſumme magnum; atqui non poſſunt eſſe duo entia ſumme magna; nam eſſe *ſumme magnum*, ex Tertull. eſt parem non habere; at parem non habere ita uni competit, ut nullo modo poſſit duobus competere; ergo, &c.

Objicies 1. Pſalm. 81. dixit Deus: *Ego dixi, dii eſtis;* ergo ſunt plures dii.

Reſp. Sunt plures dii improprie & participative, non proprie & natura. Pſalmiſta enim loquitur de Judicibus, quos vocat deos pro-

pter auctoritatem judicandi populum, quam a Deo participant.

Objicies 2. Sunt duo prima rerum principia, unum bonum boni; aliud malum mali; ergo ſunt duo dii.

Reſp. nego ant. Nam effectus diverſi & oppoſiti, non arguunt diverſitatem cauſæ primæ, quæ, cum ſit infinitæ virtutis, quoslibet effectus producere poteſt, ſive ſimiles, ſive diſſimiles, ſive etiam contrarios. Malum ergo culpæ non poteſt eſſe a Deo, quia non eſt effectus, ſed defectus, ſed malum pœnæ, eſt a Deo, qui illud in ultionem criminum infligit. Porro ſic conſideratum, rationem boni induit.

Objicies 3. Sunt tres in Deo perſonæ; ergo & tres dii.

Reſp. nego conſeq. Quia ad deorum multiplicitatem, ſatis non eſt multiplicitas perſonarum, ſed præterea requiritur naturæ in pluribus perſonis multiplicatio; at tres perſonæ in Deo habent eandem numero naturam; ergo &c.

DISSERTATIO II.

De natura, ſeu eſſentia Dei.

Quæres 1. Q*uid intelligitur per Dei eſſentiam?*

Reſp. Intelligitur aliqua Dei perfectio, quæ concipitur tanquam gradus conſtitutivus eſſentiæ divinæ, ſeu tanquam differentia eſſentialis naturæ divinæ.

Quæres 2. *Quot in gradu conſtitutivo alicujus eſſentiæ requiruntur conditiones?*

Reſpond. Quatuor. 1. Ut ſit quid *proprium* illi ſoli rei quam conſtituit, & a qualibet alia di-

diſtinguit . . . 2. Ut ſit quid *primum* in ipſa re, nec ab alio præſuppoſito derivatum . . . . 3. Ut ſit *fons* & *radix* aliarum proprietatum, quæ in illa re reperiuntur . . . . . 4. Ut ſit quid *adæquatum rei*, ita ut totum id complectatur, quod eſt de conceptu rei quidditativo.

Quæres 3. *Quot ſunt Theologorum circa Dei eſſentiam ſententiæ?*

Reſp. Quatuor. 1. Eſt *Thomiſtarum*, quorum alii pro gradu conſtitutivo eſſentiæ divinæ aſſignant intellectionem radicalem, ſeu facultatem intelligendi; alii communius intellectionem actualem . . . . 2. Eſt *Nominalium*, quibus placet, eſſentiam divinam conſtitui per collectionem omnium perfectionum in Deo . . . 3. Eſt *Scotiſtarum*, qui eandem collocant in infinitate radicali . . . . . 4. Eſt aliorum omnium, qui docent eſſentiam Dei in aſeitate, ſeu in omnimoda ab alio independentia, collocandam eſſe.

Quæres 4. *Utrum eſſentia Dei poſita ſit in intellectione radicali, aut actuali?*

Reſp. In neutra poſita eſt. 1. Enim neutra eſt *prima* perfectio in Deo, nam utraque ſupponit naturam a qua fluunt, cum concipiantur per modum operationis, & operatio ſupponat eſſe . . . . 2. Neutra eſt radix aliarum Dei perfectionum; quæ enim conſequentia? *Deus eſt intelligens; ergo eſt infinitus, immutabilis*, &c. . . . . 3. Neutra eſt conceptus Dei adæquatus: nec enim voluntatem, nec volitionem complectitur, quæ tamen Deo æque eſſentialis eſt, ac ipſa intellectio.

Objicies: Intellectio actualis, eſt gradus in Deo perfectiſſimus; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Eſt gradus perfectiſſimus, in genere facultatis, aut actus naturam ipſam conſtitutam ſupponentis, *conc.* in genere naturæ,

 nego

nego antec. Nam neque eſt prima, neque adæquata perfectio, neque radix eſt aliarum Dei perfectionum.

Quæres 5. *Utrum eſſentia Dei poſita ſit in cumulo omnium perfectionum?*

Reſpond. negat. Quia ille cumulus, non eſt ſpecialis perfectio; nec eſt *prima*, cum complectatur omnes perfectiones, nec eſt radix cæterarum, cum, ultra illum cumulum, non ſit alia; ergo, &c.

Objities: Cumulus omnium perfectionum quacumque ſpeciali perfectione perfectior eſt; ergo, &c.

Reſp. diſt. antec. Eſt perfectior quacumque ſpeciali perfectione, quæ non continet implicite alias omnes perfectiones, *conc.* quæ alias omnes implicite continet, *nego antec.* talis eſt autem *aſeitas*, nam *ens a ſe*, nullos perfectionis limites habere poteſt.

Quæres 6. *Utrum infinitas radicalis, ſit formale conſtitutivum eſſentiæ divinæ?*

Reſp. negat. Quia non eſt perfectio, quæ nobis de Deo cogitantibus, *prima* occurrit, fluit enim ab aſeitate: nam ſi quæratur, *quare Deus ſit infinitus?* ſeu, *quare nullos in perfectione terminos agnoſcat?* recte reſpondetur, *quia eſt a ſe;* ergo, &c.

Objicies: Infinitas radicalis, eſt fons & radix omnium Dei attributorum; ideo enim eſt immenſus, omnipotens, &c. quia eſt infinitus; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Eſt fons & radix mediata, & ſecundaria, *conc.* primaria, *nego antec.* infinitas enim fluit immediate ab aſeitate.

Quæres 7. *Utrum gradus conſtitutivus eſſentiæ divinæ, ſit aſeitas?*

Reſp. affirm. Nam 1. Deus ipſe ſuam eſſentiam per aſeitatem expreſſit; quærenti nimirum

rum Moyſi *quis eſſet*, Deus ipſe reſpondit: *Ego ſum qui ſum; ſic dices filiis Iſrael, qui eſt, miſit me ad vos* .... 2. Aſeitas eſt divinitati maxime *propria*, per eam enim differt, tum a creaturis, quæ ſunt eſſentialiter ab alio tanquam a cauſa; tum ab attributis divinis, quæ ſunt ab eſſentia tanquam a radice; tum a perſonis divinis, quæ ſunt ab alio tanquam a principio .... 3. Eſt *prima* perfectio, quæ, nobis de Deo cogitantibus, occurrit .... 4. Eſt *fons*, & *radix* cæterarum Dei perfectionum, nam qui eſt a ſe, a nullo limitari poteſt ..... 5. Eſt adæquata Deo, quia continet formaliter, aut virtualiter omnia quæ dicuntur quidditative de Dei natura; ergo, &c.

Objicies: Gradus conſtitutivus eſſentiæ divinæ, non poteſt eſſe negatio; atqui aſeitas eſt pura negatio dependentiæ ab alio; ergo.

Reſp. diſt. min. Eſt negatio ratione nominis, *conced.* ratione rei per nomen ſignificatæ, *nego min.* nam aſeitas in ſe & a parte rei, importat poſitivam plenitudinem omnis eſſe.

Inſt. Aſeitas eſt communis omnibus Dei attributis; ergo non eſt ſpecialis perfectio.

Reſp. nego ant. Intellectum de aſeitate, quatenus dicit omnimodam ab alio independentiam; aliæ enim perfectiones ab aſeitate, fluunt ab ipſa aſeitate tanquam a radice.

DISSERTATIO III.

De attributis divinis generatim.

Quæres 1. QUid *ſit attributum divinum?*

Reſp. Eſt, *quælibet Dei perfectio, quæ ab eſſentia divina, tanquam a radice*

 vir-

virtualiter profluere concipitur , & de Deo per modum proprietatis prædicatur . Alia ſunt *poſitiva* , quæ de Deo aliquam perfectionem affirmant , ut juſtitia , bonitas , &c. Alia *negativa* , quæ a Deo aliquam imperfectionem removent , ut infinitas , incomprehenſibilitas , &c. Alia *abſoluta* , quæ tribus perſonis ſunt communia ; alia *relativa* , quæ uni , vel duabus tantum perſonis ſunt propria , ut paternitas , filiatio , &c.

Quæres 2. *Quotuplex eſt diſtinctio ?*

Reſpond. Duplex . Realis nimirum , & rationis . . . *Realis* , eſt negatio identitatis in ipſa re . . . *diſtinctio rationis* , eſt negatio identitatis in conceptu , ſeu , eſt diverſitas conceptuum ejuſdem rei .

Quæres 3. *Quotuplex eſt diſtinctio realis ?*

Reſp. Triplex . Nempe , *realis major* , quæ reperitur inter duas res ſeparabiles , v. gr. inter corpus & animam . *Realis minor* , quæ reperitur inter rem & modum ejus , v. gr. inter digitum & inflexionem digiti . *Et formalis ex natura rei* , quæ reperitur , non quidem inter duas res , ſed inter rem & ejus formas , ſeu inter ejuſdem rei varias formas independenter ab operatione mentis diverſas .

Quæres 4. *Quotuplex eſt diſtinctio rationis ?*

Reſpond. Duplex . Nempe *rationis ratiocinata* , quæ fit per mentem cum aliquo in re fundamento . Et *rationis ratiocinantis* , quæ fit per mentem , ſine ullo in re fundamento : v. g. ſi quis Petrum a Cepha diſtinguat .

Quæres 5. *Utrum diſtinctio quæ reperitur inter attributa Dei abſoluta , ac inter attributa tum abſoluta , tum relativa , & eſſentiam , ſit realis ; vel formalis ex natura rei ?*

Reſpond. 1. Non eſt *realis* , prout definitum

eſt in

eſt in Concilio Lateranſe IV. contra Abbatem Joachim, & in Concilio Rhemenſi contra Gilbertum Porretanum, his verbis: *Credimus nullas omnino res, ſive relationes, ſive proprietates, ſive ſingularitates, ſive unitates dicantur, vel alia hujuſmodi, adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus.* Ratio eſt, quia de ſe invicem prædicantur in abſtracto, nam *Deus hoc eſt, quod æternitatem habet, & ipſe eſt æternitas:* ait D. Gregor. lib. 10. moral. cap. 20. *Non eſt ergo in eo aliud eſſe, & aliud habere.* Ergo non diſtinguuntur realiter.

Reſp. 2. Non eſt *formalis ex natura rei.* Nam 1. in Concil. Florent. definitum eſt, omnia in divinis eſſe unum & idem, ubi non obviat relationis oppoſitio; atqui inter attributa abſoluta ad invicem comparata, & inter attributa, tum abſoluta, tum relativa, ad eſſentiam divinam comparata, nulla obviat relationis oppoſitio; ergo ſunt unum & idem; ergo inter ea nulla eſt diſtinctio actualis ante mentis operationem . . . 2. Quia juxta Scoti ſententiam eſſet in Deo vera realis formalis compoſitio, nam compoſitio eſt diſtinctorum unio; atqui juxta Scoti ſententiam, eſt in Deo unio diſtinctorum diſtinctione reali formali; ergo erit compoſitio realis formalis; atqui talis compoſitio repugnat ſummæ Dei ſimplicitati; ergo, &c.

Objicies: Attributa divina ſunt multa independenter ab intellectu; ergo diſtinguuntur actu formaliter a parte rei.

Reſp. diſt. ant. Sunt multa, virtualiter, *conc.* actualiter & entitative, *nego ant.* attributa itaque nihil aliud ſunt, quam ipſa eſſentia divina, quæ, licet a parte rei ſimpliciſſima, multis realiter diſtinctis æquivalet in ordine ad diverſos effectus præſtandos, & diverſos conce-

ptus terminandos; ergo non diſtinguuntur actu ante mentis operationem.

Inſt. 1. Juſtitia actu & a parte rei, non eſt miſericordia; alioquin vera eſſet hæc propoſit. *juſtitia eſt miſericordia*. Atqui falſum conſeq. Ergo, &c.

Reſpond. diſt. Hæc propoſ. eſſet vera in ſenſu reali & identico, *conced.* in ſenſu virtuali, formali & præciſivo, *nego*. Equidem eadem virtus, repræſentata inadæquate ut eſt principium punitionum, non eſt formaliter eadem entitas repræſentata inadæquate ut eſt principium miſerationum; verum ſic ſumuntur prout ſubſtant diverſis conceptibus: propter multiplicitatem virtualem in Deo.

Inſt. 2. Eſſentia & attributa diverſas habent definitiones; ergo & diverſas naturas: definitio enim eſt oratio explicans naturam rei.

Reſp. diſt. ant. Habent diverſas definitiones inadæquatas, *conc.* adæquatas, *nego ant.* definitio *adæquata* exponit rem ut eſt in ſe, *inadæquata* explicat rem, prout ſecundum diverſos reſpectus objicitur menti. Cum ergo natura divina, quæ infinita eſt, plures habeat reſpectus, mirum non eſt, quod per varias definitiones inadæquatas explicetur.

Inſt. 3. De eſſentia divina & illius attributis prædicantur contradictoria: nam eſſentia divina communicatur, perſonalitas non communicatur; ergo diſtinguuntur formaliter ex natura rei.

Reſp. tranſeat ant. nego conſeq. Quia ad verificanda prædicata contradictoria, ſufficit diſtinctio virtualis... Dixi: *Tranſeat ant.* quia licet communicari, & non communicari ſub eodem reſpectu, ſint contradictoria, non ſunt tamen contradictoria, ſi ſic prædicentur de eodem ſub diverſo reſpectu: porro *communicari*

dici-

dicitur de natura in ſe & abſolute ſumpta. *Non communicari* vero dicitur de eadem natura, prout eſt modificata per perſonalitatem; ergo ſub diverſo reſpectu communicatur, & non communicatur; ad quod ſufficit diſtinctio virtualis.

Quæres 6. *Quomodo ergo attributa abſoluta inter ſe, & attributa tum abſoluta, tum relativa, ab eſſentia diſtinguuntur?*

Reſp. Diſtinguuntur diſtinctione rationis ratiocinatæ. Nam diſtinguuntur per mentem cum fundamento in re, cum ſint virtualiter multiplicia; æquivalent enim diverſis perfectionibus, quæ actu in creatis diſtinguuntur.

Objicies 1. Deus eſt ens ſimpliciſſimum; ergo amovet a ſe omnem diſtinctionem.

Reſp. diſt. conſeq. Amovet omnem diſtinctionem a parte rei, & in ſe, *conc.* formalem in mente, *nego*. Hæc enim nihil ponit in re; ergo non officit ſimplicitati rei.

Inſt. 1. Compoſitio, etiam rationis, officit ſummæ Dei ſimplicitati; atqui diſtinctio rationis, importat compoſitionem rationis in Deo; nam poſita tali diſtinctione, erit in Deo diſtinctorum unio, quod importat compoſitionem.

Reſpond. diſt. Unio diſtinctorum ſeſe invicem excludentium importat compoſitionem, *conced.* diſtinctorum ſeſe invicem includentium, *nego*. Porro attributa & eſſentia in Deo ſeſe invicem includunt. Quamvis enim mens attributa ſine eſſentia concipiat, eam tamen non excludit ab eis, ſed ab ea tantummodo abſtrahit per diverſos conceptus inadæquatos, rem attingendo ſub diverſis notionibus. Qui conceptus non ſunt falſi, tum quia *abſtrahentium non eſt mendacium*: tum quia ſunt conformes objecto ſuo inadæquato.

Objicies 2. Inter attributa & eſſentiam divi-

nam, ſola debet admitti diſtinctio rationis ratiocinantis: quia nullum eſt fundamentum reale illa diſtinguendi mentaliter.

Reſp. nego anteced. & ejus prob. Nam illud fundamentum, eſt ſumma & infinita Dei perfectio, quam mens, propter ſui tenuitatem, uno conceptu exhaurire non poteſt.

Quæres 7. *Quomodo attributa eſſentiam & eſſentia attributa ſeſe in ſuo conceptu eſſentiali includant?*

Reſp. Seſe includunt in ſenſu identico, quia nulla diſtinctione reali diſtinguuntur, ſuntque una ſimpliciſſima entitas. Sed non ſe includunt in ſenſu formali, ſaltem explicite, quia attributa non ſunt de conceptu formali abſtractivo eſſentiæ, nec vice verſa.

Quæres 8. *Quomodo eſſentia de attributis, & attributa de ſe invicem ac de eſſentia prædicentur?*

Reſp. 1. Attributa & eſſentia divina in concreto, de ſe invicem prædicantur, ſic dicitur: *Deus eſt juſtus; juſtus eſt Deus: miſericors eſt juſtus*. Ratio eſt quia habent unum commune ſubjectum, aut quaſi ſubjectum.

Reſpond. 2. Concreta de abſtractis, abſtracta de concretis, & abſtracta de abſtractis, de ſe invicem prædicantur in ſenſu reali: ſic recte dicitur: *Deus eſt juſtitia; deitas eſt juſtitia; juſtitia eſt miſericordia*. Ratio eſt, quia ſunt unum & idem in omni ſenſu reali actuali, ut ſupra probatum eſt.

Reſpond. 3. In Deo, abſtracta de abſtractis non poſſunt de ſe invicem prædicari in ſenſu formali per mentem: ſic non poteſt dici *Juſtitia eſt miſericordia:* quia abſtracta ſecundum ſenſum formalem conſiderata, ſunt diſtincta; ergo diverſos habent conceptus.

DIS-

DISSERTATIO IV.

De attributis divinis ſpeciatim.

CAPUT I.

De ſimplicitate Dei.

Quæres 1. Quid *ſit ſimplicitas Dei?*

Reſpond. Eſt, negatio compoſitionis.

Quæres 2. *Quotuplex eſt compoſitio?*

Reſpond. Duplex. *Realis*, quæ eſt partium realiter diſtinctarum unio: (ſi partes ſint phyſicæ, compoſitio dicitur *phyſica*: ſi metaphyſicæ, dicitur *metaphyſica*) & *compoſitio rationis*, quæ eſt plurium partium ſola ratione diſtinctarum unio: hæc dicitur etiam *logica*.

Quæres 3. *Utrum compoſitio phyſica habeat locum in Deo?*

Reſpond. negat. Nam omnis compoſitio phyſica, fit ex materia & forma, vel ex ſubjecto & accidente, atqui 1. Deus non conſtat ex materia & forma, cum ſit ſubſtantia mere ſpiritualis: *Spiritus eſt Deus*, inquit Chriſtus, Joann. 4. *Et eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare* . . . . 2. Non conſtat ex ſubjecto & accidente, cum ſit immutabilis; ergo, &c.

Objicies 2. Scriptura, variis in locis, membra humana Deo tribuit, v. g. aures, oculos; ergo, &c.

Reſpond. diſt. ant. Tribuit metaphorice, *conc.* proprie, *nego*. Per iſtas enim locutiones, deſignantur variæ Dei perfectiones, quamdam cum facultatibus corporeis analogiam habentes: ſic per *brachia*, intelligit Dei omnipotentiam.

tiam, quia in eo membro reſidet hominis fortitudo.

Inſt. In Deo ſunt affectiones corporeæ, v. g. pœnitentia, ira, &c. Ergo.

Reſp. diſting. Sunt in Deo, quoad effectum, quia nempe idem facit Deus erga creaturam quæ eum offendit, quod agere ſolent homines cum malefactores puniunt, & opera ſua deſtruunt, quæ feciſſe illos pœnitet, *conc.* quoad effectum, & interiorem animi motum, *nego*; alias Deus mutaretur, cum de non irato fieret iratus.

Objicies 2. Tertullian. lib. contra Praxeam, c. 7. videtur aſſerere Deum eſſe Corpus; ergo.

Reſp. diſt. ant. Prout corpus opponitur nihilo & vacuo, *conc.* prout opponitur ſubſtantiæ ſpirituali, *nego ant.* Agit enim contra Praxeam, qui Verbum divinum non diſtinguebat a Patre, dicens quod non ſit, *niſi vox & ſonus oris, & aer offenſus*: quem ut argueret, dixit Deum eſſe Corpus, per *corpus* intelligens ſubſtantiam per ſe ſubſiſtentem, non molem extenſam; quia ait: *Omne quod eſt, corpus eſt ſui generis*, id eſt ſuo modo, & latiſſimo ſenſu.

Objicies 3. A creatione mundi, multa de novo advenerunt Deo, v. g. tituli creatoris, judicis, &c. Ergo eſt compoſitus ex ſubjecto & accidente.

Reſp. diſt. ant. Advenerunt Deo denominative, & objective per meram connotationem ad creaturas, *conc.* intrinſece & ſubjective per ordinem ad divinam virtutem, *nego ant.* Nam Deus ab æterno habet virtutem creandi, judicandi, &c. quæ Deo non advenit, cum ſit ipſi eſſentialis. Unde patet totam mutationem cadere in res creatas, quæ ab uno ſtatu tranſeunt ad alium.

Obji-

Objicies 4. D. Auguſt. *lib.* 5. *de Trinit. cap.* 4. docet non omnia quæ de Deo dicuntur, ſecundum ſubſtantiam dici; ergo aliqua de eo dicuntur ſecundum accidens.

Reſp. diſt. conſeq. Nam D. Auguſt. non opponit ſubſtantiam accidenti, ſed relationi, aſſerendo, non cuncta, quæ de Deo dicuntur, abſolute dici, ſed aliqua relative.

Quæres 4. *Utrum compoſitio metaphyſica ex eſſentia & exiſtentia, vel ex natura & perſonalitate, habeat locum in Deo?*

Reſp. neg. Nam omnis compoſitio fit ex rebus diſtinctis; atqui, 1. exiſtentia Dei, nequidem per mentem diſtinguitur ab eſſentia: Deus enim eſt *ens a ſe*; atqui *ens a ſe* includit exiſtentiam in ſuo conceptu; ergo, &c. . . . . . 2. Natura divina & perſonalitates neque realiter, neque formaliter ex natura rei diſtinguuntur, (ut ſuperius probatum eſt) ergo, &c.

Quæres 5. *Utrum in Deo ſit compoſitio logica?*

Reſp. negat. Nam in omni compoſito ex genere & differentia, genus ſe habet ut potentia perfectibilis & actuabilis a ſua differentia; atqui in Deo, ente puriſſimo & actualiſſimo, nihil eſt per modum potentiæ; alias actus perfectior cogitari poſſet; ergo, &c. Hinc SS. Patres cum Cyrillo Alexandrino damnant: *Alienum eſt a ratione, genus in Deo ullum nominare.*

Objicies: Compoſitio, quæ eſt in ſola mente, nihil imperfecti arguit in Deo; atqui compoſitio ex genere & differentia, eſt in ſola mente; ergo.

Reſp. nego maj. Nam omnis compoſitio arguit aliquid in Deo, quod ſe habet per modum potentiæ; atqui omnis potentialitas repugnat enti perfectiſſimo; ergo.

Inſt. 1.

Inſt. 1. Illa potentialitas, eſt pura mentalis; ergo non repugnat Deo.

Reſp. nego conſeq. Efficit enim ut ens purius Deo excogitari poſſit, illud nempe in quo non eſſet talis potentialitas: hoc autem repugnat Deo.

Inſt. 2. Diſtinctio fundamentalis non repugnat Dei ſimplicitati; ergo nec compoſitio fundamentalis.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod diſtinctio fundamentalis nihil aliud arguat, quam ſummam Dei eminentiam, quam mentis noſtræ tenuitas unico conceptu attingere non poteſt. Econtra compoſitio fundamentalis dicit actum & potentiam, quæ magna eſt imperfectio, puritati Dei maxime nociva.

Quæres 6. *Utrum Deus poſſit venire in aliorum compoſitionem?*

Reſp. Poteſt venire in aliorum compoſitionem quæ dicitur, *cum his*; ſed non poteſt venire in aliorum compoſitionem quæ dicitur *ex his*.

Prob. prima pars; Quia compoſitio *cum his*, fit cum plura, ad conſtituendum compoſitum, ita conjunguntur, ut unumquodque eorum remaneat actus; atqui Deus poteſt venire in ejuſmodi compoſitionem: nam reipſa Verbum divinum ſic componitur in Incarnatione, in qua ſolius termini rationem habet; ergo.

Prob. ſecunda pars: Quia compoſitio *ex his*, fit ex duobus, quorum unum eſt materia, alterum forma; atqui ea compoſitio repugnat Deo; qui ſi haberet rationem materiæ, eſſet in potentia ad formam; ſi haberet rationem formæ, dependeret a materia tanquam in ſubjecto; ergo, &c.

Objicies: Verbum in Incarnatione, receptum eſt in natura humana tanquam in ſubjecto

ćto quod informavit ac perfecit; ergo perſonæ Verbi venit in compoſitionem *ex his*, tanquam forma.

Reſp. nego ant. Nam actus informans, ſimul cum ſubjecto, componit unicam naturam; atqui in Chriſto ſunt duæ naturæ; ergo, &c. Hinc *Almaricus* in Concilio Lateranenſi IV. inſanus dictus eſt, quod aſſereret Deum eſſe cauſam formalem hujus mundi.

CAPUT II.

De infinitate & perfectione Dei.

Nota: INfinitum, illud eſt quod nullos habet terminos. Porro tribus modis poteſt res aliqua dici infinita; nimirum ſecundum quantitatem molis, ſecundum virtutem, & ſecundum eſſentiam, ita ut infinita ſit ſimpliciter, & in omni genere perfectionis.

Quæres 1. *An Deus ſit infinitus quantitate molis?*

Reſp. negat. Nam quantitas molis competit ſolis corporibus, quæ ſunt extenſa in longum, latum, & profundum; atqui Deus non eſt Corpus; ergo.

Quæres 2. *An Deus ſit infinitus ſecundum virtutem?*

Reſp. Affirm. Nam eſt omnipotens, ut ſuo probabitur loco.

Quæres 3. *An Deus ſit infinitus ſecundum eſſentiam?*

Reſp. Affirmat. Nam 1. de Deo dicitur Baruch 3. *Magnus eſt & non habet finem.* Ergo in Deo eſt plenitudo omnis eſſe . . . 2. Deus eſt *ens a ſe*; ergo nullos habet terminos ſuæ perfectionis: nihil enim a ſe ipſo limitatur, ſed a libera voluntate, vel impotentia ſuæ cau-

ſæ.

ſæ. Deus autem nullam ſui eſſe agnoſcit cauſam.

Objicies: Corpus infinitum omnem occupat locum, a quo omnia alia corpora excludit; ergo ſi Deus eſſet ens infinitum, excluderet omnia alia entia.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod ſit de eſſentia Corporis infiniti ut omnibus omnino locis coexiſtat cum impenetrabilitate, ac proinde non compatiatur alia ſecum corpora in loco; at vero infinito ſecundum eſſentiam, non eſt eſſentiale, ut excludat omnes res a ſe diſtinctas; ſed ſufficit, ut omnes earum perfectiones, vel formaliter vel eminenter contineat.

Quæres 4. *Quotuplicis generis ſunt perfectiones?*

Reſpond. Triplicis. Nimirum, *ſimpliciter ſimplex*, quæ *melior eſt ipſa, quam non ipſa*, id eſt, quam melius eſt habere, quam non habere. *Simplex*, quæ licet nullam imperfectionem importet, tamen incompoſſibilis eſt cum alia æquali perfectione, ſic *paternitas* in Deo incompoſſibilis eſt cum filiatione. *Perfectio ſecundum quid*, quæ in ſuo conceptu formali aliquam includit imperfectionem, ut eſſe Corpus.

Quæres 5. *Quotuplici modo unum continetur in alio?*

Reſp. Triplici. 1. *Formaliter*, quando in alio continetur ſecundum propriam formam, ſic animalitas continetur in homine. 2. *Eminenter*, quando nobiliori modo continetur in alio, quam in ſubjecto in quo reperitur ſecundum propriam ſuam formam. 3. *Virtualiter*, quando in alio eſt tanquam in cauſa, ſic planta continetur in ſemine.

Quæres 6. *Quomodo perfectiones creaturarum ſimpliciter ſimplices continentur in Deo?*

Reſp.

Reſp. Continentur formaliter; quia prædicantur de Deo abſtracto, & ſecundum propriam formam, juxta illud Job 12. *Apud ipſum eſt fortitudo & ſapientia.*

Objicies: Sapientia & bonitas creaturarum ſunt finitæ & imperfectæ; ergo Deus illas non continet formaliter.

Reſp. diſt. Sunt finitæ & imperfectæ, ratione ſubjecti ex natura ſua finiti, *conc.* ratione ſui, *nego*. Illæ enim virtutes ex ſeſe poſſunt eſſe perfectæ & infinitæ; unde in ſubjecto infinito, ſunt infinitæ.

Quæres 7. *Quomodo perfectiones creaturarum ſimplices continentur in Deo?*

Reſp. Continentur formaliter: nam quod conſtituit SS. Trinitatis perſonas, continetur in Deo formaliter; atqui perfectiones *ſimplices*, nempe relationes divinæ, conſtituunt tres Sanctiſſimæ Trinitatis perſonas; ergo, &c.

Quæres 8. *Quomodo perfectiones creaturarum ſecundum quid, continentur in Deo?*

Reſp. 1. Non continentur formaliter; quia dicunt imperfectionem, immo excludunt majorem perfectionem, v. g. eſſe corpus, excludit ens mere ſpirituale; ergo.

Reſpond. 2. Continentur eminenter; quia in Deo continentur nobiliori modo, quam in ſubjecto in quo reperiuntur ſecundum propriam ſuam formam, cum in Deo ſint ab omni prorſus imperfectione defœcatæ; ergo in Deo continentur eminenter.

CAPUT III.

De immutabilitate, incomprehenſibilitate, & ineffabilitate Dei.

Quæres 1. QUid eſt immutabilitas?

Reſp. Eſt negatio mutationis: unde

unde immutabile dicitur, quod aliter non poteſt ſe habere, ac eſt.

Quæres 2. *Quotuplex eſt mutatio, ſeu mutabilitas?*

Reſp. Duplex; *realis*, ſeu, *intrinſeca*, quæ fit per receptionem, aut amiſſionem alicujus poſitivæ perfectionis, ut cum lignum mutatur in ignem; & *impropria*, ſeu *extrinſeca*, quæ fit per novam denominationem extrinſecam, abſque receptione, vel amiſſione ullius qualitatis poſitivæ. De mutatione reali hic agitur.

Quæres 3. *Utrum Deus ſit omnino immutabilis?*

Reſp. affirm. Nam 1. Deus dicit Malach. 3. *Ego Dominus, & non mutor* .... 2. Non eſt mutabilis ſecundum ſubſtantiam, quia eſt immortalis; nec ſecundum tempus, quia eſt æternus; nec ſecundum locum, quia eſt immenſus; nec ſecundum quantitatem, quia non eſt corpus; nec ſecundum perfectionem, quia eſt infinitus; nec ſecundum operationem, quia quæcumque Deus cognoſcit & vult, ab æterno cognoſcit & vult; ergo &c.

Objicies: Deus tranſit de loco in locum; ait enim Geneſ. 11. *Venite, deſcendamus, &c.*

Reſp. diſt. Tranſit metaphorice, quia ita agit quaſi moveretur, *conc.* vere, *ſubdiſt.* ſub ſpecie humana aſſumpta, *conc.* juxta propriam naturam, *nego*. Porro, *Geneſ.* 11. ſermo eſt de Deo ſub ſpecie humana apparente.

Inſtab. 1. Deus de non creante, factus eſt creans; ergo mutatus eſt intrinſece.

Reſp. diſt. ant. Factus eſt creans, per actum quem ſemper habuit, *conced.* per actum qui ei de novo advenit, *nego antec.* Itaque per creationem nulla nova entitas Deo advenit, ſed nova denominatio & relatio ad creaturas: nihil enim vult in tempore, quod non velit ab æterno; unde actus ejus eſt æternus.

Inſt. 2.

Inſt. 2. D. Auguſt. dicit: *Deus novit mutare ſententiam, ſi tu noveris emendare delictum;* ergo Deus mutatur.

Reſp. diſt. conſeq. Mutatur extrinſece, quatenus eodem modo ſe gerit, ac ſi mutaret ſententiam, *conc.* intrinſece, quaſi novum volendi actum reciperet, *nego*. Itaque, ſive Deus puniat, ſive condonet, punit & condonat per unum & eundem actum, tendentem in diverſa objecta; & ideo tota mutatio eſt in homine.

Inſt. 3. Deus eſt intrinſece liber; ergo poteſt mutare ſententiam intrinſece.

Reſp. nego conſeq. Quia cum libertas Dei ſit perfectiſſima, poteſt unico actu, utpote infinito, velle & nolle, amare & odiſſe; ille autem actus, entitative ſpectatus, eſt ipſe Deus.

Quæres 4. *Utrum Deus poſſit comprehendi ab intellectu creato?*

Reſp. negat. Nam. 1. Deus, *Jerem.* 32. dicitur, *incomprehenſibilis cogitatu* .... 2. Quia comprehendere Deum, eſt divinam eſſentiam cognoſcere, quantum cognoſcibilis eſt, ipſamque omni ex parte exhaurire; atqui non poteſt ſic cognoſci, niſi per cognitionem infinitam, cujus non eſt capax intellectus creatus; ergo, &c.

Objicies: Beati vident Deum totum, ut eſt in ſe; ergo comprehendunt Deum.

Reſpond. diſting. antec. Vident Deum totum, & non totaliter, *conc.* vident Deum totum & totaliter, *nego*. Porro ad comprehenſionem Dei, non ſufficit, ut totus videatur, ſed inſuper ut videatur totaliter, id eſt, tam perfecte ac videri poteſt & exigit, ac conſequenter cognitione infinita, cujus mens creata non eſt capax.

Inſt. 1. Deus eſt ſimpliciſſimus; ergo non

po-

poteſt videri totus quin ſimul videatur totaliter.

Reſpond. nego conſeq. Quia ut videatur totaliter, neceſſe eſt, ut videatur omni modo quo videri poteſt & exigit; atqui videri poteſt & exigit modo finito; ergo.

Inſt. 2. D. Auguſt. *Epiſt.* 112. ait: *Illud comprehendi, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem.* Atqui nihil Dei latet beatos; ergo.

Reſp. diſt. maj. Ut nihil lateat videntem; tum quoad rem viſam, tum quoad omnem amplitudinem ejus cognoſcibilitatis, *conc.* quoad rem viſam duntaxat, *nego.* Porro cognitio beatorum, cum ſit finita, non adæquat totam cognoſcibilitatem Dei, qui modo infinito exigit videri.

Quæres 5. *An Deus ſit ineffabilis?*

Reſp. affirmat. Ita definitur in Concil. Lateranenſe IV. cap. *firmiter*, de ſumma Trinit. *Credimus quod Deus ſit .... incomprehenſibilis, & ineffabilis.*

Quæres 6. *Quo ſenſu Deus dicatur ineffabilis?*

Reſp. Hoc ſenſu, quod a viatoribus, nullo nomine perfecte, & ut eſt in ſe, poſſit exprimi: quia eum perfecte & ut eſt in ſe non cognoſcunt.

CAPUT IV.

De inviſibilitate Dei.

Quæres 1. Quotuplex *ſit cognitio Dei?*

Reſpond. Duplex. *Abſtractiva* nempe, qua Deum, per medium ab eo diſtinctum, nimirum per creaturas, cognoſcimus; & *intuitiva*, qua Deum, ut in ſe eſt, ſeu eſſen-

ſentiam Dei cognoſcimus: de hac nunc agimus.

Quæres 2. *Utrum Deus videri poſſit oculis corporeis?*

Reſp. negat. Nam in Scriptura Deus dicitur inviſibilis 1. ad Timoth. 1. *Regi ſæculorum immortali & inviſibili*. Et viſibilis, 1. Joann. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*. Ergo eſt viſibilis & inviſibilis, viſibilis per mentem, & inviſibilis oculo corporeo. *Ratio eſt*, quia Deus, cum ſit purus ſpiritus, non eſt coloratus; ergo eſt extra objectum adæquatum oculi corporei; ergo oculus corporeus non poteſt, etiam de potentia Dei abſoluta elevari ad intuitivam Dei viſionem.

Objicies 1. Scripturæ textus, quibus aſſeritur Jacob & Moyſen vidiſſe Deum *facie ad faciem*, intelligi debent de viſione Dei per oculum corporeum; ergo.

Reſp. diſt. ant. Intelligi debent de viſione Dei, ſub ſpecie aliena & aſſumpta, *conc.* in propria natura, *nego*. Viderunt ergo Deum ſub ſpecie Angeli Deum repræſentantis, non vero viderunt eſſentiam divinam.

Objicies 2. Job *c.* 19. ait: *In carne mea videbo Deum meum*; ergo, &c.

Reſpond. nego conſeq. Cum D. Auguſtin. qui, *lib.* 22. *de Civit. Dei*, *cap.* 19. obſervat, Job dixiſſe, ſe, poſt reſurrectionem, viſurum Deum *in carne*, id eſt, reſumpto corpore, *non per carnem*, ſed per mentem.

Inſtab. 1. Job addit: *Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt!* Ergo.

Reſp. nego conſeq. Nam Job ibi non loquitur de Deo in ſe, ſed de Deo redemptore, qui in carne aſſumpta poteſt videri oculo corporeo.

Inſt. 2. Job, cap. 42. ait: *Auditu auris audivi*

divi te, nunc autem oculus meus videt te. Atqui ibi loquitur de Deo in ſe; ergo.

Reſpond. nego minor. Loquitur enim de Deo in ſua providentia, quaſi diceret: multa audieram de effectibus tuæ providentiæ: nunc autem, cum a tot miſeriis ſanus evaſerim, illos proprio experimento, quaſi ad oculum, video.

Objicies 3. Viſus eſt potentia cognoſcitiva, Deus vero objectum cognoſcibile; atqui potentia cognoſcitiva poteſt extendi ad quodlibet objectum cognoſcibile; ergo, &c.

Reſp. diſt. major. Eſt potentia cognoſcitiva, particularis & ad unum objectum determinata, nempe ad coloratum, *conc.* univerſalis, *nego*. Deus autem non eſt coloratus.

Inſt. Deus, per abſolutam ſuam potentiam elevat ignem corporeum ad comburendas animas, aquam in Baptiſmo ad producendam gratiam, licet cum illis effectibus nullam habeant proportionem; ergo a pari oculus corporeus elevari poteſt ad videndum Deum intuitive.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt; quod ignis corporeus, & aqua baptiſmalis, non agant modo vitali, & conſequenter ſint tantum cauſæ inſtrumentales effectuum ad quos producendos a Deo aſſumuntur; in cauſis autem inſtrumentalibus Deus proportionem aliquam cum effectu producendo, non ſupponit. Econtra oculus corporeus, cum agat vitaliter, eſt eſſentialiter cauſa principaliter effectuum quos operatur, ad quos ſeipſum movere debet; ergo aliquam, ſaltem inchoatam, cum illis effectibus proportionem habere debet.

Quæres 3. *Utrum Deus per ſolas naturæ vires, poſſit ab intellectu creato videri intuitive?*

Reſp. neg. Nam 1. ita definitum eſt in Concilio

cilio Viennenſi contra Beguardos ... 2. Iſaias *cap.* 64. dicit: *Oculus*, mentis, *non vidit Deus, abſque te*, (dante & elevante) *quæ præparaſti expectantibus te* ... Ratio eſt, quia viſio intuitiva eſt actus ſupernaturalis, qui non poteſt elici per ſolas naturæ vires.

Objicies: Deus intuitive videndus, eſt intra latitudinem objecti intellectus ſpecificativi; ergo poteſt naturaliter illius viſionem conſequi.

Reſp. diſt. ant. Eſt intra latitudinem objecti intellectus ſpecificativi, ipſi improportionati, *conc.* proportionati, *nego*. Licet ergo Deus clare videndus, ſit intra latitudinem objecti intellectus, quatenus eſt potentia viſiva; tamen cum ſit ordinis ſupernaturalis, ipſi eſt improportionatus, nec poteſt illum intuitive videre, niſi aliquo ſupernaturali auxilio roboretur.

C A P U T V.

De viſibilitate Dei.

Quæres I. UTrum *intellectus creatus poſſit Deum videre?*

Reſp. Poteſt per quoddam auxilium Dei ſupernaturale: ſi quidem, Matth. 5. dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Et Apoſtol. 1. *Corinth.* 13. ait: *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem*, in patria, *facie ad faciem*, id eſt, intuitive ... 2. Hæc veritas, quæ definita eſt in Concilio Florentino demonſtratur ex traditione: Nam Divus Irenæus, *lib.* 4. *contra hæreſes, cap.* 20. ait: *Participatio Dei, eſt videre Deum* .... *homines igitur videbunt Deum, & vivent per viſionem, immortales facti, & pertingentes uſque ad Deum*. Et D. Clem. Alexandr. *lib.* 5. *ſtromat.* ſic loquitur: *Qui ſunt mundo corde,*

Deum videbunt, poſtquam extremam perfectionem attigerint.

Objicies 1. In Scripturis Deus dicitur *inviſibilis*; ergo.

Reſp. Illi textus intelliguntur, vel de viſione Corporea, vel de viſione comprehenſiva, vel de viſione per ſolas naturæ vires, vel de viſione intuitiva in hac vita; non autem de viſione intuitiva in altera vita.

Objicies 2. Multi SS. Patres aſſerunt Dei naturam non poſſe intuitive videri; ergo.

Reſp. nego antec. Nam SS. Patres unice rejiciunt poſſibilitatem viſionis Dei comprehenſivæ, contra Anomæos, qui, ut ait D. Chryſoſt. Homil. 2. contra Anomæos, *Stulte non minus quam impie jactitabant, ſe ita Deum noſſe, ac Deus ſeipſum novit.* Appoſite ergo ad controverſiam, quam verſabant, exponi debent hæc eorum verba, *videri*, & *non videri*; quæ pro varia eorum ſignificatione, de Deo dici poſſunt; conſtat enim SS. Patres vocabula: *videri*, & *comprehendi*; tanquam ſynonyma uſurpaſſe.

Objicies 3. Inter mentem finitam & Deum infinitum, nulla eſt proportio; ergo.

Reſp. Nulla eſt proportio *entitatis*, quæ eſt ſimilitudo in natura, ſed eſt proportio *habitudinis*, in eo poſita, quod res aliqua contineatur inter objectum alicujus potentiæ, nam Deus continetur intra verum, quod eſt ſubjectum intellectus; illa autem proportio habitudinis ſufficit, ad Deum, cum ſupernaturali auxilio, videndum.

Quæres 2. *Utrum aliquibus puris hominibus in hac vita poſitis, fuerit conceſſa intuitiva Dei viſio?*

Reſp. negat. Nam Moyſi a Deo poſtulanti, ut ſuam ipſi gloriam oſtenderet, Exod. 33. reſpon-

ſpondit Deus: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet*. Ubi nullus: ne Moyſes quidem, excipitur . . . . . . Joann. 6. dicitur: *Omnis qui audivit a patre venit ad me, non quia patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt a Deo, hic vidit patrem*: Ubi ab illa propoſ. negativa excipitur ſolus Chriſtus; atqui unius exceptio firmat regulam quoad alios; ergo.

Objicies 1. Deus Exod. 33. dixit Moyſi: oſtendam tibi omne bonum; atqui per, *omne bonum*, intellexit divinam naturam; ergo.

Reſp. nego min. Nam Deus immediate excluſit intuitivam viſionem, dicens: *Faciem autem meam videre non poteris*. Ergo per τὸ *omne bonum*, intellexit duntaxat Deus mirabilia quæ per Moyſen operaturus erat, ut Iſraelem a captivitate Ægyptiaca liberaret.

Inſt. Deus de Moyſe, num. 12. ait: *Os enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt*; ergo intuitive Deum videbat.

Reſp. diſt. conſeq. Intuitive videbat Deum, in perſona Angeli Deum repræſentantis, *conc.* in propria natura, *nego*. Videbat ergo Angelum, qui Typum Dei gerebat, ut aſſerit Sanctus Stephanus, *Act.* 7.

Objicies 2. Apoſtolus 2. Corinth. 12. ait ſe raptum fuiſſe ad tertium cælum, & audiviſſe arcana verba quæ non licet homini loqui; ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Non enim Apoſt. loquitur de viſis, ſed de auditis per revelationem ſibi factam in extaſi, vel in raptu mirabili quem paſſus fuerat, idque ſuadent, tum verbum *audivi*, quo utitur, tum hæc verba ſequentia; *ne magnitudo revelationum extollat me*, &c.

Quæres 3. *Quinam fuerit error Millenariorum?*

Reſp. In eo conſiſtit, quod docuerint juſtos poſt generalem reſurrectionem, antequam ad viſionem Dei raperentur, cum Chriſto in terris regnaturos, illudque regnum traducturos, vel in ventris ac libidinis voluptatibus explendis, ut docuit infamis Cerinthus; vel in voluptatibus corporeis, ſed licitis, ut quidam tenuerunt; vel in ſolis animæ ſpiritualibus deliciis, ut docuit *Papias* Jeroſolymitanus Epiſcopus.

Quæres 4. *Quid de ſententia Cerinthi eſt ſentiendum?*

Reſpond. Quod ſit infamis ab ipſo Chriſto, Matth. 22. damnata: *In reſurrectione neque nubent neque nubentur;* & ab Apoſtol. Roman. 4. *Non eſt regnum Dei eſca & potus.*

Quæres 5. *Quid de ſententia Papiæ dicendum?*

Reſp. Quod ſit fabuloſa ac delira: nam ſi vera eſſet, 1. Regnum Chriſti eſſet terrenum, tamen, *Joann.* 18. dicit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo....* 2. Regnum Chriſti eſſet mille annorum ſpatio circumſcriptum, quod tamen nullum habiturum eſſe finem aſſerit Lucas, cap. 1. *Regni ejus non erit finis.*

Objicies: D. Joann. in Apocal. cap. 20. docet, quod Angelus *ligavit* diabolum *per mille annos, . . ut non amplius ſeducat gentes, donec conſummentur mille anni.* Atqui hoc eſt Millenariorum ſententia ergo.

Reſp. nego min. Nam, juxta Millenarios, regnum Chriſti, futurum non erat, niſi poſt generalem corporum reſurrectionem; tamen Divus Joannes loquitur de regno mille annorum, qui præcedent adventum Antichriſti, qui regnabit tribus annis & dimidio ante corporum reſurrectionem; dicit enim: *Et cum conſummati fuerint mille anni, ſolvetur ſatanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes.* D. Joannes ergo per mille annos deſignat durationem

præ-

præſentis Eccleſiæ, a primo Chriſti adventu uſque ad Antichriſti tempora, quod tempus dicitur, regnum Chriſti.

Inſt. Quod D. Joann. docet de regno Chriſti, non poteſt intelligi de tempore præſentis Eccleſiæ; ergo, &c.

Prob. antec. Juxta D. Joann. 1. toto tempore illius regni draco ligabitur; atqui quotidie hominibus inſidiatur. 2. Tempus illius regni ad mille annos reſtringitur; atqui Eccleſia ab annis 1778. durat. 3. Animæ decollatorum, propter teſtimonium Jeſu, pertinebunt ad illud regnum, atqui non ſunt amplius de Eccleſia; ergo.

Reſp. ad 1. *diſt. ant.* Draco eſt ligatus, quatenus, per mortem Chriſti, ejus vires depreſſæ ſunt & extenuatæ, *conc.* ſignificavit Chriſtus *Jo:* 12. dicens: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras?* Quatenus inſidias hominibus ſtruere amplius non poteſt, *nego*. Adhuc enim *latrare poteſt, ſollicitare poteſt*, ait D. Aug. ſerm. 197. de temp. *mordere omnino non poteſt, niſi volentem*.

Reſp. ad 2. *diſt. maj.* Spatio mille annorum, ſumptorum indefinite, pro toto illo tempore quod a morte Chriſti, ad diem uſque judicii, vel, ut alii volunt, ad adventum Antichriſti intercedit, *conc.* ſumptorum definite, *nego*. Itaque, *mille annos pro annis omnibus hujus ſæculi poſuit*, ait Aug. loco cit. *ut perfecto numero notaretur ipſa temporis plenitudo*, quæ per millenarium numerum ſolet explicari in Scripturis; v. g. Jerem. 32. *Ego Dominus faciens miſericordiam in millibus his qui diligunt præcepta mea*; id eſt, in omnibus.

Reſp. ad 3. *nego min.* Cum D. Auguſt. ibidem: *Neque enim*, ait, *piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia quæ nunc eſt regnum Chriſti .... regnant cum illo*, per gloriam eſ-

ſentialem, *dum iſti mille anni*, primæ reſurrectionis, *decurrunt*:

Quæres. 6. *Utrum animæ juſtorum, quibus nihil ſupereſt expiandum, ſtatim poſt mortem, ad claram Dei viſionem admittantur?*

Reſp. Affirm. Nam 1. Apoſt. 2. *Cor.* 5. ſcribit, Sanctos poſt mortem, habituros eſſe *domum non manufactam, æternam in cælis*. Nullum autem tempus interponit inter mortem & poſſeſſionem illius æternæ habitationis; ergo, &c. .... 2. Idem aſſerunt Patres: *Quanta ſecuritas*, inquit D. Cyprian. exhortat. ad martyrium, *claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eoſdem ſtatim, ut Deus videatur & Chriſtus ..... ſine damno temporis merces, judice Deo, redditur*; ergo *ſtatim*, & *ſine damno temporis*, juſti viſione beatifica donabuntur.

Objicies 1. D. Joann. *Apoc.* 6. dicit, ſe vidiſſe ſubtus altare animas interfectorum *propter verbum Dei*; ergo Martyres nondum ſunt in cælis.

Reſp. nego conſeq. Nam quidquid intellexerit nomine *altaris*, certum eſt illas animas in cælo eſſe; nam infra dicitur: *Illis datæ ſunt ſingulæ ſtolæ albæ*; atqui per ſtolas albas intelligitur æterna felicitas; ergo.

Inſtab. Illis martyrum animabus poſtulantibus gloriam, reſponſum eſt, *ut requieſcerent adhuc modicum, donec compleantur conſervi eorum & fratres eorum*, id eſt, ut finem mundi expectarent; ergo nondum fruuntur beatitudine.

Reſpond. diſt. conſeq. Nondum fruuntur beatitudine corporis, *conc.* animæ, *nego*. Itaque, animæ illæ, jam una ſtola, hoc eſt, animæ felicitate donatæ, gloriam corporis poſtulant, quæ dicitur non eſſe ante finem mundi concedenda.

Obji-

Objicies 2. In ultimo duntaxat judicio, Chriſtus dicet electis: *Poſſidete paratum vobis regnum*. Matth. 25. Deinde Paterfamilias non ſolvit denarium diurnum, niſi ad veſperam, *Matth.* 20. id eſt, niſi ad finem mundi; ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Uterque enim textus intelligitur de beatitudine completa tum animæ, tum corporis, qua electi non donabuntur niſi in fine mundi, poſt ultimum judicium.

Objicies 3. SS. Patres juſtorum felicitatem ad ultimum uſque judicii diem protrahunt; ergo.

Reſp. nego ant. Exceptis enim paucis, qui Papiæ adhæſerunt, ut ſunt, *Juſtinus*, *Irenæus*, *Nepos*, *Lactantius*, *Severus Sulpicius*, & *Auguſtinus* initio ſui Sacerdotii, reliqui omnes aſſeruerunt, animas juſtorum ſtatim poſt mortem in cælo regnaturas.

Inſt. 1. D. Aug. *Serm.* 299. docent omnes Sanctos poſt reſurrectionem ſabbatizaturos in terra cum Chriſto, antequam in cælum admittantur, *& ſabbatizabunt Sancti & juſti Dei*; ergo, &c.

Reſp. Fateor Divum Auguſtinum initio Sacerdotii in opinione Millenariorum fuiſſe verſatum, ut ipſemet fatetur, *lib.* 20. *de civit. Dei*, *cap.* 9. Verum brevi poſtea iſtam opinionem exuit, & conſtanter exinde docuit, animas ſtatim a morte clara Dei viſione potiri; nam in Pſalm. 119. ait: *Ibi*, in cæleſti Jeruſalem, *omnes juſti & Sancti ſunt, qui fruuntur verbo Dei ſine lectione, ſine litteris, quod enim nobis per paginas ſcriptum eſt, per faciem Dei, illi cernunt*.

Inſtab. 7. D. Bernardus, *Serm.* 3. *de Sanctis*, ait: *In illam beatiſſimam*, Dei, *domum*, *nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis* Ergo nondum vident Deum.

Reſp. diſt. ant. Non intrabunt ſine nobis in domum Dei, cum completa animæ & corporis felicitate, *conc.* cum felicitate incompleta animæ, *nego ant.* ſic ſe explicat D. Bernard. eodem Serm. dicens: *Acceperunt jam ſingulas ſtolas, ſed non veſtientur duplicibus donec veſtiamur & nos . . . . ſtola enim prima, ipſa eſt, quam diximus, felicitas & requies animarum, ſecunda vero, immortalitas & gloria corporum.* Hæc de ſana D. Bernardi doctrina nullum relinquunt dubitandi locum.

Inſt. 3. Joann. XXII. definivit Sanctos, non niſi poſt extremi judicii diem, eſſe Deum viſuros, ergo, &c.

Reſp. nego ant. Licet enim Joann. XXII. tanquam Doctor privatus, in ea fuerit opinione, nihil tamen ſuper ea re definiit, ut conſtat, 1. Quia id declaravit Clerus Gallicanus: a Rege in caſtrum Vincennarum coactus . . . . . . 2. Quia idipſum teſtatur Joann. XXII. revocando priorem ſuam opinionem per ſpeciale diploma datum Avenione anno ejus Pontificatus ultimo. Quod diploma Benedictus XII. ejus ſucceſſor promulgavit anno ſequenti, in Extravag. quæ incipit: *Benedictus Deus*.

Quæres 7. *Quid ſit lumen gloriæ?*

Reſp. Eſt habitus ſupernaturalis, quo mens creata, a Deo elevatur ad intuitivam viſionem Dei eliciendam.

Quæres 8. *Utrum lumen gloriæ neceſſarium ſit ad Deum intuitive videndum?*

Reſpond. Affirmat. Nam 1. hoc definitum eſt in Concilio Viennenſi contra Beguardos, & Beguinas . . . . 2. Quia cum intuitiva Dei viſio ſit ſupernaturalis, intellectus creatus, eſt ex ſe inſufficiens & improportionatus ad illam eliciendam; ergo ad id indiget elevari per aliquod auxilium ſupernaturale; atqui illud auxilium,

lium, eſt lumen gloriæ; ergo, &c. Hinc, *Pſ.35.* dicitur: *In lumine tuo videbimus lumen.*

Objicies 1. Omnis facultas poteſt per ſe, & ſine ullo addito, attingere objectum ſuum; atqui Deus, utpote ſumme cognoſcibilis, eſt objectum intellectus creati; ergo.

Reſpond. diſt. major. Poteſt per ſe attingere objectum ſuum, ſibi proportionatum, *conc.* ſibi improportionatum, *nego*. Deus itaque intuitive videndus, eſt objectum ſupernaturale; ergo intellectui creato improportionatum.

Objicies 2. Si lumen gloriæ ſit principium effectivum viſionis beatificæ, intellectus erit tantum cauſa inſtrumentalis illius viſionis; abſurdum conſequens; ergo.

Reſp. nego ſeq. maj. Nam tum intellectus, tum lumen gloriæ ſimul conjuncta, unicum efficiunt viſionis beatificæ principium; ergo neutrum ſuam agendi virtutem recipit ab alio.

Quæres 9. *Quotuplex ſit objectum intuitivæ Dei viſionis?*

Reſpond. Duplex: *primarius* nempe, quod primo, per ſe, & immediate videtur, & in quo cætera videntur, talis eſt Deus. Et *ſecundarium*, quod in alio videtur, nec confert ad beatitudinem, niſi accidentaliter, ejuſmodi ſunt creaturæ.

Quæres 10. *Quid primario beati videant in Deo?*

Reſp. Vident 1. eſſentiam divinam, & omnia attributa, tam abſoluta, quam relativa. Non poſſunt enim videre Deum ut eſt in ſe, facie ad faciem, quin videant omnia attributa quæ ſunt in Deo formaliter & intrinſece.

Vident 2. omnia myſteria fidei; nam vident *facie ad faciem*, quæ viderunt in terris *per ſpeculum in ænigmate*.

Quæres 11. *Utrum eſſentia divina poſſit videri ſine attributis, vel una perſona ſine alia?*

Reſp. Non poteſt, nequidem de potentia Dei abſoluta; nam Chriſtus, *Joann.* 14. ex viſione Verbi, concludit viſionem Patris, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem:* atqui dicit id fieri eo, quod ſit unum in eſſentia: *Quomodo tu dicis, oſtende nobis Patrem? non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Ergo viſa eſſentia, videntur omnia quæ ſunt idem cum illa, qualia ſunt omnia attributa, & omnes SS. Trinitatis perſonæ.

Objicies 1. Eſſentia Dei virtualiter diſtinguitur ab attributis & perſonis; atqui virtualis illa diſtinctio ſufficit ut unum ſine alio terminet actum intellectus; ergo, &c.

Reſp. diſt. minor. Ut terminet actum intellectus abſtrahentis, *conc.* intuitive videntis, *nego min.* nam intuitiva viſio terminatur ad Deum, ut eſt in ſe a parte rei, non ut per mentem una perfectio abſtrahitur ab alia; atqui Deus, utpote ſimpliciſſimus, non poteſt videri ut eſt in ſe, quin videatur totus; ergo.

Inſt. Deus liber eſt in concedenda ſui clara viſione; ergo poteſt clare manifeſtare eſſentiam ſine attributis.

Reſpond. diſt. ant. Liber eſt abſolute quatenus poteſt ſe ad videndum exhibere, vel non exhibere; *conc.* liber eſt hypothetice, *nego ant.* ex hypotheſi enim, quod ſe clare videndum exhibeat, non poteſt manifeſtare eſſentiam, quin manifeſtet ea quæ realiter identificantur cum eſſentia divina.

Objicies 2. Perſonæ divinæ a ſe invicem realiter diſtinguuntur; ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Quia perſonæ, licet realiter inter ſe diſtinctæ, ſunt unum & idem cum eſſentia divina quæ a beatis primario videtur; ergo hæc videri non poteſt, quin illæ ſimul cum ea videantur.

Inſt.

Inſt. Una perſona potuit incarnari ſine alia; ergo pariter: &c.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod non neceſſe ſit, ut res quæ alicui unitur, ei adæquate uniatur, hoc eſt, ſecundum id omne quod eſt idem cum ipſa; unde Verbum potuit uniri humanitati, quamvis id omne quod eſt idem cum eſſentia divina, humanitati conjunctum non fuerit, id eſt, licet unaquæque perſona propriam ſuam ſubſiſtentiam humanitati non unierit. Econtra viſio objecti non poteſt eſſe intuitiva, quin objectum adæquate attingat, hoc eſt, ſecundum omnia quæ ſunt ejuſdem cum ipſo naturæ.

Quæres 12. *Utrum Beati videant omnes res in aliqua temporis differentia exiſtentes?*

Reſp. negat. Quia multa ſunt quorum cognitionem Deus illis non tribuit, eo quod ad eorum ſtatum non pertineant; ſic teſte Chriſto, Matth. 24. non vident ultimi judicii diem; nec vident ſecreta cordis, niſi ad eos dirigantur.

Quæres 13. *Utrum aliquas ſaltem res exiſtentes videant?*

Reſp. affirm. Nam vident res ad quas naturalem habent appetitum, alias beatitudo non eſſet ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Sic 1. vident rerum, quæ ſunt in hoc univerſo, genera & ſpecies, & rationes earum. 2. Vident in Deo omnia ſingularia quæ ſpectant ad ſtatum in quo, cum in terris degerent, vixere. 3. Vident preces quas viventes ad eos dirigunt, quia hoc ſpectat communionem quam Chriſtus inſtituit inter membra Eccleſiæ regnantis, militantis, & patientis. 4. Seſe invicem vident, ſuoſque parentes & amicos cognoſcunt. Ad illa enim omnia naturalem habent appetitum.

Quæres 14. *Utrum Beati videant omnia poſſibilia?*

Reſp. negat. Alias comprehenderent Deum nam omnipotentia eſt ipſe Deus.

Objicies : Beati vident omnipotentiam Dei ut eſt in ſe; atqui non poſſunt eam ſic videre, niſi omnia poſſibilia videant; ergo.

Reſp. diſt. min. Niſi omnia poſſibilia videant, confuſe, *conc.* diſtinctè & ſigillatim, *nego*. Vident itaque omnipotentiam Dei in ſe, ſed non vident ſigillatim omnes creaturas ad quas poteſt ſeſe extendere, alias comprehenderetur, quod menti finitæ eſt impoſſibile.

Quæres 15. *In quo Beati vident creaturas quas vident?*

Reſp. Eas vident in Verbo divino, id eſt, in eſſentia divina.

Quæres 16. *Quomodo creaturæ quæ videntur a Beatis, videantur in Verbo?*

Reſp. Videntur in Verbo formaliter, & cauſaliter. Nam 1. creaturas videri in Verbo *formaliter*, eſt illas videri eadem viſione, qua videtur eſſentia divina, in qua repræſentantur tanquam in ſpeculo; atqui creaturæ ſic videntur in Verbo, quod eſt ſpeculum rerum omnium. . . . 2. Creaturas videri in Verbo cauſaliter, eſt eas videri in ſe ipſis, viſione equidem diſtinctâ a viſione eſſentiæ divinæ, ſed ab illa cauſata, ita ut eſſentiæ viſio præſupponatur tanquam viſionis creaturarum cauſa, ſaltem moralis; atqui creaturæ ſic etiam videntur a Beatis, vel per revelationem ipſis factam, vel per ſpecies ipſis a Deo infuſas; ergo, &c. . . . . . Primam cognitionem D. Auguſtinus, *lib.* 4. *de Geneſi ad litt. cap.* 24. vocat *matutinam*, quia clarior eſt. Secundam, vocat *veſpertinam*, quia obſcurior & imperfectior eſt.

Obji-

Objicies 1. Creaturæ non ſunt in Verbo formaliter; ergo non poſſunt in eo videri formaliter.

Reſp. nego conſeq. Nam ut aliquid videatur formaliter in Verbo, ſufficit ut cum Verbo habeat connexionem talem, ut Verbum ſit ratio formalis & motiva illud cognoſcendi; atqui creaturæ habent talem connexionem cum Verbo, tum ratione cauſæ exemplaris, quippe factæ ſunt ad normam idearum quas de eis Verbum habuit ab æterno; tum ratione cauſæ efficientis, quippe omnia per Verbum facta ſunt; ergo &c.

Objicies 2. Quod videtur in alio, non videtur intuitive, ſed obſcure; atqui repugnat cognitionem Beatorum non eſſe intuitivam, ſed obſcuram; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Non videtur intuitive, ſed obſcure, ſi illud aliud rem perfecte non repræſentet, *conc.* ſi perfecte rem repræſentet, *nego*. Porro Verbum, quod eſt perfecta imago Patris, eſt etiam perfecta imago rerum omnium, tum poſſibilium, tum exiſtentium.

Objicies 3. Si Beati aliquas creaturas viderent in Verbo tanquam in ſpeculo viderent omnes creaturas tum poſſibiles, tum exiſtentes; quia Verbum illas omnes repræſentat; falſum ex dictis conſeq. ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Si viderent eas tanquam in ſpeculo neceſſario, *conced.* tanquam in ſpeculo voluntario, *nego*. Porro eſſentia divina eſt ſpeculum voluntarium, & conſequenter beati eas ſolas creaturas in ea vident, quas Deus illis, pro beneplacito, vult manifeſtare, eorum intellectum per ſpecialem concurſum adjuvando ad harum, non ad illarum cognitionem.

Quæres 17. *Utrum intuitiva Dei viſio in omnibus beatis ſit æqualis?*

Reſp.

Reſp. negat. Nam 1. Chriſtus Joann. 14. dicit: *In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Quia*, inquit D. Greg. Magn. lib. 35. moral. c. 4. *in illa beatitudinis vita non diſpari, unuſquiſque juxta diſpar meritum, locum diſparem percipit*... 2. 1. Cor. 35. *Stella enim differt a ſtella in claritate*. Hinc in Concil. Florent. definitum eſt, *beatos viſuros Deum, ſicut eſt, pro meritorum tamen diverſitate, alium alio perfectius*.

Objicies 1. Matth. 20. unus denarius retribuitur omnibus qui in vinea patris-familias operati ſunt, licet alii plus, alii minus laboraverint; ergo æqualis omnibus decernitur viſio beatifica.

Reſpond. diſt. conſeq. Erit æqualis quoad ſubſtantiam, *conc.* quoad gradum & intentionem, *nego*. Vita æterna erit æqualis omnibus, ſed pro meritorum diverſitate fulgebunt, alius magis, alius minus.

Objicies 2. Deus eſt maxime ſimplex; ergo non poteſt inæqualiter videri.

Reſp. nego conſeq. Quia æqualitas aut inæqualitas intuitivæ viſionis non petuntur ex objecto, ſed ex majori vel minori virtute potentiæ, quæ circa illud objectum verſatur; virtus autem illa major vel minor eſt, prout magis vel minus participat de lumine gloriæ, quod eſt principium intuitivæ viſionis.

Objicies 3. Poſita beatitudinis inæqualitate, alter beatus alteri invidebit, illiuſque majorem felicitatem deſiderabit; ergo non erit in ſtatu omnium bonorum aggregatione perfecto.

Reſp. nego ant. Nam, ut ait Gregor. Magn. lib. 4. moral. cap. 31. *Nullus illius diſparitatis damna ſentit, quia tantum ſibi, quantum perceperit, ſufficit*, quilibet enim tantum viſionis habet, quantum capere poteſt; unde cum

qui-

quilibet ſit exſaturatus, nullus aliorum perfectiorem ſtatum ambit.

Quæres. 18. *Undenam repetatur inæqualitas intuitivæ viſionis?*

Reſp. Repetitur ab inæqualitate luminis gloriæ, tanquam a cauſa phyſica totali, non vero a majori, vel minori perſpicacia intellectus. Ratio D. Thomæ 1. p. q. 12. art. 6. eſt, quia, *intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit; plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de claritate*. Hinc ſacra Facultas Pariſienſis ſequentem damnavit prop. *Cujus meliora fuerint naturalia, neceſſario major erit gratia & gloria*.

Objicies: Intellectus concurrit ad viſionem beatificam; ergo intellectus magis perſpicax, ad eam magis concurrit.

Reſpond. diſt. ant. Concurrit per vires ſupernaturales, a Deo per lumen gloriæ acceptas, *conc.* per vires naturales, *nego*.

Inſtab. Intellectus ad viſionem concurrit ut potentia vitalis; ergo per vires naturales.

Reſp. diſt. ant. Concurrit ut potentia vitalis elevata, & ſupernaturalizata, *conced.* naturalis, *nego*. Intellectus ergo agit in quantum elevatur per lumen gloriæ, & conſequenter tota viſionis inæqualitas phyſice fluit ab inæqualitate luminis gloriæ, intellectum magis, vel minus elevantis.

CAPUT VI.

De Dei æternitate, immenſitate, & bonitate.

Quæres. 1. Q*uid ſit æternitas?*

Reſp. Definitur a Boetio: *Interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio* . . . . . dicitur 1. *poſſeſſio*, quia eſt firma, quie-

quieta, & ſtabilis . . . Dicitur 2. *Tota ſimul*, quia nulla eſt in æternitate partium ſucceſſio... Dicitur 3. *Perfecta*, quia eſt immutabilis & independens ab alio . . . Dicitur 4. *Interminabilis vita*, quia nec initium habet, nec finem.

Quæres 2. *Utrum Deus ſit æternus?*

Reſp. affirm. Nam Deut. 31. Deus dicit: *Vivo ego in æternum*. Danielis 6. dicitur: *Ipſe eſt Deus vivens, & æternus in ſæcula*. Ratio eſt, quia Deus eſt omnino immutabilis; ergo æternus. Æternitas enim nihil aliud eſt, quam duratio prorſus immutabilis.

Objicies: In duratione Dei, reperitur tempus præſens, præteritum, & futurum; ergo duratio Dei ſucceſſionem importat; ergo non eſt æternus.

Reſp. diſt. ant. Reperitur, præteritum, præſens, & futurum, eminenter, quatenus nimirum Deus ſua æternitate complectitur omnia tempora, utpote reſpondens omnibus motibus, qui in diverſis temporis partibus fiunt, *conc. ant.* reperitur formaliter, *nego*. Nam ſucceſſionem non importat.

Inſt. Æternitas coextenditur variis temporum ſpatiis, quæ vere ſucceſſiva ſunt; ergo æternitas eſt ſucceſſiva.

Reſp. diſt. antec. Æternitas coextenditur eminenter, *conc.* formaliter, *nego*. Porro licet res coextenſa formaliter, ſit mutabilis ſicut res ſucceſſiva cui coextenditur; tamen res coextenſa eminenter, eſt immutabilis.

Quæres 3. *An æternitas ſit ita propria Deo, ut nulli creaturæ communicari poſſit?*

Reſp. affirm. Nam omnis creatura habet neceſſario ſuæ exiſtentiæ initium, cum ſit neceſſario facta ex nihilo quod præceſſit. Hinc SS. Patres, ex æternitate Verbi probarunt illius divinitatem adverſus Arianos.

Obji-

Objicies: Deus ab æterno eſt omnipotens; ergo ab æterno potuit creare.

Reſp. diſt. conſeq. Potuit ab æterno creare in tempore, *conc.* in æternitate, *nego*. Hoc enim implicat, nam omnis creatura ſupponit nihilum, quod ſui creationem præcedit, nihil autem præcedere poteſt æternitatem.

Quæres 4. *Quid ſit immenſitas, & ubiquitas?*

Reſp. Immenſitas, eſt illimitata ſubſtantiæ divinæ diffuſio, per quam apta eſt coexiſtere omnibus rebus & locis ..... *Ubiquitas*, eſt actualis Dei inexiſtentia in omnibus rebus & locis. Immenſitas ergo differt ab ubiquitate, tanquam actus primus ab actu ſecundo.

Quæres 5. *Utrum Deus ſit immenſus?*

Reſp. affirm. Nam 1. Deus Baruch. 3. dicitur: *Excelſus & immenſus*. 2. In Conc. Lateran. IV. definitur: *Firmiter credimus .... quod unus ſolus eſt verus Deus, æternus & immenſus* .... 3. Immenſitas, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; ergo, &c.

Quæres 6. *Utrum Deus ſit ubique per potentiam?*

Reſp. affirm. Nam ex Apoſtolo 1. Cor. 12. *Deus omnia operatur in omnibus*; ergo.

Quæres 7. *An Deus ſit ubique per præſentiam?*

Reſpond. affirm. Nam Hebr. 4. dicitur: *Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus*; ergo.

Quæres 8. *An Deus ſit ubique per ſubſtantiam?*

Nota: Tripliciter res poteſt eſſe in loco per ſubſtantiam. 1. *Circumſcriptive*, quando res, per diverſas ſui partes, reſpondet totidem loci partibus, ita ut ulterius non extendatur. Hic exiſtendi modus convenit ſolis corporibus .... 2. *Definitive*, quando res, tota eſt in to-

in toto loco, & tota in qualibet parte loci; ita ut exiſtentia locati non excedat locum. Hic exiſtendi modus convenit ſpiritibus finitis .... 3. *Repletive*, quando res, tota eſt in toto loco, & tota in qualibet parte loci, nec a loco definitur, ſed eſt ubique. His notatis.

Reſp. affirm. Nam 1. Jerem. 23. Deus dicit: *Nunquid non cælum & terram ego impleo?* Et Pſalm. 138. *Quo ibo a ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.* Ergo cum Deus ſit in cælo ſubſtantialiter, eſt etiam in aliis locis ſubſtantialiter ..... 2. Deus eſt ubique per operationem, ut ipſi fatentur Sociniani; ergo eſt ubique per ſubſtantiam: nam in Deo operatio entitative ſumpta, idem eſt cum illius ſubſtantia.

Objicies 1. Scriptura paſſim aſſerit Deum eſſe in cælo, non autem in terris, Pſalm. 113. *Deus autem noſter in cælo. Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.*

Reſpond. diſt. ant. Aſſerit Deum eſſe in cælo, quoad peculiarem modum manifeſtandæ ſuæ gloriæ, *conc.* quaſi unicum ſit ejus domicilium, *nego.*

Objicies 2. SS. Patres paſſim negant Deum eſſe in loco; ergo .... *Reſp. diſt.* negant Deum eſſe in loco circumſcriptive, aut definitive, *conc.* relative, *nego.* Reſponſio patet ex ſupra dictis.

Objicies 3. Horrendum eſt dicere, Deum eſſe in dæmonibus, damnatis, in locis fœtidiſſimis; ergo non eſt ubique ..... *Reſp. nego ant.* Nam purus ſpiritus incapax eſt, qui ſordibus locorum, ubi eſt, inquinetur; nec magis iis inquinatur Deus, quam ſol dum eaſdem fœditates perluſtrat radiis ſuis, & anima dum eſt in corpore leproſo.

Obji-

Objicies 4. Scriptura & SS. PP. paſſim innuunt, Deum non eſſe in rebus, niſi per ſuam actionem, Actor. 17. *Non longe eſt ab unoquoque noſtrum, in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.* D. Joann. Damaſc. lib. 1. Orthod. fidei, cap. 16. *Ibi locus Dei eſſe aſſeritur, ubi perſpicua ejus operatio exiſtit.*

Reſp. nego ant. Nam duntaxat præſentiam Dei ſubſtantialem ex ejus operatione, quæ a ſubſtantia non diſtinguitur, colligunt.

Inſt. Ex actione ejus, qui poteſt agere in diſtans, non poteſt colligi præſentia ſubſtantialis; atqui Deus, utpote omnipotens, poteſt agere in diſtans; ergo, &c.

Reſp. nego min. Repugnat enim aliquam cauſam agere in diſtans: quia omnis cauſa debet effectum contingere, vel per ſe, vel per virtutem ſuam; porro virtus Dei, eſt ipſamet ſubſtantia Dei; ergo.

Quæres 9. *Utrum Deus ſit ſubſtantialiter extra mundum?*

Nota: Dupliciter poteſt Deus intelligi eſſe extra mundum, 1. *Poſitive*, ſi illic ſit tanquam in ſpatio reali, cui coexiſtat. 2. *Negative*, ſi illic exiſtat, ſed non extra ſe, nec cum ulla ad locum coexiſtentia & connotatione. Itaque:

Reſp. 1. Deus eſt extra mundum *negative*, alias cælorum ambitu coarctaretur; atqui non poteſt cælorum ambitu coarctari, de quo 3. *Reg.* 8. dicitur: *Cælum & cæli cælorum te capere non poſſunt.* Ergo.

Reſp. 2. Deus non eſt extra mundum *poſitive*, qui illic non eſt tanquam in ſpatio reali, cui coexiſtat, ſed ibi eſt in ſe ipſo, quomodo jam erat antequam mundus fieret. Unde Poeta canit:

Dic.

Dic ubi tunc eſſet, cum præter eum nihil eſſet;
Tunc ubi nunc, in ſe: quoniam ſibi ſufficit ipſe.

Quæres 10. *Quotuplex diſtinguatur ſanctitas?*

Reſpond. Triplex. Nimirum, *abſoluta*, quæ eſt plenitudo eſſendi rei. *Relativa*, quæ eſt perfectio entis conveniens alteri, ab eoque appetibilis. Et *moralis*, quæ eſt perfecta ſanctitas.

Quæres 11. *Utrum Deus ſit bonus triplici illa ſanctitate?*

Reſp. affirm. Nam 1. eſt ſumme perfectus; eſt enim ens quo nihil melius ac perfectius excogitari poteſt . . . . . Eſt ſumme conveniens creaturis, ab eiſque appetibilis, cum omnes earum perfectiones ſint participationes divini illius eſſe. . . 3. Eſt perfecte ſanctus, Pſ. 144. *Sanctus eſt in omnibus operibus ſuis.*

Quæres 12. *Utrum Deus ſit bonus per eſſentiam?*

Reſpond. affirm. Nam ille eſt bonus per eſſentiam qui habet bonitatem vi eſſentiæ ſuæ ſolius, & independenter a quocumque alio, atqui talis eſt Deus. Quare Chriſtus. *Lucæ* 18. dixit: *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*, Nempe per eſſentiam, cum tamen creaturæ ſint bonæ per participationem.

Objicies: Deus non eſt ſumme bonus; ergo non eſt bonus per eſſentiam.

Prob. ant. Quod eſt ſumme bonum, debet ſe ſumme diffundere, cum bonum ſit ſui diffuſivum, atqui Deus non ſe ſumme diffundit; ergo?

Reſpond. diſt. minor. Non ſe ſumme diffundit ad intra, *nego*. Ad extra, *ſubdiſt.* propter con-

conditionem creaturæ, *conc.* propter defectum bonitatis infinitæ ex parte Dei, *nego*. Summa itaque bonitas, non poteſt, niſi perſonæ divinæ, ſumme communicari, quomodo ad intra communicatur Spiritui ſancto in ejus productione.

Inſtab. Si Deus ſit ſummum in quocumque genere bonum, debet excludere omne malum, tum a ſe, tum a quocumque alio ente; atqui non excludit; ergo.

Reſp. diſt. maj. Debet excludere omne malum, ſi illud ſummum agat neceſſario, ut agit ignis, *conc.* ſi agat libere, ut agit Deus ad extra, *nego*.

CAPUT VII.

De intellectu & ſcientia Dei.

§. I. *De exiſtentia, proprietatibus, & diviſione ſcientiæ Dei.*

Quæres 1. Utrum *ſit ſcientia in Deo?* *Reſp. affirm.* Nam Eſther. 14. dicitur: *Domine qui habes omnium ſcientiam*, Ratio eſt, quia ſcientia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ eſt melior ipſa quam non ipſa.

Objicies 1. Scientia eſt accidens; ergo . . .

Reſp. diſt. Eſt accidens in creaturis, *conced.* in Deo, *nego*. Nam in Deo non diſtinguitur ab eſſentia.

Objicies 2. Scientia proprie dicta, eſt diſcurſiva, atqui cognitio diſcurſiva repugnat Deo.

Reſpond. diſt. maj. Eſt diſcurſiva, ſpectata in homine, *conc.* ſpectata in ſeipſa, *nego*. Diſcurſus itaque non pertinet ad eſſentiam ſcientiæ, eſt enim tantum ejus defectus & imperfectio;

fectio ; unde excluditur a Deo, qui uno & ſimpliciſſimo actu omnia ſimul pervadit & penetrat.

Quæres 2. *Qualis ſit ſcientia Dei?*

Reſp. 2. Eſt, *infinita*, tum extenſive, quia omnia cognoſcit, tum intenſive, quia ejus cognitio eſt certiſſima, evidentiſſima, & omnium comprehenſiva . . . . 2. Eſt *æterna*, quia nunquam habuit initium, nunquam fuit interrupta, nunquam finem habitura eſt . . . . . Eſt *immutabilis*, quia non eſt quid realiter & entitative diſtinctum a Deo, cum ſit Deus ipſe, ut fides docet.

Quæres 3. *Quotuplex ſit in Deo ſcientia?*

Reſp. Unica eſt realiter, quæ eſt ipſe Deus; tamen propter multiplicem ordinem quem dicit ad varia objecta ad quæ ſe extendit, multiplex a Theologis cum fundamento aſſignatur ſcientiæ Dei diviſio. Nam:

1. *Dividitur*, in ſcientiam *neceſſariam*, quæ verſatur circa Deum & res poſſibiles, quæ non poſſunt aliter ſe habere. Et *liberam*, quæ verſatur circa creaturas, vel præteritas, vel exiſtentes, vel aliquando futuras.

2. *Dividitur* in *ſpeculativam*, quæ in ſui objecti conſideratione quieſcit; & *practicam*, qua Deus res creatas producit.

3. *Dividitur* in ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ*, qua Deus cognoſcit res mere poſſibiles; in ſcientiam *viſionis*, qua Deus cognoſcit res, vel exiſtentes, vel aliquando futuras; & in ſcientiam *futurorum ſub conditione*, qua Deus cognoſcit res, quæ nunquam evenient, ſed tamen evenirent, ſi quædam conditio poneretur, ſive poſtea ponatur, ſive non.

§. II.

§. II. *De ſcientia ſimplicis intelligentia.*

Quæres 1. *Utrum Deus omnes creaturas poſſibiles certo cognoſcat ſecundum eſſe eminens quod habent in Deo?*

Reſp. affirm. Nam Deus perfecte comprehendit ſuam omnipotentiam; ergo perfecte cognoſcit ea omnia, ad quæ poteſt ſeſe extendere; atqui ſe extendit ad omnia poſſibilia; ergo.

Quæres 2. *Utrum Deus poſſibilia videat, etiam ſecundum eſſe proprium & formale quod haberent in ſeipſis, ſi producerentur?*

Reſp. affirm. Quia ſic conſiderata habent verum eſſe, nec ille modus videndi ullam in Deo importat imperfectionem, nec excludit perfectiorem videndi modum, in eſſentia nimirum tanquam in cauſa; ergo.

Quæres 3. *Quo in medio Deus videt res poſſibiles?*

Reſpond. Eas videt 1. *in ſua eſſentia tanquam in cauſa earum effectrice:* nam Deus comprehendit ſuam eſſentiam; ergo eam cognoſcit, tum ſecundum quod eſt in ſe, tum ſecundum id ad quod poteſt ſe extendere; ſed qui divinam eſſentiam ſic cognoſcit, in ea videt res poſſibiles; ergo, &c. . . . . 2. Eas videt *in ſeipſis, prout in eſſentia divina, tanquam in ſpecie intelligibili, repræſentantur;* quia in eſſentia divina reperitur ratio ſpeciei illarum intelligibilis.

Objicies contra primam partem: Deus non prius cognoſcit ſuam eſſentiam, prout eſt cauſa rerum effectrix, quam res poſſibiles; ergo eſſentia, ſic conſiderata, non eſt medium cognitionis divinæ.

Reſp.

Reſp. diſt. antec. Non prius cognoſcit tempore, *conced.* ratione, *nego.* Itaque non prius cognoſcit tempore, quia cognoſcendo ſuam eſſentiam, ſimul & eodem inſtanti, per eandem cognitionem, cognoſcit res poſſibiles, propter connexionem, quam habet cum illis. Verum prius ratione cognoſcit ſuam eſſentiam, quam res poſſibiles, quia eſſentia eſt ratio cognoſcendi res poſſibiles per eundem cognitionis actum, ita ut eſſentia per ſe directe & immediate concipiatur cognoſci; res poſſibiles vero nonniſi mediate, indirecte & per aliud.

Objicies contra ſecundam partem: Res poſſibiles in ſeipſis non ſunt; ergo Deus eas non poteſt cognoſcere in ſeipſis.

Reſpond. diſt. ant. In ſeipſis non ſunt formaliter, *conc.* objective, *nego.* Equidem poſſibilia eſſe proprium non habent actu, ſed poſſunt habere, & reipſa haberent, ſi producerentur; Deus autem res, quas producere poteſt, cognoſcit, & quidem ſecundum eſſe eorum proprium, non quod habent, ſed quod haberent, ſi producerentur.

§. III. *De ſcientia viſionis.*

Quæres 1. *Utrum Deus ſeipſum videat comprehenſive?*

Reſp. affirm. Nam ſeipſum tantum cognoſcit, quantum cognoſcibilis eſt; ergo, &c.

Quæres 2. *Utrum Deus certo cognoſcat omnia præſentia & præterita, ac etiam occultas cordis cogitationes?*

Reſpond. Cognoſcit, & quidem ſigillatim ut ſunt in ſeipſis; nam illa omnia ſunt cognoſcibilia; ergo cognoſcuntur a Deo qui habet ſcientiam infinitam. Unde, *Eccl.* 23. dicitur: *Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem,*

lem, circumſpicientes omnes vias hominum .... & hominum corda intuentes in abſconditas partes.

Quæres 3. *Quo in medio Deus videat ſeipſum?*

Reſp. Videt ſeipſum per ſuam eſſentiam abſque ullo medio; quia nihil prius eſt eſſentia divina in quo ipſa videatur.

Quæres 4. *Quo in medio Deus videat entia præſentia & præterita?*

Reſpond. Videt tum in ſeipſis, tum in ſua eſſentia tanquam in ſpecie intelligibili, in qua, tanquam in ſpeculo, repræſentatur realis eorum exiſtentia.

Quæres 5. *Quo in medio Deus videat peccata?*

Reſpond. Videt in forma quæ illis eſt oppoſita, *ſicut per lucem cognoſcuntur tenebræ*, ait D. Thom. hic.

Quæres 6. *Utrum Deus omnia & ſingula futura contingentia libera abſoluta cognoſcat?*

Reſp. Certiſſime cognoſcit; nam 1. Id teſtatur Scriptura, Pſalm. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longe .... & omnes vias meas prævidiſti* .... 2. Deus multas actiones hominum futuras prædixit .... 3. Quia alias Deus nec infinitus, nec immutabilis eſſet, nam multas de novo cognitiones acquireret.

Objicies 1. Deus, prædicens futura libera, utitur his particulis, *forte, forſitam*; ergo illa certo non novit.

Reſpond. nego conſeq. Nam illæ particulæ in Deo, non ſunt verba dubitantis, ſed increpantis, ut docet D. Auguſt. *tract.* 37. *in Jo.* Unde idem ſignificant ac, *utique*.

Objicies 2. Præſcientia futurorum ſtare non poteſt cum libertate hominis: nam quod Deus prævidit, neceſſario evenit; ergo.

Reſp. diſt. probat. Neceſſario eveniet, neceſſita-

ſitate hypothetica & conſequente liberam creatæ voluntatis determinationem, *conc.* neceſſitate abſolute & antecedente liberam creatæ voluntatis determinationem, *nego ant.* Unde D. Aug. *lib.* 3. *de lib. arb. cap.* 4. ait: *Sicut tu memoria tua non cogis facta eſſe quæ præterierunt, ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda quæ futura ſunt.*

Objicies 3. Si actio a Deo prævisa, ſit infallibiliter futura, fruſtraneæ ſunt conſultationes & deliberationes; falſum conſeq. ergo, &c.

Reſpond. nego ſeq. major. Nam Deus non aliter res futuras prænoſcit, quam per cauſas per quas futuræ ſunt; atqui inter cauſas rerum, numerantur conſultationes & deliberationes, ergo, &c.

Inſtab. Vel Deus prævidit me ſalvum fore, vel damnandum; *ſi primum*, quidquid egero, ſive bonum, ſive malum, ſalvus ero; *ſi ſecundum*, quidquid egero, damnabor; ergo, poſita præſcientia, fruſtraneæ ſunt conſultationes, &c.

Reſp. diſt. antec. Deus prævidit me ſalvum fore, vel damnandum, propter bona, vel mala opera mea, eaque libera, *conc.* independenter a bonis vel malis operibus meis liberis, *nego ant.* Nempe non niſi per bona opera obtinendam eſſe ſalutem æternam præordinavit Deus; quæ ſi fiant, Deus obtinendam ſalutem prævidet; ſi vero non fiant, ſalutem non obtinendam Deus prævidet; unde nullam neceſſitatem rebus futuris imponit præſcientia Dei.

Quæres 7. *Utrum Deus libera abſolute futura videat in reali eorum cum æternitate coexiſtentia?*

Reſp. negative: Nam ab æterno non exiſtunt, alias eſſent futura, ut ſupponitur; & non eſſent futura, quia eſſent æterna; ergo ab æter-

no non coexiſtunt æternitati realiter, ſiquidem coexiſtere, nihil aliud eſt, quam ſimul cum alio realiter exiſtere.

Objicies 1. Æternitas complectitur omnia omnino tempora, præſentia, præterita & futura: nam eſt infinita & indiviſibilis duratio; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Complectitur omnia tempora, quæ exiſtunt, *conc.* quæ non exiſtunt, *nego ant.* Porro futura non exiſtunt actu; ergo non coexiſtunt æternitati, ſed coexiſtent, quando erunt actu.

Inſt. Quod coexiſtet rei quæ eſt tota ſimul, jam & coexiſtit; atqui futura coexiſtent æternitati, quæ eſt tota ſimul; ergo, &c.

Reſp. nego maj. Quia licet æternitas ſit tota ſimul, tamen virtualiter eſt extenſa, & durationi infinitas partes ſibi ſuccedentes habenti æquipollet; & ideo quod finitam durationem habet, æternitati ſecundum ejus totam entitatem reſpondet quidem, non vero ſecundum omnes ejus partes virtuales, nec proinde dici poteſt illi ab æterno coexiſtere.

Objicies 2. SS. Patres & Scholæ Magiſtri docent Deo nihil eſſe futurum, ſed omnia præſentia; ergo, &c.

Reſpond. diſt. antec. Docent Deo nihil eſſe futurum quoad cognitionem, *conc.* quoad realem exiſtentiam, *nego ant.* Unde Div. Auguſt. ſeſe explicans, *lib.* 5. *de Geneſi ad litteram*, *c.* 11. dicit: *Antequam fierent, & erant, & non erant, erant in Dei ſcientia, non erant in ſua natura.*

Quæres 8. *Utrum Deus videat libera abſolute futura in proximis eorum cauſis in actu primo conſideratis?*

Reſp. negative: Nam cauſa libera, nempe voluntas, etiam proxime ad agendum diſpoſi-

ta, non habet infallibilem connexionem cum effectu futuro libero, cum, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, adhuc maneat indifferens ad agendum vel non agendum; ergo effectus non poteſt in ſua cauſa certo cognoſci.

Quæres 9. *Utrum Deus futura libera abſoluta cognoſcat in ſuis decretis abſolutis phyſice præmoventibus?*

Reſpond. negative: Nam illa decreta non ſatis cum dogmate catholico circa humanam libertatem cohærere videntur, cum iis poſitis actiones noſtræ non ſint in noſtra poteſtate: quotieſcumque enim aliquod prævium & antecedens non eſt in noſtra poteſtate, nec a nobis impedibile, toties effectus, qui ex illo ſequitur, non eſt in noſtra poteſtate; atqui decretum abſolutum & phyſice præmovens, 1. Non eſt in noſtra poteſtate, cum, ex adverſariis, ſit ante omnem prævisionem determinationis voluntatis noſtræ ad agendum: 2. Non eſt a nobis impedibile, cum, ex iiſdem, motione ineluctabili & inſuperabili applicet voluntatem ad actum; ergo actio conſequens ex illo decreto, non eſt in noſtra poteſtate.

Quæres 10. *In quo ergo medio Deus videat futura libera abſoluta?*

Reſp. ea videt, 1. In ſeipſis objective & terminative, id eſt, in determinata eorum veritate; nam futura libera habent veritatem per ſe cognoſcibilem: unumquodque enim, eo ipſo quo eſt, & eo modo quo eſt, ſeu præſens, ſeu præteritum, ſeu futurum, ſuam habet veritatem, eamque per ſe cognoſcibilem; ergo cognoſcuntur a Deo infinite cognoſcitivo.

2. Ea videt in ſua eſſentia, tanquam in ſpecie intelligibili in repræſentando, quia in eſſentia divina, quæ eſt ſimilitudo rerum, reperitur ratio ſpeciei illarum intelligibilis.

3. Ea

3. Ea videt in decreto, quo decernit actu concurrere cum cauſa libera ad ſuum actum, in hypotheſi quod præviderit eam acturam, ſi concurſum ſuum decerneret: nam Deus futura libera abſoluta videt in illo medio, quo poſito, de illis futuris verum eſt dicere, *erunt*, & quo non poſito, id dici non poteſt; atqui poſito decreto, quo, præviſa per ſcientiam conditionatorum operatione cauſæ ſecundæ ſi concurſum illi decernat, reipſa eidem concurſum illum decernit, de illis futuris verum eſt dicere, *erunt*, quo non poſito, id dici non poteſt; nam eo poſito, res eſt abſolute futura, nec ante futura eſt abſolute, quam illud ſit ponendum, licet conditionate futura ſit.

Quæres 11. *Utrum Deus futura libera conditionata certo cognoſcat?*

Reſpond. Certo cognoſcit, etiam ea quorum non eſt ad actum reducenda cognitio; 1. Quia ea certo & determinate prædixit futura ſub conditione. 2. Quia quidquid eſt determinative verum, ſcitur a Deo; atqui futura conditionata, ſunt determinate vera, nam poſſunt de iis fieri contradictoriæ propoſitiones, quarum neceſſe eſt alteram eſſe determinate veram, alteram determinate falſam; ergo.

Objicies: SS. PP. ſcientiam conditionatorum damnant ac irrident in Semipelagianis; ergo eſt rejicienda.

Reſp. diſt. antec. Damnant ſcientiam conditionatorum ratione abuſus quem illius ſcientiæ faciebant Semipelagiani, *conc.* damnant ſcientiam conditionatorum in ſe ſpectatam, *nego ant.* Itaque Semipelagiani abutebantur ſcientia Dei conditionata, docentes, cauſam prædeſtinationis ad fidem & gloriam; eſſe bona opera ex ſolis viribus liberi arbitrii elicita, quæ Deus futura prævidebat. Et cum urgeren-

tur exemplo infantium meritis parium, quorum alii ſine Baptiſmo decedunt, alii Baptiſmo donati, reſpondebant, teſtibus Auguſt. & Proſpero, Epiſt. 194. ad Sixtum: *Deus in eis ques hinc aufert, prævidet quemadmodum victurus eſſet quiſque, ſi viveret: & ideo quem nequiter novit fuiſſe victurum, ſine Baptiſmo fecit emori: ſic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, ſed quæ facturus fuit*, ſi ad adultam ætatem perveniſſet; quod ut aperte falſum reprobant SS. Patres.

Quæres 12. *Utrum Deus libera ſub conditione futura videat in decretis abſolutis ex parte ſui, & duntaxat conditionatis ex parte creaturæ liberæ?*

Reſpond. negat. 1. Quia decreta Dei abſoluta prædefinientia non ſatis cohærent cum libertate hominis, ut ſupra probatum eſt . . . 2. Quia Chriſtus Matth. 11. objurgat Judæos præ Tyriis, quod non egerint pœnitentiam, quam egiſſent Tyrii, ſi habuiſſent eadem gratiæ, tum externæ tum internæ auxilia, quæ habuerunt Judæi; atqui ſi Chriſtus non novit converſionem Tyriorum, niſi dependenter e decreto abſoluto ex parte ſui, hæc objurgatio, Judæis facta præ Tyriis, non eſſet juſta: nam Judæi, in doctrina prædeterminantium, deſtituti ſunt auxilio prædeterminante, abſolute neceſſario ad agendam pœnitentiam, & quo poſito repugnat non agi pœnitentiam: Tyrii vere illud habuiſſent; ergo Judæi injuſte a Chriſto objurgati fuiſſent præ Tyriis, quod dicere nefas eſt . . . . 3. Quia per decreta abſoluta ex parte ſubjecti, & conditionata ex parte objecti, Deus abſolute ſtatueret fieri, quod non fieri abſolute decernit, ſtatuendo nimirum conditionem, ſine qua non poſſunt fieri, nun-

quam

quam eſſe ponendam: v. gr. *Statuo Tyrios pœnitentiam acturos, ſi apud ipſos fierent miracula quæ facta ſunt apud Judæos, ſed ſimul ſtatuo talia miracula apud ipſos nunquam operari;* atqui hic modus operandi, eſt inanis, & majeſtatis divinæ omnino indignus; ergo . . . . 4. Si admitterentur decreta prædeterminantia, Deus nihil videret ante ſuum decretum; atqui hoc falſum eſt ex D. Auguſt. *lib. de prædeſt. ſanctor.* dicente: *Prædeſtinatio*, id eſt, abſoluta prædefinitio, eſt quæ ſine præſcientia *eſſe non poteſt: poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit quæ fuerat ipſe facturus: unde dictum eſt, fecit quæ futura ſunt. Præſcire autem potens eſt etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata* . . . . 5. Si admitterentur decreta prædeterminantia, Deus æque prædefiniret peccata conditionate futura, ac omnes alios actus creaturarum, & ſic eſſet cauſa & auctor peccati.

Reſpondent Thomiſtæ, Deum prædefinire entitatem actus peccaminoſi, non vero malitiam actus, quam averſatur & prohibet. Sed:

Contra eſt 1. Quia non poteſt intelligi prædeterminatio ad entitatem actus peccaminoſi, quin ſit prædeterminatio ad malitiam actus, ſeu ad actum ut malus eſt. Nam quiſquis eſt auctor actus, cui annexa eſt malitia, ad eumque prædeterminet ſecundum entitatem, is quoque ad eum prædeterminat, ut malus eſt.

Contra eſt 2. Quia ſi Deus præmovendo creaturam liberam ad entitatem peccati, non præmoveret ad ejuſdem malitiam, nihil eſſet in quo Deus videre poſſet peccati malitiam; atqui illam certo cognoſcit, ut docet D. Aug. ſupra citatus.

Reſpondent, Deum cognoſcere peccata in ſuo decreto permiſſivo. *Sed hoc falſum eſt*; nam decretum illud permiſſivum, vel ſupponeret præviſionem peccati, ſi illud permitteret & ad illud concurrere paratus eſſet; vel non ſupponeret. *Si primum*, eſſet eadem ſententia, quæ noſtra. *Si ſecundum*, decretum illud permiſſivum diceret voluntatem negandi, etiam juſtis, auxilium neceſſarium ad peccatum vitandum, ex quo neceſſario ſequeretur peccatum, quo durius nihil, nihil a voluntate divina alienum magis.

Objicies 1. Vera & ſincera voluntas Dei antecedens ſalvandi omnes, eſt abſoluta ex parte Dei & conditionata ex parte creaturæ; ergo decreta abſoluta ex parte ſubjecti & conditionata ex parte objecti, non ſunt rejicienda;

Reſp. diſt. conſeq. Non ſunt rejicienda, quando conditio pendet a ſola creatura, quomodo in hac prop. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, ſi illi mandatis obtemperaverint*, conditio pendet a ſola creatura, cum Deus, quantum eſt ex ſe, omnibus det, aut ſaltem offerat media quæ ſunt ad ſalutem conſequendam neceſſaria, *conc.* quando conditio pendet a ſolo Deo, aut ſaltem partim a Deo, partim a creatura, nec Deus ex ſua parte conditionem illam vult implere, *nego conſeq.* Illa enim decreta ſunt ludicra & ſuperflua & conſequenter majeſtatis divinæ indigna.

Objicies 2. Voluntas creata, ex ſe eſt indifferens & indeterminata; ergo debet determinari a Deo.

Reſpond. nego conſeq. Nam cauſa ſecunda libera, ſeipſam in actu ſecundo determinat quantum ad exercitium quatenus ſic agit, ut poſſit non agere; alias non eſſet libera.

Quæ-

Quæres 13. *Quo in medio Deus videat libera conditionate futura?*

Reſp. Ea videt, 1. In ſe ipſis; 2. In eſſentia ſua tanquam in ſpecie intelligibili; eodem modo, quo *quæſt.* 10. diximus Deum videre libera abſolute futura: eædem enim rationes valent pro liberis ſub conditione futuris.

Quæres 14. *Per quam ſcientiam Deus videat libera ſub conditione futura?*

Reſpond. Per ſcientiam mediam, in qua includitur Dei decretum de futuritione rei ponendum, tanquam pars conditionis ſub qua res eſſet futura, & ut talis prænoſcitur.

Prob. 1. Quia ſcientia media eſt, *certa & infallibilis cognitio actuum liberorum ſub conditione futurorum, independens ab omni decreto Dei abſoluto, eoque anterior;* atqui Deus per talem ſcientiam cognoſcit libera ſub conditione futura; ergo, &c. ..... *Prob. minor.* Deus certo & infallibiliter noſcit quomodo quiſque ſit vocandus, ut vocantem non reſpuat, non reluctetur, ſed vocationi divinæ obtemperet, ut docent D. Auguſt. lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Cujus autem miſeretur*, inquit, *ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* Et D. Chryſoſt. *Hom.* 31. *in Matth.* qui quærens cur Chriſtus Matthæum *non cum Petro ſimul ac Joanne & aliis diſcipulis vocavit?* Reſpondent: *Certo quemadmodum tunc ad illos acceſſit, vocavitque quando obtemperaturos ſciebat, ſic Matthæum quoque tunc vocavit quando miraculorum fama perdomitum, minime reluctaturum videbat. Qua de cauſa etiam Paulum poſt reſurrectionem piſcatus eſt.* Atqui illa cognitio eſt ſcientia conditionata, per quam Deus, antecedenter ad omne decretum abſolutum, infallibiliter novit talem hominem libere conſenſurum, ſi tali, aut tali vocatione

prævenjatur; ergo datur in Deo ſcientia media, &c.

Prob. 2. Si libera ſub conditione futura, ex decretis ex parte Dei abſolutis, ſuam haberent futuritionem, præſcientia Dei non præſupponeretur decretis Dei actualibus & abſolutis; atqui ex PP. præſcientia Dei, decretis ejuſdem actualibus & abſolutis præſupponitur. *Non propterea erit aliquid, quia id ſcit Deus futurum, ſed quia futurum eſt, ſcitur a Deo antequam fiat*, ait Origen. in cap. 8. Epiſt. ad Rom. *Et quidem præſcientia Dei vera atque inculpabilis eſt*, inquit D. Joann. Damaſc. lib. adverſus Manichæos, *verum ipſa haudquaquam cauſa eſt, cur omnino fiat quod futurum eſt, ſed quia hoc, vel illud facturi ſumus, ideo prænoſcit*. Et D. Thom. 3. *part. artic. 3. ad 4.* ait: *Prædeſtinatio*, id eſt, abſoluta prædefinitio, *ſupponit præſcientiam futurorum*. Nihil certe clarius.

Objicies: Nihil omnino futurum eſt independenter a Dei decreto; ergo Deus non cognoſcit futura ſub conditione independenter a decreto.

Reſp. diſt. antec. Independenter a Dei decreto abſoluto vel conditionato, *conc.* ſemper abſoluto, *nego ant.* Nempe ante decretum nihil vere eſt futurum; verum decretum debet proportionari naturæ & conditioni rei futuræ: ſi res ſit abſolute futura, admittendum eſt decretum abſolutum, non quidem antecedens prævîſionem rei futuræ ſub conditione, ſed ſubſequens; ſi vero res ſit futura duntaxat ſub conditione nunquam ponenda, ſufficit decretum conditionatum, quod ſit pars conditionis ſub qua res futura prænoſcitur.

Inſt. 1. Ut actus ſit conditionate futurus, debet extrahi e ſtatu meræ poſſibilitatis, ad

ſta-

ſtatum futuritionis; atqui ad hoc requiritur decretum abſolutum ex parte ſubjecti & conditionatum ex parte objecti; ergo, &c.

Reſp. Tranſeat maj. *nego min.* Nam ut aliquid e ſtatu meræ poſſibilitatis extrahatur ad ſtatum conditionatæ rei futuritionis, ſufficit decretum conditionate ponendum, quod includitur in ipſa conditione.

Dixi: *Tranſeat major.* Quæ poſſet negari, quia actus ſub conditione futurus, non eſt vere futurus, ſed ſolum eſſet futurus ſi poneretur aliqua conditio, ad quod non requiritur ut actus ab uno ſtatu extrahatur ad alium, ſed ſufficit ut habeat veritatem objectivam, vi cujus de illo dici poteſt, *eſſet, ſi poneretur talis conditio*: veritas autem objectiva non pendet ab ullo decreto actuali.

Inſt. 2. Futurum ſub conditione, habet aliquid, quod non habet mere poſſibile; ergo e ſtatu poſſibili eſt extractum.

Reſp. diſt. antec. Habet aliquid objective, *conc.* entitative, *nego ant.* Itaque res ſub conditione futura nullam habet entitatem actualem aut futuram, ſed ſolum haberet, ſi poneretur aliqua conditio: unde rei mere poſſibili ſuperaddit ſolummodo veritatem objectivam, quatenus de ea dici poteſt, non ſolum quod poſſet eſſe, ſed etiam quod eſſet, ſi poneretur aliqua conditio, quod dici non poteſt de re mere poſſibili.

Cæteras objectiones vide tomo I. ubi hæc concluſio fuſius eſt tractata.

Quæres 15. *Utrum ſcientia Dei ſit cauſa rerum?*

Reſp. Eſt cauſa rerum directiva; quia ſuppeditat ideas, ad quas factæ ſunt res quæ ex nihilo eductæ ſunt.

Qu. 16. ***Quænam Dei ſcientia ſit cauſa rerum?***

Reſpond. 1. Non eſt ſcientia viſionis: nam verſatur circa res jam productas pro aliqua temporis differentia; ergo non poteſt dirigere potentiam executricem ad illas producendas.

Reſp. 2. Eſt Scientia ſimplicis intelligentiæ. Nam Deo eſſentias & proprietates rerum omnium poſſibilium repræſentando, proponit modum quo fieri poſſunt; ergo Deum dirigit ad operandum.

Quæres 17. *Quotuplex ſit idea?*

Reſpond. Duplex, objectiva nempe & formalis.

Idea objectiva, eſt forma quædam, ſeu exemplar, in mente artificis exiſtens, ad cujus imitationem extra ſe operatur ... *Idea formalis*, eſt cognitio formæ ſeu exemplaris, quod artifex ſibi in ſuo opere exprimendum proponit.

Quæres 18. *An ſint in Deo ideæ?*

Reſpond. affirmat. Nam Deus operatur ſciens & volens; ergo habet ideas rerum omnium, quas producit conformes illis ideis.

Quæres 19. *An plures ſint in Deo ideæ?*

Reſpond. 1. Eſt unica idea formalis: quia in Deo unica eſt rerum omnium cognitio.

Reſpond. 2. In Deo ſunt plures ideæ objectivæ: nam idea objectiva, eſt forma in mente divina exiſtens, ad quam Deus reſpiciens omnia entia producit, vel producere poteſt; ſed illa entia ſunt plura; ergo & illorum ideæ.

CAPUT VIII.

De voluntate Dei.

Quæres 1. **A**N *ſit in Deo voluntas?* *Reſpond. affirm.* Nam Chriſtus Matth. 6. dicit Patri: *Fiat voluntas tua.* Ratio

tio eſt, quia voluntas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex?

Quæres 2. *Quotuplex eſt in Deo voluntas?*

Reſpond. A parte rei unica eſt, quemadmodum eſt unica natura, a qua eſt indiſtincta: tamen ſecundum noſtrum concipiendi modum, multiplex eſt.

Quæres 3. *Quomodo voluntas Dei dividitur noſtro concipiendi modo?*

Reſp. Dividitur in voluntatem beneplaciti, & voluntatem ſigni.

Quæres 4. *Quid ſit voluntas beneplaciti?*

Reſp. Eſt ipſa Dei volitio qua aliquid vult, vel non vult. Hæc eſt proprie dicta voluntas, Deo intrinſeca.

Quæres 5. *Quid ſit voluntas ſigni?*

Reſp. Eſt ſignum quoddam externum declarans Dei volitionem, ſic mandata Dei dicuntur voluntas Dei; Matth. 12. *Qui facit voluntatem patris mei, ipſe intrabit in regnum cælorum*, id eſt, qui ſervat mandata Dei, quæ ſunt ſigna voluntatis beneplaciti Dei. Hæc voluntas ſigni eſt metaphorica, Deoque extrinſeca.

Quæres 6. *Quotuplex eſt voluntas ſigni?*

Reſpond. Quintuplex: ſcilicet, præceptum, prohibitio, permiſſio, conſilium, & operatio, juxta hunc verſum:

> *Præcipit, & prohibet, permittit, conſulit, implet.*

Quæres 7. *Quomodo dividitur voluntas beneplaciti?*

Reſp. Dividitur 1. In antecedentem & conſequentem.

Voluntas antecedens, eſt ea, qua Deus aliquid vult ſecundum ſe ſpectatum, abſtrahendo a

do a circumſtantiis quæ illi adjungi poſſunt. Hac voluntate vult omnes homines ſalvos fieri, quia hoc in ſe bonum eſt.

Voluntas conſequens, eſt ea, qua Deus aliquid vult ſimpliciter & abſolute, ſpectatis omnibus circumſtantiis particularibus. Hac voluntate vult hominem in impœnitentia finali morientem damnari.

Dividitur 2. In abſolutam & conditionatam.

Voluntas abſoluta, eſt ea, quæ a nulla conditione pendet; talis eſt voluntas de mundo condendo. Hæc ſemper eſt efficax.

Voluntas conditionata, eſt ea, quæ ex aliqua conditione pendet. Unde non ſemper eſt efficax, quia non ſemper ponitur conditio requiſita.

Quæres 8. *Utrum voluntas Dei ſit cauſa rerum imperans?*

Reſp. affirm. Nam Pſalm. 113. *Omnia quæcumque voluit fecit*. Et Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*

Quæres 9. *Utrum voluntas Dei ſemper impleatur?*

Reſp. 1. Voluntas ſigni non ſemper impletur, nam multi contemnunt Dei conſilia, & ejus mandatis non obediunt. Prov. 1. *Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.*

Reſpond. 2. Voluntas Dei antecedens non ſemper impletur: nam hac voluntate *vult omnes homines ſalvos fieri*, 1. ad Tim. 2. ſed non omnes ſalvantur, quia conditionem quæ a Deo ſimul & a libera hominis cooperatione pendet, homines ex ſua parte non implent; ergo, &c.

Reſp. 3. Voluntas Dei conſequens ſemper impletur: de ea nimirum intelligi debent hæc

Pſalm.

Pſalm. 123. verba: *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit:* necnon & iſta ipſius Dei apud Iſaiam 46. *Omnis voluntas mea fiet*.

Objicies: Non poteſt conciliari humana libertas cum abſoluta Dei voluntate circa liberas noſtras actiones; ergo.

Reſp. nego antec. Quia voluntas Dei abſoluta circa liberas hominis actiones, ſupponit liberam hominis determinationem a Deo conditionate prævisam: qua præſuppoſita, Deus pro ſuo beneplacito, abſolute decernit hanc actionem, quare vocatur, *voluntas conſequens*.

Quæres 10. *Utrum voluntas Dei ſit libera?*

Reſp. Eſt vere & proprie libera circa creaturas: nam Pſalm. 113. *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit*. Et Pſalm. 93. *Deus ultionum libere egit*. Ratio eſt, quia libertas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex.

Objicies: Vera libertas dicit indifferentiam ad agendum vel non agendum; atqui Deus non habet hanc indifferentiam; ergo.

Prob. min. Deus ſemper fuit determinatus ad agendum vel non agendum; ergo non eſt indifferens ad agendum vel non agendum.

Reſpond. diſt. conſeq. Non eſt indifferens indifferentia paſſiva, quia poſſit novum actum immanentem producere ac in ſe recipere: item non eſt indifferens indifferentia ſuſpenſionis, qua, anceps conſilii, quid agat nondum decreverit, *conc.* non eſt indifferens indifferentia activa, quæ eſt vis ad agendum vel non agendum, ei competens, qui ad certum quid agendum non alligatur, *nego*.

Quæres 11. *In quo poſita ſit libertas divinæ voluntatis?*

Reſpond. Poſita eſt in entitate divinæ voluntatis; quatenus pro nutu intrinſece connotat objecta extra ſe poſita: nam ad libertatem

Dei

Dei duo requiruntur; 1. Ut ſit perfectio quædam Deo intrinſeca; 2. Ut dicat indifferentiam activam; atqui in noſtra ſententia, 1. Actus Dei liber, eſt perfectio Deo intrinſeca, cum ſit ipſamet divina voluntas; 2. Dicit indifferentiam activam, cum ita connotet creaturas, ad quas terminatur, ut potuerit illas non connotare: ergo.

Objicies: Idem non poteſt eſſe neceſſarium ſimul & liberum; ſed actus divinæ voluntatis eſt neceſſarius; ergo.

Reſpond. diſt. maj. Sub eodem reſpectu, *conc.* ſub diverſo, *nego*. Porro actus divinæ voluntatis eſt neceſſarius quoad entitatem, liber vero quoad terminationem ad creaturas.

Quæres 12. *Utrum Deus ſit omnipotens?*

Reſpond. affirm. Eccl. 1. *Deus eſt altiſſimus, creator, omnipotens*. Et, *Matth.* 4. Chriſtus dicit: *Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt*. Ratio eſt, quia Deus eſt infinitus; ergo habet infinitam virtutem; atqui infinita virtus idem eſt ac omnipotentia; ergo.

Objicies: Deus non poteſt facere alia ab eis quæ actu vult facere & facit; ergo.

Reſpond. diſt. antec. De potentia ordinata, *conc.* de potentia abſoluta, *nego*. Potentia ordinata ſpectatur cum decreto, vi cujus non poteſt facere, niſi quæ ſtatuit, cum nihil poſſit fieri ſine decreto. Potentia abſoluta ſpectatur ſeorſim a decreto; per hanc poteſt facere quidquid non implicat contradictionem.

Quæres 13. *Quodnam eſt objectum divinæ voluntatis?*

Reſp. Objectum *primarium*, eſt Deus ipſe, quia eſt ſummum bonum, & ratio volendi cætera, juxta illud Prov. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* .... Objectum *ſecundarium*, ſunt creaturæ, tum in aliqua temporis

poris differentia exiſtentes, tum mere poſſibiles; quia Deus vult id omne quod habet rationem boni; atqui creaturæ in aliqua temporis differentia exiſtentes, habent bonitatem actualem participatam; poſſibiles vero habent bonitatem poſſibilem; ergo Deus illas vult & amat: nam, *Deus vult . . . . . ea quæ ſunt, vel poſſunt eſſe bona*, ait D. Thom. lib. 3. contra gentes, cap. 84.

Quæres 14. *Utrum Deus amet neceſſario?*

Reſpond. 1. Amat ſeipſum neceſſario, quia eſt ſummum bonum, clare & intuitive viſum .... 2. Amat creaturas poſſibiles etiam neceſſario, ſi conſiderentur entitative, quia ſic non diſtinguuntur a potentia divina .... 3. Creaturas in aliqua temporis differentia exiſtentes amat libere, quia non ſunt ſummum bonum.

Quæres 15. *Quo amore Deus ſeipſum amet?*

Reſpond. Amore *complacentiæ*, quia neceſſario ſibi complacet in ſua bonitate; non vero amore *benevolentiæ*, quia nihil ſuæ perfectioni addit per ſuam bonitatem.

Quæres 16. *Quo amore Deus amet creaturas in aliqua temporis differentia exiſtentes?*

Reſp. Amat *amore benevolentiæ & efficaci*, quia illis libere vult & confert aliquod bonum, nempe eſſe & conſervari.

Quæres 17. *Quo amore amat creaturas poſſibiles?*

Reſp. Amore *complacentiæ & inefficaci*; quia ſibi complacendo in earum poſſibilitate, nihil ſtatuit circa earum exiſtentiam.

Objicies: Poſſibilia ſunt pure nihil; atqui Deus non poteſt amare pure nihil; ergo.

Reſp. diſt. maj. Sunt pure nihil, in ſe, *conc.* in potentia Dei, in qua continentur, & a qua non diſtinguuntur, *nego*. Ideo quando Deus amat poſſibilia, amat ſuam omnipotentiam, in qua ſibi complacere concipitur.

Quæ-

Quæres 18. *Utrum Deus velit mala naturæ & pœnæ?*

Reſp. Non ea vult *directe & per ſe*, ratione ipſorum, quia qua talia non habent rationem boni; ſed ea vult *indirecte & per accidens*, nimirum ratione alterius quod directe vult. Sic quia vult directe ut ſervetur naturæ ordo, vult indirecte defectus naturæ qui cum illo ordine conjunguntur; ſic quia vult juſtitiam ſuam ſervari, vult irrogationem pœnæ, ſine qua non poteſt juſtitia ſervari: hoc ſenſu Eccl. 3. dicitur; *Bona, & mala, vita & mors, a Deo ſunt.*

Quæres 19. *Utrum Deus velit mala culpæ?*

Reſp. Nullo modo vult, juxta illud Pſalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Unde Conc. Trid. *ſeſſ. 6. can. 6.* definit: *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permiſſive ſolum ...... anathema ſit.*

Objicies: Exodi 9. dicitur, induravitque Dominus cor Pharaonis; atqui indurare cor hominis, eſt velle ut peccet; ergo.

Reſp. diſt. min. Indurare poſitive, infundendo malitiam, *conc.* negative, ſubſtrahendo nimirum gratiam ſpecialem & uberiorem propter peccata præterita, qua ſubſtracta, homo frequenter cadit, nec reſurgit, *nego*. Sic autem tantummodo Deus indurat.

APPENDIX.

De voluntate Dei circa ſalutem omnium, & morte Chriſti pro omnium ſalute.

Nota: Has duas quæſtiones conjungimus, quia inter ſe ita connexæ ſunt, ut ſeparari a ſe invicem nullatenus poſſint. Circa quas.

1. Non

1. Non eſt quæſtio, utrum Deus velit ſalvare omnes homines voluntate ſigni, aut voluntate ſimplicis complacentiæ otioſæ & ſterilis .... 2. Utrum Chriſtus, moriendo, ſufficiens pretium ad ſalvandos omnes homines obtulerit: id enim fatentur omnes hæretici. Sed quæſtio eſt, 1. Utrum Deus, antequam, ſecundum noſtrum concipiendi modum, præviderit merita aut demerita hominum, omnes ſalvos fieri velit voluntate ſincera & activa, conditionata tamen, nempe, modo in gratia moriantur... 2. Utrum Chriſtus, voluntate conditionata & antecedente, voluerit omnibus & ſingulis hominibus ad ſalutem prodeſſe ſuum ſanguinem, illumque in hunc finem Deo Patri obtulerit. Unde:

Quæres 1. *Utrum alios ſalvos fieri velit quam prædeſtinatos?*

Reſp. Vult, & quidem vera & ſincera voluntate beneplaciti, ut fides docet. Nam. *Jo:* 3. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Atqui tamen non omnes, qui credunt in Chriſtum, ſunt prædeſtinati; ergo ..... 2. Fuit in Deo vera & ſincera voluntas ſalvandi Apoſtolos: *Hæc eſt voluntas ejus qui miſit me Patris*, ait Chriſtus, Joann. 6. *ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.* Atqui tamen Judas, qui erat unus ex eis, non erat prædeſtinatus; *Quos dediſti mihi, cuſtodivi*, ait Chriſtus, Joann. 17. *& nemo ex eis periit, niſi filius perditionis*: ergo.

Quæres 2. *Utrum Deus velit ſincere ſalutem omnium omnino hominum, nullo dempto?*

Reſp. affirm. Nam 1. Apoſtolus, 2. *ad Tim.* 2. ait: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, &*

ad.

ad agnitionem veritatis venire. Atqui hanc Dei voluntatem extendi ad omnes & ſingulos homines, probant, tum votum Apoſtoli monentis ut *fiant orationes pro omnibus hominibus*, *pro Regibus*, *& omnibus qui in ſublimitate ſunt*, licet fuerint infideles, ſed in infidelitate non obierint. Tum ratio quam illius voluntatis reddit, quia nempe, *Unus eſt Deus*, *unus mediator Dei & hominum*, *homo Chriſtus Jeſus*, *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. Ergo ſicut Apoſtolus monet fieri orationes pro omnibus hominibus; ſicut *unus eſt Deus* omnium hominum, nullo excepto, ita & omnium ſalvator eſt & redemptor: ita & vult omnes omnino & ſingulos homines ſalvos fieri. Decretorium eſt illud teſtimonium; quare C. Cariſiacum definit: *Deus omnipotens omnes homines*, *ſine exceptione*, *vult ſalvos fieri*, *licet non omnes ſalventur*. *Quod autem quidam ſalvantur*, *ſalvantis eſt donum*: *quod autem quidam pereunt*, *pereuntium eſt meritum*.

Objicies: Hæc Apoſt. verba, *Deus vult omnes ſalvos fieri*, ſignificant tantum voluntatem ſigni; ergo Deus non vult ſincere omnes homines ſalvos fieri.

Reſpond. nego antec. Tum quia illa verba in ſenſu proprio ſignificant voluntatem beneplaciti; tum quia Deus, ut illius eſt voluntatis, deſtinavit omnibus redemptorem, *proprio Filio ſuo non pepercit*, *ſed pro nobis omnibus tradidit illum*: omnibuſque & ſingulis præparat aut confert media ſalutis æternæ conſequendæ vere ſufficientia, ut fuſe probavimus Tractatu de gratia, c. 3.

Inſtab. D. Thomas aſſerit quod voluntas antecedens *magis poteſt dici velleitas*, *quam abſoluta voluntas*; atqui velleitas non eſt proprie in Deo; ergo.

Reſ-

Reſpond. diſt. anteced. Poteſt dici velleitas comparate ad voluntatem abſolutam, quæ ſemper eſt efficax, *conc.* abſolute & in ſe quaſi eſſet in Deo mera circa ſalutem reproborum complacentia, *nego*. Ita ſe explicat hic Div. Thom. & lib. contra gentes, capit. 159. *Deus, quantum eſt in ſe*, inquit, *paratus eſt omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines ſalvos fieri*. Ergo, ex D. Thoma, illa voluntas non eſt otioſa & ſterilis; ergo eſt ſincera voluntas, licet inefficax.

Quæres 3. *Utrum Chriſtus mortuus ſit pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum?*

Reſp. negative: Id patet ex SS. Pontificibus Innocent. X. & Alexand. VII. qui, Conſtitutione ab univerſa Eccleſia recepta, hanc prop. Janſenii: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*, damnarunt, *tanquam falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit*; damnarunt, *tanquam impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam*; ergo hæc ejus contradictoria. *Chriſtus non eſt mortuus pro ſolorum prædeſtinatorum ſalute*, eſt dogma fidei.

Quæres 4. *Utrum Chriſtus ſit mortuus pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto?*

Reſpond. affirm. Nam id aperte probat Apoſtolus, 2. *Cor.* 5. dicens: *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt; & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*. Decretorium eſt illud teſtimonium, in quo probat Apoſtolus omnes & ſingulos in Adamo fuiſſe mortuos, ex eo quod Chriſtus pro omnibus ſit mortuus; nulla autem eſſet conſequentia, ſi vel unus eſſet, pro quo Chriſtus non eſſet mortuus. Un-

de Concilium Cariſiacum, c. 4. definit: *Nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit*, Chriſtus, *licet non omnes paſſionis ejus myſterio redimuntur*; ergo. Et D. Aug. *lib.* 20. *de civit. Dei, cap.* 6. ait: *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis; nullo prorſus excepto ..... & pro omnibus mortuis, vivus mortuus eſt unus.*

Objicies: Chriſtus, *Matth.* 20. dicit ſe veniſſe *dare animam ſuam, redemptionem pro multis*; ergo non pro omnibus.

Reſp. nego conſeq. Nam vox, *multis*, ſupponit pro, *omnibus*, unde D. Auguſt. *lib.* 2. *operis imperfecti*, Juliano dicenti, *omnes pro multis ſumi*, reſpondet, *non repugnare omnibus multos, quia ipſi omnes, non pauci, ſed multi ſunt*. Quo ſenſu Apoſt. *Rom.* 5. ait: *Si unius delicto multi mortui ſunt*; ubi vox, *multi*, evidenter ſumitur pro voce, *omnes*.

Inſtab. D. Auguſt. *Epiſt.* 169. *ad Evodium*, ait: *Non perit unus ex iis pro quibus mortuus eſt Chriſtus*; ergo mortuus eſt pro ſolis prædeſtinatis.

Reſp. diſt. ant. Pro quibus mortuus eſt Chriſtus, voluntate abſoluta & efficaci, *conc.* voluntate conditionata, antecedente, & generali, *nego ant.* porro D. Auguſt. loquitur de voluntate Chriſti efficaci; ſicque intelligendi ſunt omnes alii Patres, & qui nobis objiciuntur.

CAPUT IX.

De juſtitia, miſericordia, & providentia Dei.

Quæres I. UTrum *ſit in Deo juſtitia commutativa?*

Reſpond. negat. Nam ut ait D. Thom. q. 21. artic. 1. *Cum omnia noſtra ex Deo ſint, nec quiſ-*

quiſquam quidpiam dederit, pro quo ſibi a Deo retribuatur, jure in ipſo juſtitia commutativa non eſt.

Quæres 2. *Utrum juſtitia diſtributiva in præmium bonorum & malorum vindictam, ſit formaliter in Deo?*

Reſp. affirm. Nam Pſalm. 10. *Juſtus Dominus, & juſtitias dilexit.* Ratio eſt, quia bonis præmium, & malis ſupplicium, pro ratione eorum meriti vel demeriti reddit.

Quæres 3. *Utrum ſit in Deo miſericordia?*

Reſp. Non eſt quatenus dicit triſtitiam de miſeria aliena: eſt autem quatenus ſignificat voluntatem alienæ miſeriæ ſubveniendi; hæc enim voluntas eſt perfectio ſine imperfectione.

Quæres 4. *Quid ſit providentia?*

Reſp. Definitur: *Ratio ordinis rerum ad finem*, per media congrua.

Quæres 5. *Utrum detur providentia?*

Reſpond. affirm. Id enim aſſerit Scriptura Eccl. 6. *Æqualiter cura eſt illi de omnibus.* Et cap. 14. *Tua autem, Pater, providentia gubernat.* Ergo.

Objicies 1. Multa caſu fiunt & fortuito. 2. Multa fiunt fruſtra in rerum natura. 3. Impii ut plurimum proſpere agunt, juſti econtra adverſis premuntur; atqui hæc cum providentiæ exiſtentia ſtare non poſſunt; ergo, &c.

Reſpond. ad 1. *diſt. ant.* Multa caſu fiunt reſpectu noſtri, qui ignoramus cauſas multorum effectuum, & finem ad quem ex intentione Dei diriguntur, *conc.* reſpectu Dei, *nego min.*

Reſp. ad 2. *diſt. ant.* Multa fiunt fruſtra, reſpective ad cauſas particulares, *conc.* reſpective ad proviſorem generalem; *nego ant.* Illa enim quæ fruſtra fieri videntur, ad decorem univerſi ordinantur.

Reſp. ad 3. *nego conſeq.* Nam in hoc & ma-

lis

lis providet Deus & bonis; malis quidem, ut eos adducat ad pœnitentiam, & virtutes morales, ſi quæ ſint in eis, compenſet: bonis vero, ut expientur in hac vita peccata eorum; ut virtus eorum probetur, exerceatur, & perficiatur; ut, præſentem vitam contemnentes, Deum ardentius quærant, ut eorum merces augeatur, &c.

Objicies 2. Si Deus omnibus provideat, actus creaturæ etiam liberæ, a Deo proviſi, erunt neceſſarii; nam fiunt neceſſario; ergo, &c.

Reſpond. nego antec. Cum enim providentia *diſponat omnia ſuaviter*, res neceſſarias neceſſario, res vero liberas libero modo regit & gubernat; equidem quæ ſunt a Deo proviſa fient neceſſario neceſſitate hypothetica quæ nullatenus officit libertati; non vero neceſſitate abſoluta.

Quæres 6. *Utrum providentia ſemper aſſequatur finem rerum quæ ei ſubſunt?*

Reſpond. Semper aſſequitur ſuum finem generalem, quæ eſt manifeſtatio bonitatis, aliorumque attributorum divinorum; at non ſemper aſſequitur ſuum finem ſpecialem, ſic homo non ſemper aſſequitur beatitudinem, quæ eſt finis ſpecialis ad quem ordinatur a divina providentia. Ratio eſt, quia Deus finem generalem vult efficaciter; non autem ſemper ſic vult finem ſpecialem.

C A P U T X.

De Prædeſtinatione.

Quæres 1. *Quot modis ſpectari poteſt prædeſtinatio?*

Reſpond. Poteſt ſumi duobus modis, 1. *Incom-*

complete, pro voluntate Dei abſoluta & efficaci dandi gratiam nude & ſolitarie ſumptam, vel gloriam item nude & ſolitarie ſumptam. 2. *Complete*, pro voluntate divina abſoluta, & efficaci dandi gratiam ſimul & gloriam, ſeu quatenus non tantum reſpicit gloriam æternam; ſed etiam omnia gratiæ dona, quibus creatura rationalis ad gloriam perducitur.

Quæres 2. *Quomodo definitur prædeſtinatio complete ſumpta?*

Reſp. Definitur a D. Aug. lib. de dono Perſ. c. 14. *Præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur.*

Dicitur 1. *Præſcientia*, quo nomine intelligitur ſcientia viſionis præſupponens ſcientiam conditionatorum, tum quia D. Auguſt. illam ſcientiam præponit decreto abſoluto præparationis beneficiorum gratiæ & gloriæ: Tum quia D. Auguſt. *c.* 17. de Deo ait: *Namque in ſua, quæ falli mutarique non poteſt, præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omnino nec aliud quidquam, eſt prædeſtinare.*

Dicitur 2. *Præparatio*, id eſt, præordinatio in Deo exiſtens ab æterno.

Dicitur 3. *Beneficiorum Dei*, per quod alii gratiæ ſolius, alii gloriæ ſolius, alii veriſimilius, tum gratiæ tum gloriæ dona intelligunt.

Dicitur 4. *Quibus certiſſime liberantur*, nempe a peccato per gratiam efficacem, & a miſeria per gloriam æternam.

Dicitur 5. *Quicumque liberantur*, quia prædeſtinatio non ad omnes homines, ſed ad aliquos tantum extenditur, per quod differt a providentia tum naturali, tum ſupernaturali, quæ eſt voluntas dandi gloriam antecedens & conditionata.

Quæres 3. *Utrum exiſtat vera ex parte Dei prædeſtinatio?*

Reſp. De fide eſt dari. Matth. 25. *Venite, benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi.* Et Rom. 8. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit*, &c. Ratio eſt, quia quidquid Deus facit in tempore, illud ab æterno facere præordinavit ac decrevit.

Quæres 4. *Quotuplex eſt ſcholaſticorum ſententia circa cauſam meritoriam prædeſtinationis ad gloriam ſolitarie ſumptam?*

Reſpond. Duplex 1. *Sententia* diſtinguit prædeſtinationem in eam quæ eſt *ſecundum ordinem intentionis*, eſtque actus divinæ voluntatis ab æterno decernentis alicui dare gloriam, & eam quæ eſt *ſecundum ordinem executionis*, eſtque ipſa actualis gloriæ attributio. Atque docet prædeſtinationem ſpectatam ſecundum ordinem executionis eſſe propter gratiæ merita: ſpectatam vero ſecundum ordinem intentionis, eſſe mere gratuitam, & independenter a quovis prædeſtinati merito factam, ita ut Deus aliquos in 1. Inſtanti ad gloriam efficaciter præelegerit, & in 2. eoſdem ad gratiam efficacem & ad merita ſupernaturalia, quibus gloria eſt obtinenda.

2. *Sententia* docet efficacem prædeſtinationem ex præſuppoſita meritorum gratiæ prævisione fieri, ita ut Deus nemini prius gloriam efficaciter decernat, quam præviderit eum gratiæ certo conſenſurum.

Quæres 5. *Utrum prædeſtinatio ad gloriam fiat ex præviſis gratiæ meritis?*

Reſp. affirm. Prob. 1. Ex Script. Matth. 25. ubi Chriſtus prædeſtinatos alloquens, ait: *Venite, benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi, eſurivi enim & dediſtis mihi manducare*, &c. Ubi manifeſte Chriſtus docet, regnum cælorum non tantum dari, ſed etiam parari propter bona opera: nam

nam particula cauſalis, *enim*, quæ Deo illa verba, *poſſidete*, & *paratum*, ſubſequitur, utrumque afficit, ut exponunt PP. Div. Chryſoſt. Hom. 80. in Matth. *Quia ſciebam vos, antequam nati eſſetis, hujuſmodi futuros*, inquit, *hæc, vobis a me præparata ſunt*. Et D. Hieron. verba Matthæi objecti interpretans, ait: *Hoc juxta præſcientiam Dei accipiendum eſt, apud quem futura, jam facta ſunt*. At præſcientia non reſpicit collationem actualem gloriæ, ſed ſolum illius præparationem ob futura merita: ergo.

Prob. 2. Ex Rom. 8. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit*, & Præſcientia hic præmittitur prædeſtinationi, ut ſignificetur præſcientiam meritorum eſſe cauſam directivam prædeſtinationis, ut exponunt Div. Ambroſ. libr. 5. de fide: *Quos præſcivit*, inquit, *hos & prædeſtinavit, quia non ante prædeſtinavit, quam præſcivit, ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit*.

Prob. 3. Ex SS. PP. D. Epiph. in expoſit. horum Chriſti verborum: *Non eſt meum dare vobis*, ait, *non eſt meum dare vobis, ſed ſi laboraveritis, erit vobis* paratum *a Patre meo*. Et Div. Chryſoſt. *Non eſt meum dare, ſed quibus labore, atque ſudore* præparatum *eſt*. Ergo gloria non tantum datur, ſed etiam præparatur ob prævisa merita, ut immediate declarat D. Chryſoſt. dicens: *Num igitur quaſi non potentem illud id facere condemnabimus? nequaquam ſed juſtitiam ejus admirabimur: quoniam non perſonam, ſed rem, id eſt, merita, reſpicit*.

D. Auguſtin. *lib.* 2. *de peccatorum meritis*, ait: *Dominus noſter hanc ſuam medelam nullis, generis humani temporibus, ante ultimum futurum judicium denegavit, quos per certiſſimam præſcientiam, & juſtiſſimam miſericordiam ſecum*

regnaturos in vitam prædeſtinavit æternam. Atqui prædeſtinari per certiſſimam præſcientiam & per juſtiſſimam miſericordiam, eſt certe prædeſtinari propter præviſa merita; ergo, &c.

Idem, *lib.* 1. *ad Simplicianum*, *quæſt.* 2. ait: *Non tamen electio* (ad gloriam) *præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificatio: nemo enim eligitur, niſi jam diſtans* (per bona opera præviſa) *ab illo qui rejicitur. Unde quod dictum eſt*, elegit nos ante mundi conſtitutionem, *non video quomodo ſit dictum niſi præſcientia*, operum ſcilicet cum gratia Dei elicitorum.

Div. Fulgent. *libr.* 1. *ad Monimum*, *cap.* 24. ait: *Prædeſtinavit ad regnum, quos præſcivit ad ſe miſericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in ſe, miſericordiæ ſubſequentis auxilio, manſuros*. Quod manifeſte indicat prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt præviſa merita.

Prob. 3. *ratione*: Deus ab æterno decrevit facere quod facit in tempore, & quidem eodem modo quo illud facit in tempore, juxta illud Div. Thom. in cap. 8. Epiſt. ad Roman. lect. 6. *Eadem ratione Deus beneficia, quæ nobis confert in tempore, præparavit ab æterno*; atqui Deus in tempore dat gloriam propter merita, ut fides docet; ergo, &c. .... *Prob. maj.* Quia SS. PP. inferunt executionem gratuitam ex electione gratuita: *Deus nato gratis gratiam ſuam tribuit*, inquit D. Fulgent. lib. 1. de prædeſt. & gratia, *quia gratis eam præparaverat*, naſcituro; ergo idem eſt modus eligendi finem cum modo illum executioni mandandi. Cæteræ probationes videantur Tomo I. noſtræ Theologiæ.

Objicies 1. Chriſtus Lucæ 12. dixit diſcipulis ſuis: *Nolite timere, puſillus grex, quia compla-*

placuit Patri veſtro dare vobis regnum. Atqui vox iſta, *complacuit*, ſignificat voluntatem puri beneplaciti, quæ excludit omne meritum prævifum; ergo.

Reſp. diſt. min. Vox, *complacuit*, ſignificat voluntatem puri beneplaciti antecedentem, conditionatam, & inefficacem dandi gloriam ſub conditione meritorum, *conc.* voluntatem abſolutam & efficacem, *nego min.* Alias Judas, qui de illo puſillo grege erat, fuiſſet efficaciter electus ad gloriam.

Objicies 2. Rom. 9. dicitur: *Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali (ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei* (Rebeccæ) *quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Unde ſic argumentor; ante omne prævifum meritum Jacob diligitur; atqui per illam dilectionem Jacob, illius prædeſtinatio intelligitur; ergo.

Reſp. diſt. min. Intelligitur illius prædeſtinatio ad gratiam, *conc.* ad gloriam, *nego*. Nam, ex ipſo textu, Eſau perinde gratis fuit odio habitus, ac Jacob dilectus; ergo ſi ſermo eſſet de prædeſtinatione ad gloriam, ſequeretur reprobationem fieri etiam ante prævifa demerita, & ex ſolo Dei beneplacito, quod eſt hæreticum.

Objicies 3. D. Aug. pluribus in locis, docet prædeſtinationem fieri ante prævifa omnia merita; ergo.

Reſp. diſt. ant. Docet prædeſtinationem ad gratiam fieri ante omnia merita, *conc.* prædeſtinationem ad gloriam, *ſubdiſt.* ante omnia merita naturalia & gratiam præcedentia, *conc.* ante omnia merita gratiæ, *nego*.

Itaque D. Aug. in locis, quæ nobis objiciuntur, impugnat *Pelagianos*, qui docebant

gratiam Dei ſecundum merita noſtra naturalia dari; & *Semipelagianos*, qui docebant gratiam dari propter merita quorum ſaltem initium eſſet a natura & libero arbitrio; ſicque tota quæſtio inter D. Aug. & ejuſmodi hæreticos, non erat de meritis antecedentibus prædeſtinationem ad gloriam, ſed de meritis antecedentibus prædeſtinationem ad gratiam. Inde eſt quod D. Doctor loquens obiter de prædeſtinatione ad gloriam, docuit eam non eſſe factam ex operibus naturalibus ad ſenſum illorum hæreticorum, qui non poterant dicere, eam eſſe factam ex prævifis meritis a gratia præveniente adæquate profectis, cum ſaltem tenerent initium fidei eſſe a nobis, ut ſolis, & non a prædicta Dei gratia adjutis.

Quæres 6. *Quid ſit effectus prædeſtinationis?*

Reſp. Eſt id omne, quod, virtute prædeſtinationis factæ, Deus ex ſpeciali affectu confert electo, ut eum ad gloriam perducat.

Quæres 7. *Quid requiratur ut aliquid ſit effectus prædeſtinationis?*

Reſp. Tria, 1. *Requiritur*, ut ſit a Deo. Quare peccatum non eſt effectus prædeſtinationis... 2. *Requiritur*, ut detur ex meritis Chriſti, quare creatio non eſt effectus prædeſtinationis... 3. *Requiritur*, ut certiſſime ad ipſius gloriæ conſecutionem conducat, ſive formaliter, ſive diſpoſitive, ſive etiam occaſionaliter.

Quæres 8. *Quot ſint effectus prædeſtinationis?*

Reſp. Sunt tres. Scilicet, vocatio, juſtificatio & glorificatio, juxta illud Rom. 8. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.*

Objicies: Vocatio & juſtificatio ſunt communes prædeſtinatis & reprobis; ergo non ſunt effectus prædeſtinationis.

Reſp. diſt. ant. Sunt communes, ſi ſpectentur in ſe, *conc.* ſi ſpectentur ex parte Dei, *nego ant.* Nam, ex parte Dei dantur prædeſtinatis ex abſoluta & efficaci intentione perducendi ad gloriam; reprobis vero conceduntur tantum ex voluntate Dei generali ſalvandi omnes homines: ideo in illis ſunt tantum communes providentiæ generalis effectus.

Quæres 9. *Utrum peccati permiſſio prædeſtinationis ſit effectus?*

Reſp. Non eſt per ſe, ſed occaſionaliter, quatenus nimirum a Deo ordinatur ad prædeſtinati ſalutem. Quare D. Aug. *Serm. 33. de verbis Domini*, ait: *Audeo dicere: Superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipſo, in quo ſe extollunt, humilientur, & cum timore & tremore ſalutem ſuam operentur.*

Objicies: Permiſſio peccati non eſt Dei beneficium, nec eſt ex meritis Chriſti; ergo.

Reſp. diſt. ant. Non eſt Dei beneficium, nec ex meritis Chriſti, in ſe conſiderata, *conced.* prout ſubeſt intentioni divinæ, *nego ant.*

Quæres 10. *Utrum prædeſtinatio ſit certa?*

Reſpond. Eſt certiſſima ſecundum ſe; nam, *Joann.* 10. *Chriſtus de electis*, ait: *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Et c. 13. *ſcit Chriſtus quos elegerit.*

Quæres 11. *Utrum prædeſtinatio ſit certa reſpectu noſtri?*

Reſp. Non eſt certa, certitudine abſoluta, abſque ſpeciali revelatione, nam, *Eccleſ.* 9. dicitur: *Neſcit homo utrum amore vel odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta:* Hinc Concilium Trident. *ſeſſione 6. can.* 16. definit: *Si quis magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum ſe certo habiturum, abſoluta & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit, anathema ſit.*

Quæres 12. *Quot ſint ſigna prædeſtinationis ?*

Reſp. Varia aſſignantur a Patribus vitæ ſpiritualis: nempe frequens & devotus Sacramentorum uſus. Zelus honoris Dei & ſalutis proximi. Frequens de Deo ſermo & cogitatio. Deſiderium patiendi pro Chriſto. Ardens deſiderium audiendi verbum Dei. Rerum caducarum contemptus, & cæleſtium amor. Metus & tremor in operanda ſalute cum vera humilitate conjunctus. Devotio erga B. M. V. cui Eccleſia accommodat iſta, *Prov.* 8. verba: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem a Domino.*

Quæres 13. *Utrum prædeſtinatio ſit immutabilis ?*

Reſpond. Eſt immutabilis. 1. *Ex parte Dei prædeſtinantis*, quia Deus nunquam mutabit decretum, quo ſtatuit efficaciter gloriam electis conferre. 2. *Ex parte prædeſtinatorum*, quia non poſſunt non conſequi gloriam, ad quam electi ſunt. Hinc D. Auguſt. *lib. de corrept. & gratia*, *c.* 13. ait: *Certus eſt prædeſtinatorum numerus, qui neque augeri, neque minui poteſt.*

Objicies: Qui ſcripti ſunt in libro vitæ, poſſunt ex eo deleri; ergo non eſt immutabilis prædeſtinatio.

Reſp. diſt. antec. Qui ſcripti ſunt in libro vitæ, ſecundum quid, *conc.* ſimpliciter, *nego.* Liber vitæ ſecundum quid, eſt ille in quo inſcribitur qui ad gratiam prædeſtinatus eſt. Liber vitæ ſimpliciter, eſt illa in quo inſcribitur qui ad gloriam æternam eſt prædeſtinatus. Porro poteſt quis excidere a gratia, nunquam vero a gloria, quando ad eam eſt prædeſtinatus.

Inſt. 1. Moyſes, *Exod.* 32. ait: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* Ergo ſupponit prædeſtinationem non eſſe ex parte Dei immutabilem.

Reſp.

Reſp. nego conſeq. Nam ille textus intelligitur de libro vitæ hujus temporalis, de quo etiam loquitur, *num.* 11. dicens ad Dominum: *Obſecro ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis.*

Inſt. 2. David, Pſalm. 68. loquens de libro vitæ ſimpliciter, ait: *Deleantur de libro viventium*; ergo, &c.

Reſpond. diſt. conſeq. Poſſunt deleri, negative, id eſt, non inſcribi, *conc.* poſitive, *nego*. Unde ibidem additur: *Et cum juſtis non ſcribantur.*

Quæres 14. *Utrum prædeſtinatio neceſſitatem inferat prædeſtinatis?*

Reſp. negat. Quia decretum prædeſtinationis ſupponit ſcientiam conditionatorum, per quam cauſa libera prævideatur ſeſe determinatura, ex hypotheſi quod Deus velit concurrere cum illa.

CAPUT XI.

De Reprobatione.

Quæres 1. QUid *ſit reprobatio?*

Reſpond. Definitur a magiſtro lib. 1. ſent. diſtinct. 4. *Præſcientia impietatis quorumdam, & præparatio damnationis eorumdem.*

Dicitur 1. *Præſcientia impietatis*, ut ſignificetur reprobationem fieri ex prævisis demeritis .... Dicitur 2. *Impietatis*, id eſt, peccati, vel originalis ſolum, vel actualis ſolum, vel utriuſque ſimul conjuncti in adultis non baptizatis .... Dicitur 3. *Et præparatio damnationis eorumdem*, per quod intelligitur abſolutum Dei decretum aliquos excludendi a gloria, & ad ſupplicium æternum deputandi.

Quæres 2. *Quotuplex ſit reprobatio?*

Reſp. Duplex; poſitiva, nempe, & negativa.

Quæres 3. *Quid ſit reprobatio poſitiva?*

Reſp. Eſt, *decretum divinum, quo aliqui excluduntur a vita æterna & deputantur ad pœnas æternas.* Hæc etiam dicitur *adæquata*.

Quæres 4. *Quid ſit reprobatio negativa?*

Reſpond. Ab aliquibus definitur: *Mera non electio ad vitam æternam.* Ab aliis vero: *Actus poſitivus, quo Deus quoſnam non tantum non eligit, ſed etiam excludit a vita æterna, tanquam a beneficio indebito.* Quo ſenſu poteſt dici reprobatio poſitiva *inadæquata*.

Quæres 5. *Utrum detur reprobatio adæquata?*

Reſp. affirm. Matth. enim 25. Chriſtus, ait: *Diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum.*

Quæres 6. *Quænam ſit cauſa reprobationis poſitivæ?*

Reſpond. Eſt ſolum peccatum a Deo prævisum, ut fides docet contra Calvinum, qui non aliam reprobationis cauſam ſtatuit, præter voluntatem Dei, qui aliquos, pro ſolo ſuo beneplacito, prædeſtinando, alios ad pœnas æternas antecedenter ad eorum demerita prædeſtinavit .... *Prob. reſponſio* ex Script. Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Atqui ſi Deus aliquos, ante omne demeritum, excluderet poſitive a gloria, & pœnis addiceret æternis, faceret mortem, & maxime lætaretur in perditione vivorum; ergo. Hinc Chriſtus, *Matth.* 25. ait: *Diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare,* &c. Et Div. Auguſtin. *lib.* 3. *contra Julian.* dicit: *Non poteſt, Deus, quempiam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt;* ergo dogma Calvini blaſphemat Deum eſſe injuſtum.

Obji-

Objicies: Prov. 16. dicitur: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum;* ergo Deus impium creavit eo fine, ut reprobus eſſet.

Reſp. nego conſeq. Non enim aliter verba allata intelligi debent, quam quod homo, quamvis prævideatur in peccatum lapſurus, atque adeo damnandus, non deſinat tamen a Deo produci, ut inde pateſiat gloria Dei, qui *melius judicavit de malis benefacere; quam nulla mala permittere*, ait D. Aug. in Enchiridio, cap. 27.

Quæres 7. *Utrum peccatum originale praviſum, ſit cauſa reprobationis adultorum baptizatorum*, ut volunt Janſenius & ejus diſcipuli.

Reſp. negative: Nam peccatum originale in hominibus baptizatis fuit per Baptiſma remiſſum, ut Concil. Tridentin. *ſeſſ. 5. can. 5.* definivit his verbis: *Si quis per J. C. gratiam, qua in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, anathema ſit.* Quam definitionem confirmat ex hoc Rom. 8. *Nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu*, id eſt, *qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem*, ut habet Trid.

Reſpondent adverſarii, peccatum originale remitti per Baptiſma quoad culpam, non vero quoad pœnalitates: in baptizatis enim remanent ignorantia & concupiſcentia, quæ moralem quamdam peccandi neceſſitatem inducunt, niſi Deus efficaciter adjuvet. Sed,

Contra eſt: Nam Concil. Trident. definit „ concupiſcentiam *nocere, non conſentientibus* „ *ſed viriliter per J. C. gratiam repugnantibus* „ *non valere*. Item docet, quod baptizati „ *Deo dilecti effecti ſunt, hæredes quidem Dei* „ *cohæredes autem Chriſti, ita ut nihil prorſus* „ *eos ab ingreſſu cæli remoretur*. Atqui ſi concupi-

cupiſcentia eſſet cauſa reprobationis a gloria, plurimum noceret, baptizatus haberet aliquid, quod eum ab ingreſſu Cæli remoraretur; ergo, &c.

Objicies; Div. Auguſtin. Epiſt. 105. ad iſta verba: *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*, dicit: *quid oderat in Eſau, antequam feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum?* Ergo reprobatus eſt propter ſolum peccatum originale.

Reſp. nego conſeq. D. Auguſt. enim non agit ibi de reprobatione a gloria, ſed agit de reprobatione a gratia ſpeciali, ut oſtendat eam non dari propter bona opera naturæ prævisa; quandoquidem Deus uni ſuam largitur gratiam antequam quidquam boni egerit, & alteri denegat antequam quidquam egerit mali; addit enim: *Ubi nunc opera, vel præterita, vel futura tanquam liberi arbitrii viribus impleta, vel implenda? nonne apertam protulit Apoſtolus de gratuitate gratiæ, hoc eſt, veræ gratiæ commendatione, ſententiam?*

Quæres 8. *Utrum detur negativa adultorum reprobatio a gloria tanquam a beneficio indebito, quæ fiat ex ſolo Dei beneplacito, ante prævisum quodcumque peccatum actuale?*

Reſp. Non datur, ſed unica reprobationis adultorum baptizatorum cauſa, ſunt actualia eorum peccata; quia ſincerus affectus homines ſalvandi, ſtare non poteſt cum reprobatione negativa a gloria: nam affectus, qui non tam eſt, quam eſſet futurus, ſi nihil obſtaret, non eſt ſincerus; atqui, juxta adverſarios, affectus Dei erga ſalutem hominum, non tam eſt, quam eſſet, ſi nihil aliud obſtaret: *Voluntas illa antecedens*, inquit Alvarez, diſp. 34. concluſ. 4. *Actum conditionatum importat in Deo, quo vellet ſalutem omnium, niſi ex hoc impedi-*

netur pulchritudo univerſi, & bonum univerſale divinæ juſtitiæ & miſericordiæ. At quomodo hoc conciliari poteſt cum his, *Ezech.* 33. verbis: *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur a via, & vivat?*

Hinc SS. Patres unanimiter rejiciunt reprobationem negativam, cum aſſerant eam fieri ob præviſa peccata actualia: ſic Div. Proſper, *reſponſ. ad* 3. *objectionem Gallorum*, de reprobis dicit: *Ideo prædeſtinati non ſunt quia tales futuri* (nempe mali in fine vitæ *ex voluntaria prævaricatione præſciti ſunt .... eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reverſuri, & in ſanctitate manſuri*.

Objicies: Deus excludit negative, ſeu non eligit hominem ad gloriam, quia eſt illi indebita; ergo ſola Dei voluntas eſt cauſa reprobationis negativæ.

Reſp. nego ant. Quia, poſita miſericordia & ordinatione Dei, qui ſincere vult omnes homines ſalvos fieri, eiſque dat ſufficientia media, quibus ad ſalutem pervenire poſſint: poſita item redemptione per Chriſtum, Deus non poteſt excludere hominem a gloria, præciſe quia eſt beneficium ipſi indebitum; ſed requiritur ex parte hominis peccatum, ſive originale, ſi prævideatur non remittendum, ſive actuale in renatis.

Quæres 9. *Quot ſint effectus reprobationis?*

Reſp. Sunt quatuor, nempe; 1. Eſt permiſſio peccati cum morte conjuncti.... 2. Eſt excæcatio mentis, qua fit ut homo ſe peccare non amplius advertat, ſicque non convertatur, infallibiliterque moriatur impœnitens ... 3. Eſt obduratio cordis, qua fit ut induratus lucentem veritatem rejiciat, & adhortantibus hoc unum reſpondere ſoleat, *non poſſum* ... 4. Eſt pœna tum damni, tum ſenſus.

Quæ-

Quæres. 10. *Quomodo Deus peccatorem indu-net & excæcet?*

Reſpond. Hoc exequitur duobus modis, 1. Cum peccatori denegat auxilia efficacia, per quæ converteretur actu, & non moreretur in peccato . . . . . . 2. Cum permittit peccatorem incidere in tentationes & occaſiones peccandi, quibus videt futurum ut peccata peccatis accumulet: aut etiam illi offert objecta per ſe bona, vel certe non mala, quibus abutitur in ſuam perniciem, ſicut advenit Pharaoni, ut explicat D. Auguſt. *lib. de gratia & libero arbitrio, cap.* 21.

TRACTATUS
TERTIUS.
DE DEO TRINO.

HUjus Tractatus erunt tres Diſſertationes: 1. Erit de Trinitate in genere; 2. De perſonis divinis in particulari; 3. De mutua prædicatione nominum abſolutorum de relativis, & relativorum de abſolutis.

DISSERTATIO I.

De Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis in genere.

HIc agemus 1. De exiſtentia Trinitatis; 2. De modo eam cognoſcendi; 3. De proceſſionibus divinis; 4. De perſonalitatibus &

relationibus divinis; 5. De his, quæ tribus perſonis ſunt communia.

CAPUT PRIMUM.

De exiſtentia Sanctiſſimæ Trinitatis.

Quæres 1. Quid ſit myſterium SS. Trinitatis?

Reſp. Eſt unus Deus in tribus perſonis ſubſiſtens.

Dicitur 1. *Unus Deus*, id eſt, una natura divina, unitate numerica & ſingulari, non vero unitate ſpecifica quæ per ſingulares differentias dividatur & multiplicetur, ut natura humana in Petro, Paulo, Andrea.

Dicitur 2. *In tribus perſonis*, realiter diſtinctis, contra Sabellianos, qui docuerunt, unicam eſſe in Deo perſonam pro diverſis ejus officiis trinominem, qui ideo *Patripaſſiani* dicti ſunt, quia Filius, qui eadem eſt perſona cum Patre paſſus eſt.

Dicitur 3. *Subſiſtens*; contra Socinianos, qui negant Spiritum ſanctum eſſe ſubſiſtentem perſonam, aſſeruntque eum eſſe tantum Dei virtutem & efficaciam.

Quæres 2. *An Trinitas perſonarum in Deo poſſit probari ex veteri Teſtamento?*

Reſp. affirm. Nam, *Geneſ.* 1. dicitur: *Vidit quod eſſet bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* ubi hæc verba, *vidit Deus, & ait*, ponuntur in ſingulari, ut unitas naturæ manifeſtetur; iſta vero, *faciamus, noſtram*, ponuntur in plurali, ut multiplicitas perſonarum demonſtretur: illa enim verba ad quaſdam alias perſonas, a loquente diſtinctas, diriguntur.

Gen. 3. dixit Deus: *Ecce Adam quaſi unus*

ex me-

ex nobis factus eſt, ubi, ſi non eſſent plures perſonæ, ſenſus eſſet, *ecce Adam quaſi unus ex me factus eſt*, quæ locutio inepta eſt & ridicula.

Pſalm. 109. dicitur: *Dixit Dominus Domino meo ... ex utero ante luciferum genui te*, atqui filius realiter diſtinguitur a Patre, Hoc textu uſus eſt Chriſtus, *Matth.* 22. ut probaret ſuam divinitatem.

Quæres 3. *An Trinitas poſſit probari ex novo Teſtamento?*

Reſp. affirm. Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Joann. 14. Chriſtus, ait: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*. Quem locum contra Sabellianos ſic urget D. Athanaſ. *Cum Chriſtus de ſe loquitur, dicit, ego: cum de Patre, dicit, ille; cum de Spiritu ſancto, ſubjungit, alium: nonne igitur manifeſta pertinacia eſt, negare tres?*

1. Joann. 5. v. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt*. Unde omnia fidei ſymbola Trinitatem perſonarum in Deo confitentur.

Objicies 1. Deus in Scripturis dicitur ſolus, Deuter. 32. *Videte quod ego ſim ſolus*. Ergo.

Reſp. diſt. ant. Deus dicitur ſolus, per excluſionem deorum aliorum, *conc.* per excluſionem perſonarum in Deo, *nego ant.* Dicit enim Chriſtus, Joann. 8. *Solus non ſum, ſed ego & qui miſit me*.

Objicies 2. Juxta ſcholæ axioma: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*; atqui perſonæ divinæ ſunt quid idem uni tertio, nempe naturæ divinæ; ergo.

Reſpond. diſt. maj. Quæ ſunt eadem uni tertio incommunicabili & ſingulari, ſunt eadem

inter

inter ſe, *conc.* quæ ſunt eadem uni tertio communi & communicabili, *nego axioma*. Sic quamvis Petrus & Paulus ſint quid idem cum natura humana, non tamen ſunt idem inter ſe, quia natura humana eſt communis & incommunicabilis Petro & Paulo; unde non valet hoc argumentum: *Petrus eſt homo, Paulus eſt homo; ergo Petrus eſt Paulus.*

Objicies 3. cum Socinianis: Spiritus ſanctus non eſt vera perſona per ſe ſubſiſtens; ergo non ſunt tres perſonæ in Deo.

Reſp. nego ant. Nam Scriptura ſacra Spiritui ſancto proprias tribuit actiones, nempe docere. Joann. 14. *Paracletus autem Spiritus ſanctus . . . vos docebit omnia.* Venire, arguere, audire, loqui, accipere, Joann. 16. cum venerit ille, arguet mundum de peccato . . . . . . *Quæcumque audiet loquetur . . . . de meo accipiet.* Atqui actiones perſonam viventem & per ſe ſubſiſtentem denotant, juxta illud effatum, *actiones ſunt ſuppoſitorum*, ergo, &c.

Inſt. 1. Actiones perſonales tribuuntur Spiritui ſancto per figuram proſopopejæ, per quam res, quæ non eſt perſona, inducitur loquens, quaſi eſſet perſona; ergo ex illis actionibus non poteſt erui quod ſit vera perſona ſubſiſtens.

Reſp. nego ant. Quis enim, niſi cæcus ſit, dicat hæc verba, Actor. 10. *Dixit ſpiritus ei* (Petro) *ecce viri tres quærunt te . . . . . vade cum eis nihil dubitans, quia ego miſi illos*, de Spiritu ſancto dici figurate, cum pronomen *ego*, apertiſſime demonſtret perſonam quæ imperat, & mittit?

Inſt. 2. Quando Scriptura de Spiritu ſancto dicit: *Interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, figurate loquitur; ergo, &c.

Reſpond. Retorqueo: quando Scriptura dicit

Chri-

Chriſtum eſſe vitem, oſtium, agnum &c. figurate de Chriſto loquitur; ergo ſemper de Chriſto figurate loquitur. Ergo ex ſubjecta materia, ex antecedentibus & conſequentibus, æſtimandum eſt, an Scriptura figurate loquatur vel non.

Quæres 4. *Quinam negarunt divinitatem perſonarum divinarum?*

Reſpond. Ariani divinitatem Verbi, Macedoniani divinitatem Spiritus ſancti, Sociniani utriuſque divinitatem negarunt.

Quæres 5. *Utrum Filius Dei, ſit verus Deus, Patri conſubſtantialis?*

Reſp. affirmat. Prob. 1. Ex veteri Teſtamento. Iſaiæ 9. *Filius datus eſt nobis . . . & vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi.*

Pſalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo:* ubi hæc particula; *Dixit Dominus*, intelligitur de Deo Patre: & iſta, *Domino meo*, de Deo filio, qui ſecundum naturam divinam tantum, eſt Dominus Davidis, non ſecundum naturam humanam, quam ab ipſo Davide recepit . . . . eodem Pſalmo, Deus Pater dicit Filio: *Ex utero*, id eſt, ex propria mea ſubſtantia, *ante luciferum*, id eſt, ab æterno, *genui te*, nimirum, per veram ac proprie dictam generationem, unde eſt Filius naturalis.

Probat. 2. Ex novo Teſtamento. Matth. 14. cum Caiphas interrogaſſet Jeſum: *Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti?* reſpondit, *ego ſum:* quod Caiphas, cæterique Judæi de filio naturali intellexerunt, alias Caiphas non dixiſſet, *audiſtis blaſphemiam:* nec Judæi clamaſſent, *eum eſſe reum mortis.*

Joann. 1. dicitur: *In principio*, id eſt, ab æterno, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, id eſt, a Deo genitum, *& Deus erat Verbum: omnia per ipſum facta ſunt . . . . & Verbum caro fa-*

factum eſt. Hic Verbum clare & diſtincte appellatur *Deus....* Et c. 10. dixit Chriſtus: *Ego & Pater unum ſumus*, id eſt, una natura divina: in hunc locum S. Aug. ait: *Quod dixit*, unum, *liberat te ab Ario: quod dixit*, ſumus *liberat te a Sabellio. Si*, unum, *ergo non diverſum; ſi*, ſumus, *ergo Pater & Filius....* c. 16. *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt*; atqui Pater habet naturam divinam; ergo.

1. Joann. 5. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit vobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus, hic eſt verus Deus & vita æterna.*

Hinc in Concil. Nicæno I. definitum eſt Filium eſſe *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri.*

Objicies 1. Chriſtus ſic alloquitur Patrem: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum*; ergo ſolus Pater eſt Deus.

Reſp. diſt. conſeq. Solus Pater eſt Deus, per excluſionem falſorum deorum, *conc.* per excluſionem aliarum perſonarum divinarum, *nego conſeq.* Quia quando attributum abſolutum uni perſonæ tanquam ſoli tribuitur, non excluduntur aliæ perſonæ divinæ, ſed ſolum res quæ ſunt naturæ diverſæ a natura divina; ſic quando dicitur: *Nemo novit Patrem, niſi Filius, non excluditur Pater, quia inſeparabiles ſunt*, ait D. Auguſt. *lib. 1. de Trinitate, cap. 6.*

Objicies 2. Nomen, *Deus*, aliis a Deo entibus tribuitur in Scripturis, ut cum Deus Moyſi dixit: *Conſtitui te Deum Pharaonis*; ergo ex hoc quod Verbum dicatur *Deus*, non ſequitur quod ſit vere & realiter Deus, ſed tantum figurate & participative.

Reſp. diſt. antec. Aliis a Deo entibus tribuitur, cum additione, ſeu reſtrictione, *conc.* abſolute

ſolute & ſimpliciter, *nego ant.* Sic cum Moyſes dicitur *Deus*, additur *Pharaonis*. Sed de ſolo Chriſto dicitur quod ſit Deus abſolute.

Objicies 3. Chriſtus, Joann. 10. ut hancce Judæorum opinionem, quod ſe Deo æqualem faceret, amoveret, reſpondit ſeipſum non aliter Deum dixiſſe, aut filium Dei, quam in ſcripturis ii, *ad quos ſermo Dei factus eſt*, dicuntur dii; ergo.

Reſp. nego ant. Nam Chriſtus ibi argumentatur a minori ad majus ſic: ſi judices propter auctoritatem quam a Deo acceperunt, dii appellantur; quanto magis Deus dici debet ille *quem Pater ſanctificavit*, nimirum ſanctitate increata & perſonali. Unde addit: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite*, nam opera mea quæ nemo alius facit, probant me a Patre miſſum, & vera locutum, cum Deus non poſſit miracula edere ad confirmandum mendacium; *operibus* ergo *credite, ut cognoſcatis & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre*, propter identitatem naturæ & conſubſtantialitatem.

Alii textus objiciuntur a Socinianis, ſed facile ſolvuntur.

Luca 18. Chriſtus dicit: *Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi ſolus Deus*. Sed ejuſmodi reſponſio, eſt ad mentem principis illius, qui Chriſtum ut purum hominem habebat.

Eccl. 24. Sapientia, quæ eſt Verbum: dicit: *Ante ſæcula creata ſum*. Sed intelligitur de creatione improprie dicta, nempe de ſimplici productione & generatione, non de eductione rei ex nihilo.

Joann. 1. De verbo dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt*. Sed intelligitur de cauſa efficiente, non de cauſa inſtrumentali: enim particulæ

ab,

ab, *ex*, *&* *per* in ſcripturis idem ſignificant.

Joann. 14. Dicit Chriſtus: *Pater major me eſt*. Sed inde ſequitur tantum quod Chriſtus ſit minor Patre ſecundum humanitatem, non ſecundum divinitatem.

Joann. 5. Chriſtus ait: *Non poſſum ego a me ipſo facere quidquam*; ſed non inde ſequitur, quod non habet æqualem potentiam cum Patre: hoc ergo ideo dicit, quia omnipotentia eſt ipſi a Patre communicata.

Quæres 6. *Utrum divinitas Verbi poſſit probari ex traditione Patrum qui ante Concilium I. Nicænum floruerunt?* Alios enim nobis dimittunt Sociniani.

Reſp. affirm. Nam 1. S. Ignatius Martyr Epiſt. ad Tarſenſes, redarguens eos qui de Chriſto dicebant: *Quoniam nudus homo eſt*, ait: *Qualiter autem nudus homo audiret: ſede a dextris meis? qualiter autem & diceret*, priuſquam Abraham fieret, ego ſum, &c.

2. S. Martialis, Petri Comes, in 1. ad Burdigalenſem Epiſt. cap. 2. ait: *Chriſtus mori potuit, quia homo fuit. Filius Dei ante principium fuit: Et quia Deus erat, diu teneri in morte non potuit. Reſurrexit enim ante lucem tertia die, de loco ubi eum ſepeliri vidimus, & apparuit nobis.*

3. D. Dionyſius Areopagita, lib. de divinis nominibus, cap. 2. dicit: *Sacra Scriptura tradunt ipſummet Deum, ſe deſignando, dixiſſe: Quid me interrogas de bono, nemo bonus niſi ſolus Deus*. Porro Deus qui ſic ſe deſignavit, eſt Deus Filius: *etenim* addit D. Dionyſ. *Et verbum ipſum, quod natura bonum eſt*, ait: ego bonus ſum.

4. S. Juſtinus, Apologia 2. pro Chriſtianis, de Chriſto dicit: *Qui quod Verbum & primogenitus Dei ſit, Deus etiam eſt.*

5. S. Theo-

5. S. Theophylus VI. Patriarcha Antiochenus, lib. 1. Commentariorum in Evangelia, dicit: *Obtulerunt ei* (Chriſto) Magi munera, aurum ut Regi, thus ut Deo, myrrham ut homini ad ſepulturam.

6. Dionyſ. Alexandrinus, Epiſt. contra Paulum Samoſatenſem, ait: *Unus eſt Chriſtus qui eſt in Patre, coæternum Verbum, una ejus perſona, Deus inviſibilis, & viſibilis factus.*

6. Euſebius Pamphilus, Cæſareæ Epiſcopus, lib. 2. de fide, ait: *Gentiles non ſumus, quia non dicimus Deos. Judæi non ſumus, quia & Chriſtum Deum confitemur.*

Hinc Concil. Nicænum I. definivit, Filium Dei eſſe, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, &c.*

Objicies 1. D. Ignatius, Epiſt. ad Tarſenſes, de Filio, dicit: *Non ipſe eſt, qui ſuper omnia Deus Pater, ſed Filius ejus . . .*

Reſpond. Quod per hæc verba vult tantum Filium non eſſe fontem totius divinitatis.

Objicies 2. D. Juſtinus, Dialogo cum Triphone, aſſerit 1. Deum Patrem *eſſe Filio ut cauſam . . .* 2. Filium eſſe *adminiſtrum Dei Creatoris*. 3. Chriſtianos *in ſecundo loco habentes* (Filium Dei) *cum ratione venerari*. Ergo.

Reſp. ad 1. Quod Juſtinus nomine cauſæ, intellexit *principium* . . . ad 2. dico quod Filius dicatur Patris miniſter improprie, quatenus & eſſe, & operandi virtutem accepit a Patre ſine dependentia ab illo . . . ad 3. Filius dicitur ſecundo loco haberi ratione originis, quia eſt ſecunda perſona, non vero ratione naturæ & dignitatis.

Objicies 3. D. Irenæus, lib. 3. adverſus hæreſes cap. 8. dicit Deum Patrem *præcepiſſe Verbo per quod cæli firmati ſunt*. Ergo.

Reſp.

Reſp. Præcepit improprie, hoc ſenſu, quod Pater voluit mundum fieri per Verbum, hoc eſt, voluntate Verbi a Patre accepta & utrique communi. Porro illud præceptum non arguit inferioritatem in Verbo.

Objicies 4. Clemens Alexand. lib. 1. Stromatum, dicit: *Beneficentiſſima eſt natura Filii, quæ ſoli omnipotenti propinquiſſima eſt.* Et lib. 5. dicit Verbum eſſe *ſapientiam primo creatam.*

Reſp. ad 1. Quod *natura* ſumatur pro *perſona*, ut frequenter uſurpatur apud veteres . . . *ad* 2. Verbum *primo creata*, ſumitur pro Verbo, *primo genita*, eſt autem primo genita, quia prior eſt origine perſona Spiritus ſancti.

Objicies 5. Origenes, lib. 8. contra Celſum, dicit 1. Verbum non eſſe univerſorum Deum. 2. Contendit Filium, ut Filius eſt, eſſe minorem Patre, juxta illud Chriſti: Pater major me eſt.

Reſp. ad 1. Veteres per hæc Verba, *univerſorum Deum*, ſolam perſonam Patris, per appropriationem, intellexiſſe . . . *ad* 2. Filius, qua Filius, dicitur minor Patre, ratione originis, quia ab eo recipit eſſe, unde Pater dicitur fons totius divinitatis; ſed non eſt minor ratione eſſentiæ: ita hunc textum: *Pater major me eſt*: interpretatur D. Athanaſ. Orat. 2. contra Arianos.

Objicies 6. Tertullianus 1. docet, lib. contra Hermogenem, cap. 3. Deum non fuiſſe ſemper Patrem: *Non tamen ideo Pater ſemper, quia Deus ſemper*, inquit . . . . 2. lib. contra Praxeam, dicit: *Pater tota ſubſtantia eſt, Filius vero derivatio totius & portio, ſicut ipſe profitetur: Pater major me eſt* . . . 3. Ibidem dicit: *Deum Filium agnoſco, ſecundum a Patre defendo.*

Reſp. ad 1. Quod Tertull. loquatur de paterni-

ternitate eſſentiali, quæ reſpicit productionem creaturarum, eſtque tribus perſonis communis; non vero de paternitate notionali quæ eſt ad filium naturalem . . . *ad* 2. Quod intelligi debeat ſecundum imperfectum noſtrum concipiendi modum, non vero realiter: ſic enim loquitur Tertull. ut oſtendat Filium eſſe a patre per generationem, ut inde concludat contra Praxeam, eum a Patre diſtingui perſona & hypoſtaſi . . . . . *ad* 3. *diſt.* Ratione originis, *conc.* ratione naturæ, *nego*.

Quæres 7. *Utrum Spiritus ſanctus ſit verus Deus, Patri, Filioque conſubſtantialis?*

Reſp. affirmat. Nam 1. in Scriptura vocatur Deus, Act. 5. D. Petrus ſic Ananiam alloquitur: *Anania, cur tentavit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto . . . non es mentitus hominibus, ſed Deo* . . . 2. Spiritui ſancto tribuuntur omnes perfectiones quæ ſoli Deo ſunt propriæ, nempe, immenſitas, Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Omniſcientia 1. Corinth. 2. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*. Aſſociatio cum Patre & Filio in omnibus operibus ad extra, Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*.

Unde Tertull. *lib. adverſus Praxeam, c.* 13. ait: *Pater eſt Deus, Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus*. Et Concil. Conſtantinopolit. I. definivit: *Credimus Spiritum ſanctum, Dominum & vivificantem . . . cum Patre & Filio adorandum & glorificandum, qui locutus eſt per Prophetas*. Ergo eſt Patri & Filio conſubſtantialis.

Objicies 1. Plura in Scripturis de Spiritu ſancto leguntur quæ Deo vero convenire nequeunt; ut Rom. 8. dicitur poſtulare & gemere. Epheſ. 4. dicitur contriſtari. 1. Theſſal. 5. dicitur extingui.

Reſp. 1. Dicitur poſtulare & gemere, quia nos poſtulare facit, & coram Deo gemere... 2. Dicitur contriſtari, quia improbat quod male gerunt homines .... 3. Dicitur extingui, non ratione ſui, ſed ratione gratiarum, quas homo extinguit, vel non utendo, vel abutendo.

Objicies 8. Chriſtus de Spiritu ſancto loquens, ait: *Non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur.* Ergo, &c.

Reſp. diſting. antec. Quæcumque audiet, procedendo, loquetur; *conc.* quæcumque audiet, diſcendo, *nego ant.* Spiritus ſanctus per ſuam proceſſionem, accipiendo naturam divinam, recipit etiam omnium rerum cognitionem; quæ cum ipſa identificatur.

CAPUT II.

De modo cognoſcendi SS. Trinitatem.

Quæres 1. UTrum myſterium SS. Trinitatis poſſit ratione naturali demonſtrari?

Reſp. negat. Ait enim Chriſtus, Matth. 11. *Nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Ergo myſterium SS. Trinitatis ſola revelatione cognoſci poteſt. Et ratio eſt, quia omnis demonſtratio vel fit a priori, ſeu per cauſas; vel a poſteriori, ſeu per effectus; atqui myſterium SS. Trinitatis non poteſt demonſtrari a priori, cum Deus nullam ſui cauſam habeat; neque etiam a poſteriori, quia creaturæ non dependent a Deo quatenus trinus eſt; ſed quatenus eſt in natura: prodeunt enim ab omnipotentia, quæ, cum ſit toti Trinitati communis, arguit unitatem naturæ, non diſtinctionem perſonarum; ergo.

Objicies 1. Antiqui Philoſophi, Plato, Ariſtoteles, Triſmegiſtus, immo & Sybillæ, myſterium Trinitatis agnovere; ergo, &c.

Reſp. Dato, non conceſſo, antecedente, *nego conſeq.* Nam ſi Philoſophi gentiles aliquam de hoc myſterio notitiam habuerunt, illam habuerunt vel per revelationem ipſis immediate factam, ut de Sybillis tradunt DD. Auguſtin. & Hieron. vel ex lectione librorum Moyſis & Prophetarum.

Objicies 2. Certiſſimum eſt 1. Deum eſſe intelligentem & volentem. 2. Omne intelligens & volens terminum utriuſque actionis producere. 3. Producens & productum diſtingui realiter. 4. Hunc duplicem terminum debere eſſe ſubſtantiam in Deo, qui nihil accidentale poteſt in ſe admittere. 5. Hos terminos naturam divinam, & quidem individuam participare, quia multiplex non poteſt eſſe natura divina, & quidquid in Deo eſt, neceſſario Deus eſt.

Reſp. Hanc probationem non eſſe demonſtrationem, nam mens humana, ſibi relicta, cognoſcere minime poteſt actionem intellectus & voluntatis in Deo eſſe productivam; qualis enim illius erit terminus? an aliquod accidens? at in Deo, utpote ente perfectiſſimo, nullum eſſe poteſt. An ſubſtantia? minime; alias, cum, juxta leges naturæ, omne productum, ſubſtantia diſtinguatur a producente, tot eſſent naturæ divinæ, quot perſonæ producentes & productæ; ergo eſſent plures dii, quod lumini naturali repugnat; ergo gentilis concludet potius Deum, intelligendo & volendo, nullum producere terminum ſubſtantialem & perſonalem; immo oſtendet talem terminum non eſſe neceſſarium, quia, fatentibus Theologis, Filius & Spiritus ſanctus intelli-

telligunt & volunt, nec tamen producunt terminum.

Quæres 2. *Utrum, ſuppoſita fide hujus myſterii, poſſit variis exemplis illuſtrari?*

Reſpond. Exemplis illuſtrari poteſt, ſed imperfectis: illuſtratur enim & probabile ſuadetur exemplo mentis humanæ, quæ licet realiter una, tribus tamen pollet facultatibus, ſcilicet, intellectu, voluntate, & memoria, quæ relative diſtinguuntur.

CAPUT III.

De proceſſionibus divinis.

Quæres 1. **Q**Uid ſit proceſſio?

Reſp. Eſt emanatio, ſeu origo unius ab alio. Alia eſt *immanens*, cujus terminus manet intra ſuum principium. Alia *tranſiens*, cujus terminus extra ſuum principium exit; ſic in humanis, filius a patre productus.

Quæres 2. *Quotuplex ſit proceſſio immanens?*

Reſp. Duplex, nempe, *phyſica*, qua unum ab alio procedit actione quadam phyſica, quæ includit mutationem, dependentiam, & diverſitatem naturæ in eo quod ab alio procedit: talis eſt noſtra intellectio à qua verbum mentale, quod eſt accidens, procedit. Et *metaphyſica*, qua unum ab alio procedit tanquam à mero principio, ſecluſa omni imperfectione mutationis, dependentiæ, ac diverſitatis naturæ, remanentibus ſolum iſtis duobus reſpectibus, *à quo alius*; &, *qui ab alio*; inter principium, & id quod oritur à principio.

Quæres 3. *Utrum ſit in Deo vera proceſſio metaphyſica?*

Reſp. affirm. Probaturque ex Script. *Joann.* 8. Chriſtus de ſeipſo dicit: *Ego ex Deo proceſſi.*

Et de Spiritu ſancto, *Joann.* 15. dicit: *Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Hinc Concil. Nicænum I. definivit, Filium eſſe, *Deum de Deo;* & Conſtantinopol. I. definivit, *Spiritum ſanctum ex Patre procedere*.

Objicies 1. Si Filius & Spiritus ſanctus procederent, penderent a ſuo principio; atqui, &c.

Reſp. diſt. maj. Si procederent in tempore & libere, *conc.* ſi procederent ab æterno & neceſſario, *nego maj.*

Inſt. Perſona producens prior eſt perſona producta; ergo procedit in tempore.

Reſpond. diſt. ant. Prior eſt prioritate originis, *conc.* prioritate temporis & naturæ, *nego*. Porro prioritas originis nullam importat imperfectionem.

Objicies 2. Si ſit in Deo proceſſio, erit in Deo mutatio interna: Pater quippe tranſibit a ſtatu non producentis, ad ſtatum producentis; atqui, &c.

Reſp. nego major. Nam, ſicut ait D. Auguſt. *Semper gignit Pater, & ſemper naſcitur Filius;* ergo producit Pater, & producitur Filius, abſque ulla ſui mutatione.

Quæres 4. *Quot ſint in Deo proceſſiones?*

Reſp. Sunt duæ, nec plures, nec pauciores; quia in Deo ſunt tantum duo modi operandi ad intra, qui in ſuo quique genere exhauriuntur productione unius perſonæ infinitæ, nimirum unus per intellectum, quo producitur Verbum divinum; & alter per voluntatem, quo producitur Spiritus ſanctus; ergo.

Objicies 1. In Deo proceſſio eſt infinita; ergo eſt unica.

Reſp. diſt. ant. Eſt infinita, in ſuo genere, *conc.* in omni genere, *nego*. Sic proceſſio per intellectum, eſt infinita in genere intellectionis,

nis, & ſic unicum eſt Verbum. Similiter proceſſio per voluntatem, eſt infinita in genere volitionis, ſed nulla eſt in Deo proceſſio infinita in omni genere.

Objicies 2. Filius & Spiritus ſanctus eundem intellectum, eandemque cum Patre recipiunt voluntatem; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Eundem intellectum, eandemque recipiunt voluntatem eſſentialem, *conc.* notionalem, *nego ant.* Intellectus & voluntas eſſentiales, ſunt intelligendi & volendi facultates, quæ, ſic præciſe, ſunt infœcundæ. Intellectus & voluntas notionales, ſunt intelligendi & volendi facultates, quatenus habent adjunctas relationes paternitatis & ſpirationis activæ, quæ, ut ſic ſunt fœcundæ; porro nec Filius recipit a Patre intellectum notionalem, nec Spiritus ſanctus recipit a Patre & Filio voluntatem notionalem, quia hæ ſunt exhauſtæ per eorum productionem.

Quæres 5. *Quid ſit principium divinarum proceſſionum?*

Reſp. Eſt id, a quo divinæ perſonæ oriuntur.

Quæres 6. *Quotuplex eſt principium divinarum proceſſionum?*

Reſp. Triplex, nempe, principium *quod*, & principium *quo*, tum proximum, tum remotum... Principium *quod*, ſeu, denominationis, eſt perſona producens... principium *quo*, remotum, eſt id per quod perſona *mediate* tantum operatur; ſeu eſt radix & prima ratio, qua virtus immediate operativa convenit perſonæ producenti... principium *quo*, proximum, eſt virtus per quam peſona *immodiate* operatur.

Quæres 7. *Quodnam eſt principium divinarum proceſſionum?*

Reſp. 1. Principium *quod*, eſt perſona Patris, reſpectu Filii, & perſonæ Patris & Filii, reſpectu Spiritus ſancti.

Reſp. 2. Principium *quo remotum*, eſt natura divina, quia principium *quo proximum*, intellectio nimirum & volitio notionales, in natura divina, tanquam in radice, continentur.

Reſp. 3. Principium *quo proximum*, ſunt intellectus & voluntas notionales, ſeu intellectus & voluntas prout connotant relationes paternitatis & ſpirationis activæ; quia ſunt virtus, per quam Pater, vel Pater & Filius immediate operantur: nimirum intellectione notionali Pater immediate producit Filium; volitione vero, Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum.

Objicies 1. Principium *quo* proximum, non debet eſſe commune omnibus perſonis; alioquin omnes & ſingulæ producerent; atqui intellectus & voluntas ſunt communes omnibus perſonis; ergo, &c.

Reſp. diſt. min. Intellectus & voluntas eſſentiales ſunt communes, *conc.* notionales, *nego min.*

Objicies 2. *cum Durando*: Natura divina eſt principium *quo* proximum proceſſionum; ergo.

Reſpond. nego ant. Repugnat enim huic recepto in Scholis effato, ac in Conc. Later. ſub Innoc. III. confirmato: *Natura nec producit, nec producitur;* unde opinio Durandi ab omnibus ut temeraria rejicitur.

Inſt. SS. Patres dicunt cum D. Aug. lib. 15. de Trinit. *cap.* 20. *Verbum eſſe Filium natura.* Ergo natura eſt principium *quo* proximum proceſſionum.

Reſp. nego conſeq. Quia SS. Patres per verbum, *natura*, non ſignificant principium generationis, ſed modum generationis, ut illo termino demonſtrarent adverſus Arianos proceſſionem Filii non eſſe liberam, ſed natura-

lem,

lem & neceſſariam, proindeque Verbum eſſe Filium Dei naturalem.

Objicies 3. Sola relatio non eſt cæteris perſonis communis; ergo ſola relatio eſt principium *quo* proximum proceſſionis.

Reſp. nego antec. Nam intellectus rationalis, quatenus nimirum adjunctam habet relationem originis, eſt Patri ſingularis, & principium proximum *quo*, generationis.

Quæres 3. *Quomodo vocatur proceſſio Verbi a Patre?*

Reſp. Vocatur generatio, juxta illud Scripturæ de Verbo loquentis: *Generationem ejus quis enarrabit:* & illud Symboli Nicæni, *Genitum, non factum.* Ratio eſt, quia Verbo convenit veræ generationis ratio; nam, generatio definitur, *Origo viventis a vivente, principio conjuncto, in ſimilitudinem naturæ, vi proceſſionis formaliter.* Atqui proceſſio Verbi, 1. Eſt origo viventis a vivente, Joann. 5. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic & dedit Filio habere vitam in ſemetipſo . . .* 2. Eſt a principio conjuncto, non quidem per partitionem ſui eſſe, ut fit in creatis, ſed per totius naturæ communicationem . . . . 3. Eſt in ſimilitudinem naturæ, & quidem vi proceſſionis formaliter, quia procedit per intellectum, qui tendit in verbum, ſeu ſpeciem expreſſam, quæ eſt objecti repræſentatio, accidentalis in creatis, ſed ſubſtantialis in Deo; unde intellectus creatus producit ſolum imaginem accidentalem: at vero intellectus divinus, utpote perfectiſſimus, neceſſario producit ſubſtantialem Dei imaginem, proindeque Filium conſubſtantialem.

Quæres 9. *Quænam ſit ſpecialis ratio propter quam proceſſio verbi dicatur generatio, ac proinde Verbum dicatur Filius?*

Reſp. Eſt, quod Verbum a Patre procedat

per intellectum, qui præciſe quatenus eſt intellectus perfectiſſimus, vim habet producendi terminum ſimilem in natura: nam omnis intellectus ex propria ſua virtute tendit ad producendum terminum ſimilem objecto cognito, & quidem tanto perfectiori ſimilitudine, quanto perfectior eſt; atqui intellectus Patris æterni eſt perfectiſſimus; ergo debet producere terminum ſibi ſimilem ſimilitudine perfectiſſima; atqui ſimilitudo perfectiſſima eſt ſimilitudo in natura; ergo, &c.

Quæres 10. *Quænam ſit ſpecialis ratio propter quam proceſſio Spiritus ſancti non dicatur generatio?*

Reſp. Eſt, quod Spiritus ſanctus, vi actionis per quam producitur, non recipiat eſſe ſimile Patri & Filio, a quibus procedit: ſcilicet procedit ab utroque per actum voluntatis, & eſt terminus amoris divini; atqui terminus amoris divini non eſt principio ſuo ſimilis in natura vi proceſſionis ſuæ formaliter, nam actus voluntatis per ſe non eſt ſimilitudo, ſed tantum pondus aliquod, & impulſus in rem amatam; ergo terminus amoris divini non eſt principio ſuo ſimilis in natura vi proceſſionis ſuæ formaliter; ergo non eſt Filius.

Objicies 1. Spiritus ſanctus eſt perfecte ſimilis ſuo principio; ergo procedit per generationem.

Reſp. diſt. antec. Eſt ſimilis ſuo principio, realiter & identice, *conc.* vi proceſſionis ſuæ formaliter, *nego antec.* Quod Spiritus ſanctus ſit Patri, & Filio perfecte ſimilis, id tantum habet ex eo quod natura divina identificetur amori per quem procedit.

Inſt. Spiritus ſanctus procedit formaliter ut Deus; ergo perfecte ſimilis eſt Patri & Filio vi proceſſionis ſuæ.

Reſp. nego ant. Nam Spiritus ſanctus proce-

dit

dit tantum ut impulſus Patris & Filii, qui licet a parte rei ſit Deus propter ſui cum divinitate identitatem, tamen ſub ratione qua eſt impulſus, non eſt Deus, quia non procedit per actionem quæ per ſe & immediate naturam divinam communicet.

Objicies 2. Voluntas reduplicative ut eſt voluntas perfectiſſima, producit unionem perfectiſſimam objecti amati cum principio amante; atqui unio perfectiſſima, eſt unio in natura; ergo voluntas perfectiſſima producit unionem in natura.

Reſp. nego min. Nam voluntas, prout remanet in linea voluntatis, non ad aliam tendit unionem, quam ad unionem per affectum, quæ conſequenter nunquam poteſt per ſe pertingere ad efficiendam unionem identicam, hoc eſt, ad efficiendum unum identice ex principio amante & objecto amato.

Quæres 11. *Ex quarum rerum cognitione procedat Verbum?*

Reſp. Procedit eſſentialiter & neceſſario ex cognitione non ſolum eſſentiæ divinæ & attributorum abſolutorum; ut omnes fatentur, ſed etiam ex cognitione trium perſonarum & creaturarum poſſibilium. Nam procedit neceſſario ex cognitione comprehenſiva eſſentiæ divinæ; atqui cognitio comprehenſiva eſſentiæ divinæ, eſt ipſamet cognitio attributorum divinorum, perſonarum divinarum & creaturarum poſſibilium, quæ cum natura divina identificantur; ergo, &c.

Objicies: Cognitio, ex qua Verbum procedit, Verbo producto prior eſt: item productio Verbi prior eſt productione Spiritus ſancti; ergo Verbum non poteſt produci ex cognitione ſui ipſius & Spiritus ſancti.

Reſp. diſt. ant. Prior eſt prioritate originis,

conc. prioritate temporis, *nego ant.* Cum ergo, in quocumque inſtanti reali ſimul extiterint Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, nulla eſt contradictio, quod Verbum producatur ex cognitione trium perſonarum.

Inſtab. Verbum eſt imago illius objecti, ex cujus cognitione procedit; atqui non eſt imago ſui ipſius & Spiritus ſancti; ergo, &c.

Reſpond. diſt. maj. Eſt imago objecti ex cujus cognitione procedit, repræſentativa, *conc.* naturalis, *nego maj.* Ad imaginem repræſentativam ſufficit ut procedat objective ex re cognita; ſed ad imaginem naturalem requiritur, ut procedat active & productive: porro cum Verbum non producatur a cognitione ſui ipſius & Spiritus ſancti, niſi objective, id eſt, quatenus ſunt objectum paternæ cognitionis, conſequens eſt, ut non ſit eorum imago naturalis, ſed ſolius Patris, a quo ſolo active procedit.

Quæres 12. *Utrum Verbum procedat etiam ex cognitione omnium creaturarum in aliqua temporis differentia exiſtentium?*

Reſp. Procedit, non quidem neceſſario & eſſentialiter, quia, cum ſit ſumme neceſſarium, non procedit neceſſario & eſſentialiter, niſi ex cognitione abſolute neceſſaria; ſed ex earum cognitione procedit concomitanter & quaſi conſequenter: quia Verbum procedit ex cognitione omnium rerum quas repræſentat; atqui res omnes in aliqua temporis differentia exiſtentes repræſentat; ergo, &c.

Objicies: Licet nulla foret creatura præterita, præſens, aut futura, Verbum ſemper eſſet idem Verbum; ergo non procedit ex earum cognitione.

Reſpond. diſt. antec. Eſſet ſemper idem Verbum, quoad ſe, *conc.* quoad repræſentationem, con-

concomitantem & quaſi conſequentem, *negant*. Si enim nullæ eſſent creaturæ, nullas utique Verbum repræſentaret.

Quæres 13. *Utrum Spiritus ſanctus procedat a Patre & Filio?*

Reſp. De fide eſt ab utroque procedere. Ita enim definitum eſt in Concil. Gener. Lat. IV. Lugdunenſi II. & Florentino in definitione fidei, quæ anno 1439. ſolemniter promulgata eſt; probantibus etiam Græcis, qui a doctrina catholica poſtmodum receſſere, negantque pertinaciter Spiritum ſanctum a Filio procedere, contra quos.

Prob. 1. *Ex Script.* ad Galat. 4. dicitur, *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra*. Joann. 16. *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos .... ille,* Spiritus ſanctus, *me clarificabit, quia de meo accipiet*. Atqui Spiritus ſanctus, non dicitur Spiritus Filii, non dicitur mitti a Filio, non dicitur accipere a Filio, niſi quia a Filio procedit; ergo, &c.

Prob. 2. *Ex tradit. PP.* Græcorum, S. Martialis, *Epiſt. ad Burdigalenſes*, ait: *Spiritus Domini ... procedens eſt a Patre & Verbo*. S. Athanaſius in Symbolo: *Spiritus ſanctus a Patre & Filio ... procedens*. S. Chryſoſtomus Homil. 2. in Symbolum: *In Spiritum ſanctum credimus, qui procedens de Patre & Filio, charitate conjungitur*. S. Cyrillus in theſauro: *Cum Spiritus ſanctus ... procedat a Patre & Filio, manifeſtum eſt ex divina eſſentia ipſum eſſe*.

Objicies 1. Patres Græci paſſim ſcribunt Spiritum ſanctum ex Patre *per* Filium procedere; ergo non crediderunt eum ex Filio procedere.

Reſp. nego conſeq. Nam PP. Græci per particulas, *ex*, &, *per*, idem ſignificant, uſu tar-

men receptum fuit apud ipſos, ut particula, *ex*, uterentur ad deſignandum principium ſine principio, & particula, *per*, ad deſignandum principium ex principio.

Objicies 2. Concil. Conſtantinopol. I. Symbolo Nicæno addidit hæc verba: *Qui a Patre procedit*, nulla facta mentione Filii; ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Ideo enim Concil. Conſtantinopol. non adjecit particulam: *Filioque*, non quod Spiritus ſanctus non procederet a Filio, ſed quia agebat tantum contra Macedonium & Eunomium, qui aſſerebant Spiritum ſanctum a ſolo Filio procedere, eumque creaturam eſſe; & ideo ſatis fuit Concilio definire Spiritum ſanctum procedere a Patre, non negando, ſed ſupponendo eum procedere etiam a Filio.

Objicies 3. Si Spiritus ſanctus a Patre Filioque procederet, eſſent duo principia Spiritus ſancti; falſum conſeq. ergo.

Reſpond. nego conſeq. Quia ad multiplicitatem principiorum, non ſufficit multiplicitas ſuppoſitorum, ſed inſuper requiritur multiplicitas virtutis ſpirativæ; atqui in Patre & Filio una eademque eſt virtus ſpirativa, cum ei ſit unica eademque voluntas; ergo, &c.

Quæres 14. *Utrum particula*, Filioque, *jure ac rationabiliter a Concilio Lugdunenſi II. addita fuerit Symbolo Nicæno?*

Reſpond. affirm. Quia 1. id definierunt Patres Florentini: *Definimus*, inquiunt, *explicationem illorum verborum*, Filioque, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licite & rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam* .... 2. Quia Eccleſia habet jus novam particulam Symbolo addendi, quoties id neceſſarium judicaverit ad fidem catholicam, contra inſurgentes hæreſes, clarius explicandam .... 3. Quia

par-

particulà, *Filioque*, in Symbolo jam continebatur in hac voce: *Qui ex Patre procedit:* non enim poteſt a patre procedere, quin procedat etiam a Filio, qui eandem cum Patre habet vim ſpirandi.

Objicies: Concil. Epheſinum expreſſe prohibuit ne quis alteram a Nicæna formulam proferret aut conſcriberet; ſed qui Symbolo addit particulam, *Filioque*, alteram fidem profert, &c.

Reſp. nego min. Nam ille ſolus alteram fidem profert, qui Symbolo addit aliquid fidei Nicænæ contrarium, quod non facit qui Symbolo addit particulam, *Filioque*, quæ eſt fidei Nicænæ expoſitio & explicatio.

Quæres 15, *Utrum Spiritus ſanctus a Filio diſtingueretur, ſi per impoſſibile ab eo non procederet?*

Reſp. Non diſtingueretur realiter, quia non eſſet fundamentum diſtinctioni: nam ſola proceſſio unius perſonæ ab alia, eſt diſtinctionis fundamentum, juxta effatum D. Anſelmi, *omnia in divinis ſunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppoſitio;* atqui ſi Spiritus ſanctus non procederet a Filio, nulla inter ipſum & Filium eſſet relationis oppoſitio; ergo, &c.

Objicies: 1. Quamvis Spiritus ſanctus non procederet a Filio, duæ adhuc eſſent proceſſiones, una per intellectum, altera per voluntatem; ergo in illa hypotheſi Spiritus ſanctus adhuc diſtingueretur a Filio.

Reſp. diſt. ant. Duæ eſſent proceſſiones, ſecundum rationem diſtinctæ, *conced.* realiter diſtinctæ, *nego antec.* Nam in illa hypotheſi unica realiter proceſſio foret, & una perſona producta, quæ ſecundum quod per intellectum procederet, Filius; ſecundum quod per voluntatem, Spiritus ſanctus diceretur.

Inſt.

Inſt. Saltem illæ duæ proceſſiones eſſent oppoſitæ diſparate, neque enim una eſſet altera; atqui oppoſitio diſparata ſufficit ad fundandam realem perſonarum diſtinctionem; ergo.

Reſp. nego min. Nam ad diſtinctionem perſonarum realem, requiritur oppoſitio relativa originis, ut patet in Patre, in quo paternitas, & ſpiratio activa opponuntur diſparate, nec tamen realiter diſtinguuntur in Patre.

Objicies 2. Filiatio & ſpiratio paſſiva diſtinguuntur realiter; atqui inter utrumque eſt oppoſitio diſparata tantum; ergo, &c.

Reſpond. nego min. Nam eſt oppoſitio relativa ratione ſpirationis activæ, quæ tam exigit eſſe in Filio, quam in Patre, quatenus eſt amor mutuus Patris & Filii, cujus amoris terminus, eſt Spiritus ſanctus.

CAPUT IV.

De perſonalitatibus & relationibus divinis.

Quæres 1. QUid *ſit perſona?*

Reſp. Eſt, *ſubſtantia intellectualis, per ſe perfecte ſubſiſtens, & ultimo completa.*

Dicitur 1. *Subſtantia intellectualis:* quia accidens, cum ſit ens alteri inhærens, non eſt perſona, ſicut nec ens irrationale, quod ſolum dicitur: *Hypoſtaſis, ſubſiſtentia, &, ſuppoſitum.*

Dicitur 2. *Per ſe perfecte ſubſiſtens*, id eſt, quod non communicetur alteri, tanquam ſuppoſito, ita ut, nec in eſſe, nec in operari ab alio dependeat. Hinc humanitas Chriſti non eſt perſona, quia unitur Verbo divino tanquam ſuppoſito, a quo dependet in eſſe & in operari.

Dici-

Dicitur 3. *Ultimo completa*, id eſt, quod non ordinetur ad aliud, ut cum illo conſtituat totum; hinc nec manus, nec anima rationalis; ſunt perſonæ.

Quæres 2. *Quid ſit perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia?*

Reſp. Eſt, *forma*, ſeu, *modificatio naturæ intellectualis, per quam natura conſtituitur per ſe perfecte ſubſiſtens, & ultimo completa.*

Quæres 3. *Quot ſunt ſubſiſtentiæ in Deo?*

Reſp. Sunt tres relativæ; nam in Deo ſunt tres perſonæ, ut fides docet; ergo & tres ſubſiſtentiæ relativæ, nimirum, paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiva.

Quæres 4. *Utrum præter tres ſubſiſtentias relativas, quarta admittenda ſit, communis & abſoluta?*

Reſp. negat. Quia effectus formalis ſubſiſtentiæ, eſt conſtituere veram perſonam; ergo ſi eſſet in Deo ſubſiſtentia abſoluta & communis, eſſent in Deo quatuor perſonæ, quod fidei catholicæ repugnat. Præterea illa ſubſiſtentia vel eſſet communicabilis alteri, vel non: *ſi primum*, non eſſet perſona; *ſi ſecundum*, eſſet in Deo unico ſubſiſtentia, & conſequenter unica perſona, quod repugnat fidei catholicæ.

Objicies. 1. Deus, præciſis relationibus, eſt per ſe ſubſiſtens; atqui non eſt per ſe ſubſiſtens ſubſiſtentia relativa; ergo ſubſiſtentia abſoluta.

Reſpond. diſt. ant. Et per ſe ſubſiſtens, quatenus to *per ſe ſubſiſtens*, opponitur accidenti, *conced.* quatenus dicit naturam ultimo terminatam, *nego antec.* porro hoc ultimo ſenſu accipimus nomen *ſubſiſtentiæ*.

Objicies 2. Subſiſtentia abſoluta, eſt perfectio; ergo Deo tribuenda.

Reſpond. diſt. antec. Eſt perfectio non excludens imperfectionem, *conc.* omnem imperfectio-

ctionem excludens, *nego ant.* Itaque ſubſiſtentia abſoluta redderet naturam divinam incommunicabilem, unde in Deo eſſet unica perſona, quod eſt maxime imperfectum.

Quæres 5. *Quid ſit relatio originis?*

Reſpond. Eſt, *Ordo*, ſeu, *reſpectus unius perſonæ divinæ ad alteram*. Poteſt ſpectari ſecundum *eſſe in*, id eſt, prout afficit ſubjectum in quo eſt; & ſecundum *eſſe ad*, id eſt, prout reſpicit terminum ad quem refertur.

Quæres 6. *Quot ſint in Deo relationes?*

Reſpond. Sunt quatuor nempe paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva: quia ſingulis proceſſionibus duæ reſpondent relationes, una producentis ad productum, altera producti ad producentem: atqui duæ ſunt in Deo proceſſiones; ergo.

Quæres 7. *Utrum relationes originis ſint reales?*

Reſp. affirm. Nam 1. fundantur in reali origine unius perſonæ ab alia. 2. Per eas perſonæ ab invicem realiter diſtinguuntur; atqui diſtinctionis realis fundamentum, reale eſt; ergo, 3. In Deo exiſtunt abſque mentis opera, & nemine cogitante; ergo.

— *Objicies:* Relatio realis dicit dependentiam unius ab altero; ergo in Deo nulla eſt relatio realis.

Reſp. diſt. ant. Dicit dependentiam improprie dictam & connexionis, *conc.* proprie dictam & cauſalem, *nego ant.* Itaque relationes divinæ efficiunt quidem, ut perſonæ habeant connexionem cognitionis & exiſtentiæ: correlata enim ſunt ſimul natura & cognitione; cum non poſſit eſſe & cognoſci Pater, quin ſit, & cognoſcatur Filius; ſed non efficiunt ut perſonæ a ſe invicem pendeant tanquam effectus a cauſa, quia per illas natura non producitur, ſed communicatur.

Quæ-

Quæres 8. *Quomodo relationes divinæ inter ſe diſtinguantur?*

Reſp. Vel ſibi mutuo opponuntur, ut ſunt paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiva, vel non. *Si primum*, realiter diſtinguutur; *ſi ſecundum*, non diſtinguuntur realiter; quia, *in divinis omnia ſunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppoſitio*. Hinc ſpiratio activa non diſtinguitur realiter a paternitate & filiatione.

Objicies 1. Paternitas & filiatio non opponuntur ſpirationi paſſivæ; ergo ab illa non diſtinguuntur realiter.

Reſpond. diſt. antec. Non opponuntur per ſe & immediate, *conc.* mediante ſpiratione activa, cum qua identificantur, *nego ant.*

Objicies 2. Paternitas & ſpiratio activa habent terminos realiter diſtinctos; ergo diſtinguuntur realiter.

Reſp. nego conſeq. Quia ad productionem terminorum realiter diſtinctorum, ſufficit diſtinctio virtualis; porro paternitas & ſpiratio activa diſtinguuntur virtualiter.

Inſt. Spiratio activa in Patre communicatur Filio, paternitas non communicatur; ergo diſtinguuntur realiter.

Reſp. nego conſeq. Eadem quippe res ſub diverſo reſpectu communicatur, & non communicatur: ſic licet paternitas & ſpiratio activa ſint in Patre eadem res; tamen communicatur Filio, quatenus ei non opponitur relative; non communicatur, quatenus ei relative opponitur: Porro ſola paternitas opponitur Filio relative.

Quæres 9. *Utrum relationes divinæ ſint perfectiones?*

Reſp. Sunt perfectiones, ſive ſpectentur ſecundum *eſſe in*, quia ſic ſpectatæ modificant ac determinant naturam divinam ad eſſe Pa-

tris,

tris, aut Filii, aut Spiritus ſancti. Sive ſpectentur ſecundum *eſſe ad*, ut docent Thomiſtæ contra Scotiſtas; quia, etiam ſic ſpectatæ, ſunt in Deo, nemine cogitante; at quidquid eſt in Deo realiter, eſt perfectio; ergo, &c.

Objicies: Si relationes ſecundum *eſſe ad*, eſſent perfectiones, *ſequeretur* 1. tres perſonas ſimul ſumptas plus continere perfectionis, quam una ſola perſona; hæreticum conſeq. Ergo, &c. *Sequeretur* 2. unam perſonam non habere omnes perfectiones.

Reſp. ad 1. *nego ant.* Quia una perſona, non minus quam tres perſonæ, habet divinam naturam, quæ eſt omnis perfectio; ergo non minus eſt perfecta.

Reſp. ad 2. *diſt. ant.* Sequeretur unam perſonam non habere omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices, *nego ant.* Simplices tantum, *ſubdiſt.* formaliter & actu, *conc.* eminenter, *nego antec.* Itaque relationes in Deo non ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, ſed ſunt perfectiones ſimplices tantum, quæ in Deo continentur tantum & identice, propter ſummam earum cum eſſentia divina identitatem.

Quæres 10. *Quodnam ſit munus divinarum relationum?*

Reſp. Eſt perſonas conſtituere, & unam perſonam ab aliis diſtinguere; quia per id perſonæ divinæ conſtituuntur & diſtinguuntur, quod ſingulare eſt, non commune; atqui ſolum relativum in Trinitate, ſingulare eſt; ergo.

CA-

CAPUT V.

De his quæ tribus perſonis ſunt communia.

Quæres 1. *Quænam ſint tribus perſonis communia?*

Reſp. Tria, nempe, notio, circuminceſſio, & miſſio.

Quæres 2. *Quid ſit notio?*

Reſp. Eſt, *nota quædam peculiaris, qua perſonæ divinæ dignoſcuntur, & ab invicem ſecernuntur.* Unde unaquæque notio non poteſt eſſe communis tribus perſonis.

Quæres 3. *Quot ſint in Deo notiones?*

Reſp. Sunt quinque, nec plures, nec pauciores; *innaſcibilitas*, nimirum, *paternitas*, *filiatio*, *ſpiratio activa*, & *ſpiratio paſſiva*. Nam per paternitatem & filiationem, Pater & Filius dignoſcuntur, & a ſe invicem ſecernuntur & per ſpirationem activam & ſpirationem paſſivam, Pater & Filius diſtinguuntur a Spiritu ſancto, ſicque ternarius numerus perſonarum oſtenditur. Et ne plures perſonæ cogitentur quam tres, neceſſario addi debet, *innaſcibilitas*, per quam oſtenditur Patrem a nullo principio eſſe; ergo quinque admittendæ ſunt in Deo notiones.

Objicies 1. Innaſcibilitas, ſumpta pro negatione proceſſionis ab alio, non dicit perfectionem; ergo non eſt notio.

Reſp. nego antec. Dicit enim eſſe principium fontale totius divinitatis; atqui hoc dicit ſummam perfectionem; ergo &c.

Inſt. Naſcibilitas, ſeu proceſſio ab alio, non dicit imperfectionem; ergo innaſcibilitas non dicit perfectionem.

Reſpond. nego conſeq. Utrumque enim in Deo

eſt

eſt æque perfectum, non procedere & procedere, quia utrumque eamdem naturam divinam participat; porro natura divina eſt omnis perfectio.

Objicies 2. Tam improductivitas in Spiritu ſancto dicenda eſt notio, quam innaſcibilitas in Patre; ergo ſunt plus quam quinque notiones.

Reſp. nego ant. Diſparitas eſt, quod *innaſcibilitas* aliquam exhibet dignitatem in Patre; nam ex eo quod non producatur, ſequitur quod ſit principium totius deitatis; ſed *improductivitas*, nullam importat dignitatem, alias perfectior eſſet illa creatura, quæ producere non poſſet, quod falſum eſt.

Quæres 4. *Quid ſit circuminceſſio?*

Reſp. Eſt, *perſonarum divinarum intima in ſe mutuo inexiſtentia:* quare ad illam duo requiruntur, nimirum identitas naturæ, & diſtinctio perſonarum.

Quæres 5. *Utrum detur in Deo circuminceſſio perſonarum?*

Reſp. affirmat. Nam Chriſtus, *Joann.* 14. dicit: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Et paulo poſt, *Pater in me manens, ipſe facit opera.* Ratio eſt quia habent unam eandemque naturam indiviſibilem.

Objicies: Si Pater ſit in Filio, Filius erit Pater, nam in Filio erit paternitas; hæreticum conſequens; ergo.

Reſp. nego ſeq. ant. &, *diſt. probationem;* in Filio erit paternitas, *identice*, ratione nimirum eſſentiæ divinæ, quæ una eademque numero eſt in tribus perſonis, *conc.* formaliter, id eſt, per modum formæ hypoſtaticæ, & proprietatis perſonalis, cujus eſt conſtituere perſonam, *nego*.

Quæres 6. *Quid ſit divinarum perſonarum miſſio?*

Reſp.

Reſp. Eſt, *proceſſio unius perſonæ ab alia, cum habitudine ad novum exiſtendi modum in creaturis.*

Dicitur 1. *Proceſſio*, quia perſona, quæ non procedit, proprie non mittitur: *Pater*, inquit D. Auguſt. lib. 4. de Trinit. c. 20. *non dicitur miſſus; non enim habet ex quo procedat.*

Dicitur 2. *Cum habitudine ad novum exiſtendi modum*, &c. ut deſignetur quod miſſio fiat in tempore, nec ſit æterna, ex parte reſpectus quem dicit ad creaturam, vel locum in quo incipit eſſe novo modo.

Quæres 7. *An detur miſſio in divinis?*

Reſpond. affirm. Dicitur enim, Joann. 8. *Solus non ſum, ſed ego, & qui miſit me, Pater.* Et Joann. 15. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre.*

Quæres 8. *Quotuplex ſit miſſio in divinis?*

Reſp. Duplex, viſibilis nempe & inviſibilis.

Miſſio viſibilis, eſt ea, quæ fit in ſpecie ſenſibili: talis fuit miſſio Filii in carne aſſumpta, & Spiritus ſancti in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum.

Miſſio inviſibilis, eſt ea, quæ fit ſine ſpecie ſenſibili, per gratiam interiorem, qua Deus homines ſanctificat.

DISSERTATIO II.

De perſonis divinis in particulari.

Nota. Cum jam multa de perſonis divinis in particulari expoſuerimus; reſtat hic de earum nominibus, tam propriis, quam appropriatis.

Nomen *proprium*, eſt illud, quod uni perſonæ

næ realiter ita convenit, ut alteri minime convenire poſſit.

Nomen *appropriatum*, eſt illud, quod, licet realiter toti Trinitati ſit commune, tamen, propter quamdam rationem ſpecialem, uni perſonæ ſingulari modo tribuitur.

Quær. 1. *Quot ſunt nomina primæ perſonæ propria?*

Reſp. Dicitur 1. *Pater*, quia proprie generat Filium. 2. *Ingenita*, non quia non naſcitur; hoc enim ſenſu Spiritus ſanctus eſt ingenitus; ſed quia non producitur. 3. *Principium fontale totius divinitatis*, quia Filio & Spiritui ſancto divinitatem ex ſua infinita fœcunditate communicat: unde *divinitas* ſumitur hic in concreto, pro perſonis quæ à Patre ducunt originem.

Quæres 2. *Utrum, Pater poſſit etiam dici cauſa, & auctor Filii & Spiritus ſancti?*

Reſp. 1. Juxta uſum latinæ vocis non poteſt ita vocari: quia cauſa apud Latinos definitur, *principium influens eſſe in aliud*: unde importat diverſitatem ſubſtantiæ & dependentiam unius ab alio.

Reſp. 2. Apud Græcos *Pater* ſæpius dicitur cauſa & auctor Filii & Spiritus ſancti; ſed improprie & lato modo, quia per illas voces intelligunt duntaxat principium originis, ut luculenter explicat Cardinalis Beſſarion, *ſeſſ.* 25. *Concil. Florentini*.

Quæres 3. *Quodnam eſt nomen primæ perſonæ appropriatum?*

Reſp. Per appropriationem dicitur, *primum creaturarum principium*; quare vocatur, *Pater noſter*, *creator omnium*. Congruenter enim ratio primi principii creaturarum appropriatur ei, qui primum eſt in Trinitate principium.

Quæres 4. *Quænam ſint nomina ſecundæ perſonæ propria?*

Reſp.

Reſp. Dicitur 1. *Filius*, quia procedit per veram generationem. 2. *Verbum*, quia eſt terminus ab intellectu Patris fœcundo productus. 3. *Imago*, quia eſt ſimilis Patri in natura, vi proceſſionis ſuæ formaliter, ut ſupra probavimus.

Quæres 5. *Quodnam eſt nomen appropriatum Filio?*

Reſp. Eſt, *ſapientia:* cum etiam ſapientia ſit virtus intellectus, congruentiſſime approprietur Filio, quia eſt terminus ſapientiſſimæ intellectionis.

Quæres 6. *Quænam ſint nomina tertiæ perſonæ propria?*

Reſp. Dicitur, 1. *Spiritus ſanctus*, non quidem hoc ſenſu quod ſit immaterialis & omnis impuritatis expers; ſic enim eſt nomen eſſentiale, commune tribus perſonis, ſed hoc ſenſu, quod ſit *ſpirata*, & quidem per voluntatem, a qua eſt omnis ſanctitas. 2. *Donum*, quia procedit ex voluntatis inclinatione, cujus eſt dare gratuito & ſine ſpe retributionis; ergo eſt donum notionaliter ſumptum. 3. *Amor*, quia eſt terminus ſubſiſtens ac perſonalis mutui amoris Patris & Filii.

Quæres 7. *Quænam ſint nomina Spiritui ſancto appropriata?*

Reſp. Ipſi tribuuntur omnia opera bonitatis, charitatis, & miſericordiæ; quia ex perfectiſſima charitate procedit. Hic vocatur *Paraclitus*, id eſt, conſolator: conſolatur enim nos per dona gratiæ, quibus nos cumulat.

DIS-

DISSERTATIO III.

De mutua prædicatione nominum abſolutorum de relativis, & relativorum de abſolutis.

Quæres 1. QUomodo nomina abſoluta abſtracta prædicentur de perſonis?

Reſp. Prædicantur in ſingulari, non vero in plurali: hinc recte dicitur: *Tres perſonæ ſunt una deitas, una ſapientia*, &c. ſed perperam diceretur: *Sunt deitates, ſapientiæ*, &c. Ratio eſt, quia nomina abſtracta formam ſine ſubjecto ſignificant; atqui in Deo eſt unica forma; ergo, &c.

Quæres 2. *Quomodo nomina abſoluta concreta prædicentur de perſonis?*

Reſp. Si ſint nomina ſubſtantiva, vel adjectiva ſubſtantive ſumpta, prædicantur de perſonis in ſingulari tantum; ſi vero ſint adjectiva, prædicantur de perſonis in plurali. Ratio eſt, quia forma in nominibus ſubſtantivis, vel adjectivis ſubſtantive uſurpatis, ſignificat per modum ſubſtantiæ, & habentis eſſe per ſe: econtra in adjectivis ſignificat per modum accidentis, ſeu, adjacentis ſuo ſuppoſito, & in eo eſſe habentis; ergo in nominibus ſubſtantivis, vel adjectivis ſubſtantive uſurpatis, ſingularitas vel pluralitas petitur a ſingularitate, vel pluralitate formarum, & in adjectivis petitur a ſingularitate, vel pluralitate ſuppoſitorum; atqui in Deo eſt unica ſubſtantia, plura vero ſunt ſuppoſita; ergo, &c. Hinc recte dicitur; *Tres perſonæ ſunt unus Deus, unus creator;* ſed perperam diceretur; *Sunt tres Dii, tres creatores*. Recte etiam dicitur; *Tres perſonæ, ſunt tres creantes*, &c.

Quæ-

Quæres 3. *Utrum perſonæ poſſint prædicari de nominibus abſolutis?*

Reſp. affirm. Ratio eſt, quia inter perſonas & eſſentiam eſt realis identitas. Hinc iſtæ propoſitiones ſunt veræ: *Eſſentia*, ſeu, *Deus eſt tres perſonæ*. *Eſſentia eſt Pater*, *Deus*, vel, *eſſentia eſt paternitas*.

Quæres 4. *Utrum nomina abſoluta abſtracta ſupponant pro perſonis?*

Reſpond. negat. Alias eſſentia produceret ſeipſam, cum eadem numero ſit eſſentia in tribus perſonis. Hinc ſi hæc propoſitio: *Eſſentia generat*, eſſet vera, redderet hunc ſenſum: *eſſentia producit ſeipſam*, quod repugnat, producens enim realiter debet diſtingui a producto.

Quæres 2. *Utrum nomina abſoluta concreta ſupponant pro perſonis?*

Reſpond. Aliquando ſupponunt pro eſſentia, aliquando pro perſona. Nam hæ propoſitiones ſunt veræ: *Deus creat*: *Deus generat*: atqui in prima propoſitione, *Deus* ſupponit pro eſſentia, in ſecunda ſupponit pro perſona; ergo, &c.

TRACTATUS IV.

DE DEO CREATORE.

Nota. MOyſes Geneſ. 1. narrat creationem hujus mundi aſpectabilis ſex diebus perfectam fuiſſe, refertque quid ſingulis diebus productum fuerit; ad quem remittimus eos qui ordinem creationis voluerint ſcire, ut differamus, 1. De Angelis 2. De primo homine.

DISSERTATIO I.

De Angelis.

AGemus, 1. De exiſtentia, natura Angelorum, & de ſtatu in quo fuerunt conditi. 2. De loco, motu, potentia motrice, & locutione Angelorum. 3. De eorum peccato & ejuſdem pœna. 4. De variis eorum ordinibus, ac de eorum miſſione, illuminatione, & cuſtodia.

CAPUT PRIMUM.

De exiſtentia, natura, & ſtatu in quo Angeli fuerunt conditi.

Quæres 1. UTrum exiſtant Angeli? *Reſpond. affirmat.* De iis enim frequenter loquitur Scriptura: Geneſ. 22. *Angelus Domini de cælo clamavit, dicens, Abraham*, &c. Matth. 18. *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris.* Hæc veritas definita eſt in Concilio Lateran. cap. *firmiter.*

Quæres 2. *Quo tempore Angeli fuerunt creati?*

Reſpond. Simul cum mundo creati ſunt, nec ante, ut conſtat ex cap. *firmiter*, & prob. ex Geneſ. 1. in principio creavit Deus cælum & terram, ubi ſub nomine *cæli* comprehendit Angelos, ut explicatur Exodi 20. *Sex diebus fecit Dominus cælum, terram, & omnia quæ in eis ſunt;* ergo & Angelos qui in cælis continentur.

Quæres 3. *Quid ſit Angelus?*

Reſpond. Eſt, *ſubſtantia creata, ſpiritualis, completa.*

Dici-

Dicitur 1. *Subſtantia creata:* id eſt, per ſe ſubſiſtens & ex nihilo producta.

Dicitur 2. *Spiritualis*: id eſt, incorporea; *ſunt* enim *adminiſtratorii Spiritus*, Hebr. 1. atqui ex Lucæ 24. *Spiritus carnem & oſſa non habet*.

Dicitur 3. *Completa:* id eſt, non ordinata ad alterius compoſitionem; per hoc ab anima rationali diſtinguitur, quæ quidem eſt ſpiritualis, ſed incompleta, & ordinata ad corpus, quocum unum per ſe efficit.

Hinc Angelus eſt immortalis & incorruptibilis, quia non conſtat ex partibus, quæ diſſolvi poſſint, utpote Spiritus.

Quæres 4. *In quo ſtatu Angeli fuerunt creati?*

Reſp. 1. Fuerunt creati in ſtatu beatitudinis naturalis. Quia fuerunt creati in perfectione excludente omnem miſeriam: miſeria enim eſt pœna peccati.

Reſp. 2. Non fuerunt creati in ſtatu beatitudinis ſupernaturalis. Nam de ratione beatitudinis ſupernaturalis, eſt ſtabilitas & confirmatio in bono; atqui Angeli, ſtatim ut creati ſunt, ſtabiliti & confirmati non fuerunt in bono, ut patet ex lapſu malorum angelorum; ergo, &c.

Reſp. 3. Fuerunt creati in ſtatu gratiæ ſanctificantis: ut conſtat ex Ezechiel. 18. ubi quod de rege Tyri ad litteram dicitur, a SS. Patribus de lucifero intelligitur: *Ambulaſti perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te;* per peccatum amiſit perfectionem, non naturalem; ergo ſupernaturalem; ſed perfectio ſupernaturalis conſiſtit in gratia ſanctificante; ergo.

CAPUT II.

De loco, motu, potentia motrice, & locutione Angelorum.

Quæres 1. AN *Angeli ſint in loco?*

Reſp. affirm. Nam *Apoc.* 20. dicitur, diabolum fuiſſe ligatum & miſſum in abyſſum; ergo eſt in loco; alias eſſet nullibi; quod repugnat.

Quæres 2. *Quomodo Angelus ſit in loco?*

Reſpond. 1. Non eſt in loco *circumſcriptive*, quia non habet partes quæ variis partibus loci correſpondeant, cum omnis materiæ ſit expers.

Reſp. 2. Eſt in loco definitive; quia certo ſpatio ita continetur, ut non ſit alibi.

Quæres 3. *An Angeli moveantur localiter?*

Reſp. affirm. Nam tranſeunt de loco in locum fluxu continuo, ut conſtat ex Lucæ 2. *Diſceſſerunt Angeli a paſtoribus in cælum.*

Quæres 4. *An Angeli poſſint movere corpora localiter?*

Reſp. affirm. Nam ex Danielis 14. Angelus portavit Prophetam Habacuc ex Judæa in Babylonem.

Quæres 5. *Utrum Angeli inter ſe colloquantur?*

Reſp. affirm. Iſaiæ 6. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.*

Quæres 6. *Quomodo Angeli inter ſe colloquantur?*

Reſp. Angelus alterum Angelum alloquitur, ſuam intellectionem aut volitionem ad illum dirigendo per actum quo vult, utraque, vel alterutra illi pateat. Nam *loqui ad alterum, nihil aliud eſt, quam conceptus mentis alteri mani-*

manifeſtare, ait D. Thomas 1. part. quæſt. 107. articulo 1.

CAPUT III.

De peccato Angelorum, & ejuſdem pœna.

Quæres 1. Q*Uodnam fuit peccatum Angelorum?*

Reſp. Fuit ſuperbia, quia æqualitatem cum Deo deſideraverunt, in eo deſiderio mirum in modum ſibi complacentes; nam, *Iſaia* 14. de diabolo, ſub nomine regis Babylonis, dicitur: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua . . . quomodo cecidiſti de cælo, lucifer, qui mane oriebaris? qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam . . . ſimilis ero Altiſſimo.*

Quæres 2. *Quot angelos lucifer ſecum traxerit?*

Reſp. Cum D. Thom. 1. part. quæſt. 63. art. 8. *eum quamplurimos ſecum traxiſſe, quamquam non tot, quot in gratia cum ſuo duce Michaele remanſerunt.* Nam, *Apoc.* 12. legitur draconem traxiſſe poſt ſe tertiam partem ſtellarum, id eſt, Angelorum, ut interpretantur Patres & Theologi.

Quæres 3. *Quotuplex pœna conſecuta eſt peccatum dæmonum?*

Reſp. Quadruplex, *Prima*, eſt, *cæcitas mentis*, per quam privantur omni penitus lumine, non quidem naturali, quia peccatum non deſtruit naturam; ſed ſupernaturali, ex quo fit ut nullum ordinem habeant ad vitam æternam; Ezech. 28. *Ejeci te de monte Dei*, id eſt de gratia, *& perdidi te, o Cherub.*

Secunda, eſt, *obſtinatio voluntatis in malo*, qua fit ut nullum poſſint exercere actum moralem omnino bonum: unde vocantur ſpiritus mali, Pſ. 77. *Immiſſiones per Angelos malos.*

Tertia, eſt, *excluſio a gloria* . . . . *Quarta*, eſt, *tormentum ignis*.

Quæres 4. *An detur aliquis locus in terra viſceribus ad cruciatum dæmonum deſtinatus?*

Reſp. affirm. ut teſtatur D. Petrus, Epiſt. 2. cap. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos ad tartarum tradidit cruciandos*.

Quæres 5. *An dæmones torqueantur igne vero & corporeo?*

Reſp. affirm. ut tradit communis Patrum & Eccleſiæ ſenſus, in Scriptura fundatus, Deut. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima*. Et Matth. 25. *Diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus*.

Quæres 6. *Quomodo dæmones ab igne corporeo torqueantur?*

Reſp. Hanc quæſtionem eſſe mere philoſophicam, de qua nihil certum poſſe haberi in hac vita, ingenue fatetur D. Auguſt. *lib.* 21. *de civit. Dei, cap.* 10. dicens: *Quamvis meritis, tamen veris modis, etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi*.

CAPUT IV.

De variis Angelorum ordinibus, ac de eorum miſſione, illuminatione & cuſtodia.

Quæres 1. UTrum *Angeli ſint in magno numero?*

Reſp. affirm. Nam, *Daniel.* 7. dicitur: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei*.

Quæres 2. *Quomodo ordinantur Angeli?*

Reſp. In Hierarchias & Choros . . . *Hierarchia*, definitur, *multitudo ordinata ſub unius*

ſacri

ſacri Principis gubernatione, ad ſacras functiones deſtinata . . . . *Chorus*, definitur, *Hierarchiæ angelicæ gradus unus*, conveniens in Hierarchiæ ſuæ communi modo illuminationis; diſtinctus ſecundum officia diverſa.

Quæres 3. *Quot ſint Hierarchiæ Angelorum?*

Reſp. Tres a D. Dionyſio recenſetur, *lib. de cæleſti Hierarchia, cap. 9.* nempe, *ſuprema*, quæ immediate a Deo recipit illuminationes, eaſque tranſmittit Angelis ſecundæ Hierarchiæ ... *media*, quæ divinas illuminationes immediate recipit ab Angelis primæ Hierarchiæ, eaſque tranſmittit Angelis tertiæ Hierarchiæ . . . *infima*, quæ divinas illuminationes recipit ab Angelis ſecundæ Hierarchiæ, eaſque tranſmittit hominibus.

Quæres 4. *Quot ſint chori Angelorum?*

Reſp. Novem, nempe, tres in qualibet Hierarchia . . . In prima, continentur *Seraphini*, & *Throni* . . . In ſecunda ſunt, *Dominationes*, *Virtutes*, & *Poteſtates* . . . . In tertia, ſunt, *Principatus*, *Archangeli*, & *Angeli*.

Quæres 5. *Utrum, & a quo Angeli mittantur?*

Reſp. Angeli hominibus a Deo mittuntur, tum ad quædam ipſis exhibenda miniſteria; tum ad ipſis prænuntianda ventura; ſic, *Tobiæ* 12. Angelus Raphael ait: *Tempus eſt ut revertar ad eum qui me miſit:* Et Lucæ 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo*, &c.

Quæres 6. *Utrum Angeli ab aliis Angelis ſuperioris Hierarchiæ mitti poſſint?*

Reſp. affirm. Quia inter Angelos eſt prælatio, nam Daniel 10. *Michael*, dicitur, *unus de principibus primis*.

Quæres 7. *Utrum Angeli illuminent homines?*

Reſp. affirmat. Eſtque de fide, nam revelant

hominibus plures veritates, juxta illud Dan. 9. *Docuit me* (Gabriel) *dixitque: Daniel, nunc egreſſus ſum ut docerem te, & intelligeres*, &c.

Quæres 8. *An Angeli deputentur ad cuſtodiam hominum?*

Respond. affirmat. Idque fides docet, ut conſtat ex Pſalm. 90. *Angelis ſuis Deus mandavit te, ut cuſtodiant te.*

Quæres 9. *An ſinguli fideles ſuum habeant Angelum cuſtodem?*

Reſp. affirm. Conſtat ex Matth. 18. *Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* Ubi Chriſtus cum dicit, *Angeli*, ſignificat, non unum, ſed plures pluribus præfici, cum dicit, *Angeli eorum*, ſignificat ſingulos Angelos ſingulis deputari. Unde S. Hier. in cap. 18. Matth. exclamat: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque, ab ortu nativitatis, habeat in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.* Ubi non diſtinguit inter fideles, & infideles, ac reprobos.

Quæres 10. *Utrum ſingula regna habeant Angelos cuſtodes?*

Reſp. affirmat. Nam Danielis 10. fit mentio Angeli qui præerat regno Perſarum, & alterius Angeli qui præerat regno Græcorum: unde D. Baſilius, de Angelis agens, ait: *Alii ipſorum gentibus præpoſiti ſunt, alii fidelium ſingulos conſequuntur.*

Immo, communis eſt ſententia Patrum, ſingulas Diœceſes, civitates, & communitates ſuos Angelos tutelares habere. Ita docent Origenes, *Homil. 20. in Numeros.* Ambroſ. *lib. 2. in Lucam*, &c.

Quæres 11. *Quænam miniſteria circa nos exerceant Angeli cuſtodes?*

Reſp. 1. Homines a periculis imminentibus libe-

liberant, Geneſ. 48. dicit Jacob, *Angelus qui eripuit me de cunctis malis:* . . . . . 2. Impediunt ne dæmones hominibus noceant, Tobiæ 8. . . . . 3. Pias cogitationes ſuggerunt ad proſecutionem boni & fugam mali; unde Deus Moyſen hortatur ut audiat Angelum Exodi 13. *Obſerva & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris, & eſt nomen meum in illo* . . . . . 4. Preces noſtras Deo offerunt, ſuaſque noſtris conjungunt, Apocal. 8. *Alius Angelus venit . . . . ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei* . . . . 6. Clientum ſuorum animas in Purgatorio conſolantur, eaſque plene purgatas ad cælum deducunt, Lucæ 16. *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.*

Quæres 12. *Utrum quilibet homo, ad pugnam habeat angelum malum?*

Reſpond. 1. Quod dæmones hominibus ſemper nocere conentur, eos Deo ita permittente, impugnando, & ad peccatum impellendo, quare Apoſt. Epheſ. 6. docet nos debere colluctari, *adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum.*

Reſpond. 2. Non eſt credendum, quod Deus cuilibet homini tentatorem mittat ad exercitium; quia hoc repugnat bonitati Dei, qui Jac. 1. *Neminem tentat.*

Reſp. 3. Valde probabile eſt luciferum, cuilibet homini dæmonem tentatorem deputaſſe, ut colligi poſſe videtur ex 1. Petri 5. *Vigilate quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret.*

DISSERTATIO II.

De primi hominis creatione.

Quæres 1. Q*Uinam fuerint primus homo & prima mulier?*

Reſpond. Fuerunt Adam & Eva. Eſt de fide contra Præadamitas. Dicitur enim Geneſ. 2. *Homo non erat qui operaretur terram .... formavit igitur Dominus Deus hominem*, &c. Et ſapientiæ 10. *Hæc* (ſapientia) *illum, qui primus formatus eſt a Deo Pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit.*

Quæres 2. *Ubinam fuerint conditi Adamus & Eva?*

Reſp. Fuerunt conditi extra Paradiſum voluptatis, in quem paulo poſt tranſlati fuere, Geneſ. 2. *Tulit ergo Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis.* Ubi per tò *hominem*, intelligitur Adamus & Eva, juxta illud Geneſ. 1. *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & feminam creavit eos.*

Quæres 3. *Quomodo Adam & Eva creati ſint?*

Reſp. 1. Adam ex limo terræ formatus fuit a Deo, qui *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, id eſt, animam, Geneſ. 1. unde corpus ex præſuppoſito ſubjecto productum eſt; anima econtra ex nihilo creata eſt ....
2. Corpus Evæ formatum eſt ex coſta Adami, quam Deus extraxit, & ſpatium quod occupabat replevit carne. *Geneſ.* 1.

Quæres 4. *Quare Scriptura dicat mulierem eſſe datam viro in adjutorium?*

Reſp. Hoc dicitur eo quod data ſit ad filiorum

rum generationem. *Ad quod alind adjutorium mulier facta ſit viro*, inquit D. Auguſt. lib. 9. de Geneſ. ad litteram, c. 7. *ſi generandi cauſa ſubſtrahatur?*

Quæres 5. *In quo conſiſtat imago & ſimilitudo Dei, ad quam homo factus eſt?*

Reſp. In eo conſiſtit, quod homo intellectu, voluntate libera, & dominio in alias creaturas ſit præditus; per has facultates enim, pro modulo ſuo imitatur ſuum exemplar: nempe per intellectum efformat Verbum, in quo ipſi repræſentantur omnia quæ ſub ejus notitia cadunt. Per voluntatem liberam, non ſolum producit amorem eorum omnium quæ intellectus amanda proponit; ſed etiam actuum ſuorum eſt Dominus; atque præeſt cunctis animantibus, ideo dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli*, &c.

Quæres 6. *In quo ſtatu primus homo fuerit creatus?*

Reſp. In ſtatu juſtitiæ originalis, Nam Eccl. 7. dicitur: *Deus fecit hominem rectum*. Atqui illa rectitudo eſt juſtitia originalis, qua anima hominis erat perfecte ſubdita Deo, & appetitus ſenſitivus perfecte ſubditus animæ, &c.

Quæres 7. *Quot ſint dotes juſtitiæ originalis?*

Reſp. Sunt quinque. *Prima*, eſt, *gratia ſanctificans*, quam in ſuo ortu accepit primus homo. Juxta illud Eccl. 17. *Deus creavit de terra hominem . . . & ſecundum ſe veſtivit illum virtute*. Quem textum PP. ac interpretes intelligunt de gratia juſtificante, quam Adamus accepit in ſua creatione.

Secunda dos, eſt, *ſcientia*, quam primus homo in ſuo ortu tantam accepit a Deo, ut non potuerit eſſe errori obnoxius. Juxta illud Eccl. 17. *Deus . . . diſciplina intellectus replevit*

vit illos, creavit illis ſcientiam ſpiritus. Quare D. Auguſtin. *lib. 3. de lib. arbitr. cap.* 18. dicit: *Approbare falſa pro veris, ut erret invitus, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.*

Objicies: Eva innocens dicit, Geneſ. 3. *Serpens decepit me & comedi;* ergo.

Reſp. nego ant. Nec enim Eva innocens erat quando fuit decepta, jam enim peccaverat in corde, per internam nimirum electionem, ait Divus Auguſtinus, *lib.* 11. *de Geneſ. ad litteram.*

Tertia dos, eſt, ſubjectio partis inferioris ad ſuperiorem, qua homo innocens nullis inordinatis concupiſcentiæ motibus fuit obnoxius. Nam Eccl. 17. *Deus fecit hominem rectum;* atqui non fuiſſet rectus ſi inordinatis concupiſcentiæ motibus fuiſſet obnoxius; ergo. Hinc Concil. Trident. *ſeſſ.* 5. *can.* 5. definivit, concupiſcentiam ideo ab Apoſtolo dici peccatum, *quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.*

Quarta dos, eſt *immortalitas*, ut fide conſtat contra Pelagium: nam Sapient. 2. dicitur. Deus mortem non fecit: *Invidia autem diaboli mors intravit in mundum.* Et Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum: & per peccatum mors.* Hinc Synodus Palæſtina hanc Pelagii propoſitionem damnavit ut hæreticam: *Adam mortalis factus eſt, ita ut, ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet.* Idem definivit Concil. Trid. *ſeſſ.* 5. *can.* 1.

Objicies: Corpus primorum parentum ante peccatum conſtabat ex elementis contrariis non ſecus ac nunc; ergo erat mortale.

Reſp. nego conſeq. Quia per dotem immortalitatis, quam homo innocens a Deo accepit in ſuo ortu, pugna elementorum fuit taliter impe-

impedita, ut nullam homini læſionem afferre potuerit, & ſic mori non potuerit.

Inſtab. 1. Corpus Adami innocentis tandem conſenuiſſet; ergo.

Reſp. nego antec. Nam, ex D. Auguſt. *lib. de peccat. merit. cap.* 3. corpus Adami innocentis, *habebat . . . . de ligno vitæ ſtabilitatem contra vetuſtatem.*

Inſtab. 2. Corpus Adami potuit obrui aqua, igne, ferro, &c. Ergo.

Reſpond. nego ant. Quia ſingulari Dei providentia fuiſſet conſervatum.

Reſp. 3. D. Auguſtin. loco cit. dicit: *Illud corpus*, hominis innocentis, *jam erat mortale*; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Erat mortale, id eſt, poterat mori, *conc.* debebat mori, *nego ant.* Unde addit D. Auguſtin. *Sed ipſum mortale, non eſt factum mortuum, niſi propter peccatum.* Et *lib.* 1. *operis imperfecti*, *contra Julian.* dicit: *Poterat mori: poterat namque peccare.* Et lib. 6. de Gen. ad litt. cap. 25. *Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.*

Quinta dos, eſt, *immunitas ab omni miſeria*: quia erant beati beatitudine naturali. *Quis enim*, ait D. Auguſt. lib. 11. de Civit. Dei, cap. 12. *primos illos homines in paradiſo negare audeat beatos fuiſſe ante peccatum?*

Objicies: Homines in ſtatu innocentiæ famem & ſitim paſſi fuiſſent, ad eas enim extinguendas uſi fuiſſent cibo, & potu; ergo.

Reſp. nego ant. Neque enim cibus datus eſt hominibus innocentibus, ut famem extinguerent, ſed ut ipſam vitarent, ait D. Auguſtin. *lib.* 14. *de Civit. Dei*; *cap.* 26.

Quæres 8. *Quid ſit ſtatus naturæ puræ?*

Reſp. Eſt, *conditio naturæ humanæ*, *conſiderata in*

ta in meris ſuis perfectionibus naturalibus abſque gratia & peccato, obnoxia tamen iiſdem, quibus natura lapſa premitur, infirmitatibus : nimirum fami, ſiti, ægritudini, morti, & concupiſcentiæ.

Quæres 9. *Utrum ſtatus naturæ puræ fuerit poſſibilis?* ſeu, quod idem eſt, *utrum juſtitia originalis, ſanctitas, immortalitas, &c. fuerint homini innocenti ſupernaturales?* ad hujus quæſtionis intelligentiam.

Nota: naturale, hic dicitur, quod eſt ſecundum exigentiam naturæ, ipſique debitum, vel tanquam ejus pars, vel tanquam proprietas ex ejus principiis fluens, ita ut ſine injuſtitia ipſi denegari non poſſit . . . *Supernaturale*, eſt quod ſuperat omnem naturæ humanæ exigentiam, eique plane indebitum eſt.

Reſp. affirm. Et prob. 1. ex his prop. Baji a Pio V. Gregor. XIII. & Urbano VIII. damnatis . . . . Propoſ. 21. *Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis* . . . . Propoſ. 23. *Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam ſupernaturali & gratuito, ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut fide, ſpe, & charitate Deum ſupernaturaliter coleret* . . . . Propoſ. 35. Queſnelli, *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ & integræ.*

Probat. 2. Deus poteſt hominem creare cum defectibus naturalibus : *Quamvis*, inquit Divus Auguſtinus, lib. 1. retract. capit. 9. *Ignorantia & difficultas, etiamſi eſſent primordia hominis naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus.* Atqui concupiſcentia, mortalitas, &c. ſunt defectus naturales, qui non poſ-

poſſunt, niſi Creatoris gratia, impediri; ergo, &c.

Objicies 1. Deus non potuit hominem creare cum concupiſcentia & ignorantia. 1. Quia ſunt pœnæ peccati. 2. Quia concupiſcentia inclinat ad peccatum.

Reſp. nego ant. Nam 1. ſunt pœnæ peccati in ſtatu præſenti, *conc.* in ſtatu naturæ puræ, *nego*, nam tunc *non ſupplicium peccati, ſed proficiendi admonitio & perfectionis exordium* fuiſſet, ait D. Auguſt. lib. de lib. arbit. cap. 20. 2. Concupiſcentia non inclinat ad peccatum, *per ſe*, cum potentia ſit concupiſcendi bona ſenſibilia, quo ſenſu eſt bonum naturæ; ſed tantum *per accidens*, quod Deus permiſiſſet ex munere cauſæ primæ.

Objicies 2. Deus non potuit creare hominem ſine ordinatione ad ſuum finem ultimum; ergo nec potuit eum creare ſine juſtitia & ſanctitate ad illum finem aſſequendum ordinatis.

Reſp. diſt. ant. Sine ordinatione ad ſuum finem ultimum naturalem, qui conſiſtit in perfecta quadam contemplatione Dei abſtractiva, & ejuſdem, ut auctoris naturæ, amore, qui viribus naturæ non depravatæ elici poteſt, *conc.* ſine ordinatione ad ſuum finem ſupernaturalem, qui conſiſtit in viſione Dei intuitiva & amore fruitivo, *nego ant.*

Inſt. 1. Deus non potuit creare hominem in eo ſtatu, in quo non potuiſſet amare Deum propter ſe; atqui in ſtatu naturæ puræ homo non potuiſſet amare Deum propter ſe; ergo, &c.

Reſp. diſt. min. Homo non potuiſſet amare Deum propter ſe, amore ſupernaturali, *conc.* ad hoc enim requiritur gratia, qua in illo ſtatu caruiſſet. Non potuiſſet amare Deum amore naturali, *nego min.* Ad hunc enim ſufficere poſ-

poſſunt media naturalia, quibus Deus hominem juvaſſet in illo ſtatu. Porro amor naturalis eſt poſſibilis, ut conſtat ex damnatione hujus propoſitionis Bajanæ: *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut beneficator, vana eſt & commentitia, & ad illudendum ſacris litteris & plurimis veterum teſtimoniis excogitata.*

Quæres 10. *Quodnam fuerit peccatum primorum parentum?*

Reſp. Fuit ſuperbia, quæ eſt mater inobedientiæ: nam Tobias, *cap.* 4. deterrens filium ſuum a ſuperbia, dat hanc rationem: *In ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.*

Quæres 11. *Quænam fuit cauſa peccati primorum parentum?*

Reſp. Cauſa illius extrinſeca, fuit diabolus, qui illos induxit ad divinæ legis infractionem, dicens Evæ: *In quocumque die comederitis ex eo . . . . eritis ſicut dii . . . .* Cauſa vero interna, fuit eorum voluntas; cum nec ignorantia, nec concupiſcentia laboraverint in illo ſtatu.

Quæres 12. *Quale fuit peccatum primorum parentum?*

Reſpond. Fuit mortale, nimirum ſuperbia, qua independentiam a Deo, ſibi tribuere concupierunt.

Quæres 13. *Quænam fuerunt peccati primorum parentum pœnæ quoad corpus?*

Reſpond. Fuerunt duæ. *Prima* fuit ejectio e ſtatu beatitudinis, in hujus vitæ miſerias, famem nempe, ſitim, dolores, &c. *Secunda*, fuit mors corporalis. Utraque deſcribitur *Geneſi* 3.

Quæres. 14. *Quænam fuerunt pœnæ quoad animam?*

Reſp.

Reſp. Fuerunt tres. *Prima*, fuit ſpoliatio omnium donorum ſupernaturalium .... *Secunda*, fuit vulnus facultatum naturalium: nam, licet naturalia in Adamo peccante extincta non fuerint, valde tamen ſauciata fuerunt per quatuor vulnera quæ Adamus accepit in potentiis animæ, ſcilicet, *ignorantiam*, in intellectu; *malitiam* in voluntate; *infirmitatem* in iraſcibili; & *concupiſcentiam* in appetitu concupiſcibili .... *Tertia*, fuit mortis æternæ debitum morale, quod Adamus per ſuum peccatum contraxit, & in hanc miſeram ſortem omnes poſteros traxit, a qua non poſſunt exurgere, niſi per merita Chriſti mediatoris.

TRA-

TRACTATUS V.

DE DEO INCARNATO.

Nota. DEi incarnati nomine intelligitur compoſitum reſultans ex unione naturæ divinæ cum natura humana, in una Verbi divini perſona.

Duplex erit hujus Tractatus diſſertatio: 1. Erit de poſſibilitate, convenientia, neceſſitate, exiſtentia, cauſis, & quidditate Incarnationis. 2. Erit de Chriſto, qui eſt terminus Incarnationis.

DISSERTATIO I.

De poſſibilitate, convenientia, neceſſitate, &c. Incarnationis.

CAPUT I.

De poſſibilitate Incarnationis, & ejuſdem convenientia.

Quæres 1. UTrum *Incarnatio ſit poſſibilis?* *Reſp. affirm.* 1. Quia peracta eſt: atqui ab actu ad poſſe valet conſequentia. 2. Quia nullam involvit repugnantiam.

Objicies 1. Repugnat Verbum mutari; atqui non poteſt uniri naturæ humanæ in unitatem perſonæ, quin mutetur; ergo.

Reſp. nego min.

Prob.

Prob. min. Verbum non poteſt uniri naturæ humanæ, quin recipiat novam formam, videlicet, naturam humanam; ſed qui recipit novam formam mutatur; ergo.

Reſp. diſt. major. Quin recipiat novam formam tanquam terminus, qui illam formam ultimo compleat ac perficiat, *conced.* tanquam ſubjectum quod ab illa forma perficiatur, *nego maj.* & ſic ad minorem. Itaque Verbum per Incarnationem non recipit in ſe humanitatem, & conſequenter non eſt ſubjectum ab illa perfectibile, ſed eſt terminus illius intrinſecus; quatenus, ſeipſum humanitati communicando, illam perficit, ac ultimo complet; ſubindeque non mutatur.

Inſt. Verbum per Incarnationem, de non homine fit homo intrinſece; ergo mutatur.

Reſp. diſt. ant. De non homine fit homo intrinſece, per aſſumptionem humanitatis, ſolamque illius terminationem, *conc.* per ſui converſionem in humanitatem, *nego ant.* proindeque in Incarnatione nulla facta eſt mutatio in Verbo divino.

Objicies 2. Inter unibilia debet eſſe quædam proportio; atqui inter Verbum infinitum, & naturam humanam finitam nulla eſt proportio; ergo.

Reſp. diſt. major. Debet eſſe proportio habitudinis, qualis eſt inter terminans & terminatum, *conc.* proportio entitatis ad entitatem, *nego maj.* Licet ergo inter Verbum & naturam humanam nulla ſit proportio entitatis, eſt tamen proportio habitudinis, quatenus natura humana eſt terminabilis, & Verbum infinite terminativum.

Objicies 3. Natura humana non poteſt ſpoliari ſua propria ſubſiſtentia; nam ſubſiſtentia eſt ipſamet natura; ergo, &c.

Reſp.

Reſp. nego ant. Ad probationem, *diſt.* ſubſiſtentia eſt ipſamet natura, præſuppoſitive, *conc.* formaliter, *nego.* Itaque ſubſiſtentia præſupponit naturam, ſed ſecundum ſe & formaliter, nihil aliud eſt quam negatio communicabilitatis, ſeu, unionis ſubſtantialis cum alio perfectiore, quæ negatio tollitur, cum natura humana perſonam Verbi in ſe recipit, quia tunc deſinit eſſe ſui juris.

Inſt. Perſona definitur: *Naturæ rationalis individua ſubſtantia.* Atqui impoſſibile eſt dari aliquam naturam actu exiſtentem, quin ſit ſubſtantia individua; ergo natura humana non poteſt ſpoliari ſua propria ſubſiſtentia.

Reſpond. diſt. ant. Quin ſit ſubſtantia individua, per propriam ſubſiſtentiam, vel alienam perfectiorem, *conc.* ſemper per propriam ſubſiſtentiam, *nego min.* Natura ergo humana Verbo divino ſubſtantialiter unita, non ſubſiſtit ſubſiſtentia propria, ſed ſubſiſtentia Verbi, a quo ſubſtantialiter perficitur & completur, in quo ſiſtit, a quo terminatur, & cujus juris tota efficitur.

Quæres 2. *Utrum poſſibilitas incarnationis poſſit ratione demonſtrari?*

Reſp. Nulla ratione poteſt demonſtrari *poſitive.* 1. Quia Coloſſ. 1. dicitur: *Myſterium quod abſconditum fuit a ſæculis, & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt in Sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in gentibus, quod eſt Chriſtus.* 2. Demonſtrari non poteſt *a priori*, quia non habet cauſam naturalem, nec *a poſteriori*, quia nullus eſt effectus in rerum natura, qui neceſſariam habeat cum hoc myſterio connexionem; ergo.

Objicies 1. Intellectus perfectus, v. g. angelicus evidenter *poſitive*, cognoſcit Deum poſſe effi-

efficere quidquid non implicat contradictionem; atqui myſterium incarnationis non implicat contradictionem; ergo.

Reſp. diſt. maj. Indeterminate & in genere, *conc.* determinate & in particulari, *nego major.* Alias Dei omnipotentiam, in qua ſunt omnia poſſibilia, comprehenderet, quod eſt impoſſibile.

Objicies 2. Angelus naturaliter cognoſcere poteſt, naturam humanam poſſe ſpoliari propria ſubſiſtentia; ergo naturaliter cognoſcere poteſt naturam humanam poſſe ſubſiſtere ſubſiſtentia verbi.

Reſpond. 1. nego ant. 1. Quia nullum eſt in naturalibus exemplum, quo conſtet naturam humanam ſpoliari poſſe ſubſiſtentia ſibi propria. 2. Quia natura humana ita determinata eſt ad propriam ſubſiſtentiam, ut abſque ea naturaliter non poſſit exiſtere.

Reſp. 2. nego conſeq. Quanquam enim Angelus poſſet naturaliter cognoſcere naturam humanam poſſe ſpoliari propria ſubſiſtentia, non ſequitur tamen, quod poſſit naturaliter cognoſcere eam ſubſiſtere ſubſiſtentia Verbi: tum quia infinita eſt, inter naturam humanam & Verbi ſubſiſtentiam, diſproportio. Tum quia poſſet judicare Deum conſervare illam naturam individualem abſque omni ſubſiſtentia; ſicut de facto conſervat ſpecies Euchariſticas abſque omni ſubjecto.

Quær. 3. *Utrum Incarnatio fuerit conveniens Deo?*

Reſp. Affirm. Nam per Incarnationem præcipua Dei attributa, nimirum, omnipotentia, ſapientia, bonitas, miſericordia, & juſtitia, hominibus manifeſtantur.

Objicies 1. Summam Dei majeſtatem dedecet humiliari; atqui per Incarnationem Deus ſeſe humiliaſſet; ergo.

Reſp. diſt. maj. Dedecet Deum humiliari, ſecundum ſe, *conc.* ſecundum carnem aſſumptam, *nego*. Cum itaque divinitas ſit omnino invariabilis, ſecundum ſe nec exaltationis, nec humiliationis eſt capax; ſed ratione humanitatis ſibi unitæ poteſt humiliari ad manifeſtationem ſuæ magnitudinis.

Objicies 2. Inconveniens eſt, ut majus bonum ordinetur ad minus; atqui in Incarnatione, majus bonum ordinaretur ad minus, nempe Incarnatio Dei ad reparationem generis humani; ergo, &c.

Reſp. diſt. major. Non eſt conveniens, ut majus bonum ordinetur ad minus, tanquam medium ad finem ultimum, *conc.* tanquam cauſa ad effectum, *nego maj.* Incarnatio itaque ordinatur. 1. Ad reparationem generis humani tanquam cauſa ad effectum quem producit. 2. Ordinatur ad gloriam Dei, tanquam ad finem ultimum: porro gloria Dei excellentior eſt vita Chriſti.

Objicies 3. Innocentem tradere ad ſupplicium eſt inconveniens, cum maxima ſit injuſtitia; atqui in Incarnatione, &c.

Reſpond. diſt. major. Si illud ſupplicium habeat rationem punitionis, *conc.* ſatisfactionis tantum & reparationis, *nego*. Diſparitas eſt, quod in punitione attendatur peccantis iniquitas; in ſatisfactione vero pro alio, ſpectatur ſatisfacientis charitas: porro in ſatisfaciendo, unus poteſt ferre pœnam pro alio.

Quæres 4. *Utrum Incarnatio fuerit conveniens homini redimendo?*

Reſp. Fuit conveniens homini, *ſive ſpectetur in individuo*, quia per Incarnationem factum eſt, ut hic homo eſſet Deus, ac proinde caput hominum & Angelorum, ſupremo latriæ cultu colendus. Sive ſpectetur in ſpecie, quia

tota

tota natura humana, per conjunctionem Verbi cum uno ex ejus individuis, fuit exaltata ad ſupremum honorem cognationis & conſanguinitatis cum Deo.

Quæres 5. *Utrum Incarnatio toti univerſo fuerit conveniens?*

Reſp. affirm. Quia in aliqua ſui parte ad faſtigium divinitatis evectum eſt.

Quæres 6. *Utrum myſterium Incarnationis fuerit convenienter impletum in plenitudine temporis?*

Reſp. affirm. Nam conveniens fuit ut Chriſtus in medio annorum veniret, ut ſæcula anteriora per fidem ſuæ Incarnationis futuræ illuminaret, & ſequentia per doctrinam evangelicam illuſtraret, & per Sacramenta a ſe inſtituta ſanctificaret.

CAPUT II.

De neceſſitate Incarnationis.

Quæres 1. UTrum *Incarnatio fuerit abſolute neceſſaria?*

Reſp. negat. Nam eſt opus ad extra, circa quod Deus eſt omnino liber.

Quæres 2. *Utrum fuerit abſolute neceſſaria ex hypotheſi peccati hominis?*

Reſpond. negat. Nam Deus hominem perditum potuit relinquere in peccato & ſtatu damnationis, ſicut relinquit Angelos apoſtatas.

Quæres 3. *Utrum Incarnatio fuerit abſolute neceſſaria ex hypotheſi, quod Deus hominem lapſum voluerit reparare?*

Reſp. negat. Nam Deus potuit hominem multis aliis modis liberare, nempe, vel peccatum gratis condonando, vel imperfectam hominis ſatisfactionem acceptando; unde D. Aug. *lib.*

de Agone chriſtiano, *c.* 12. merito ſtultos vocat qui contra ſentiunt.

Quæres 4. *Utrum Incarnatio abſolute neceſſaria fuerit, ex hypotheſi quod Deus hominem reparare voluerit per condignam atque rigoroſam pro peccato ſatisfactionem?*

Reſp. affirmat. Quia nulla creatura pura, quantalibet gratia ornata, condignam atque rigoroſam pro peccato ſatisfactionem exhibere poteſt. Nam ut ſatisfactio ſit condigna & rigoroſa, debet eſſe, 1. *Æquivalens*; 2. *Debet fieri ex propriis*, &, 3. *Ex aliunde indebitis*. Atqui ſatisfactio a pura creatura exhibita.

1. *Non eſt æquivalens gravitati injuriæ.* Quia offenſa Dei eſt infinita, ſaltem extrinſece & objective; ſatisfactio vero puræ creaturæ, eſt, valde finita. Ratio eſt, quia injuria creſcit pro vilitate perſonæ lædentis & dignitate perſonæ læſæ; contra vero ſatisfactio iiſdem capitibus decreſcit; ergo offenſa perſonæ infinitæ illata, eſt infinita, & ſatisfactio, a pura creatura exhibita, eſt finita, & quaſi nulla præ Deo offenſo.

2. *Non eſt ex propriis*: quia pura creatura ſatisfacere non poteſt, niſi ex eis, quæ ſunt ſub Dei dominio.

3. *Non eſt ex aliunde indebitis*: quia quod Dei proprium eſt, illi quoque eſt debitum.

Objicies 1. Homo purus, per actum perfectæ contritionis, reddit Deo totum, quod ab ipſo per peccatum abſtulerat, nempe rationem ultimi finis; ergo condigne ſatisfacit Deo.

Reſp. nego conſeq. Licet enim redditio rei ablatæ ſufficiat ad reſtitutionem, ſatis tamen non eſt ad condignam ſatisfactionem pro injuria Deo per peccatum illata, quæ, cum ſit infinita, non poteſt condigne reparari, niſi per

ſatisfa-

ſatisfactionem infinitam, cujus homo purus, quantalibet gratia ſit ornatus, non eſt capax.

Inſt. 1. Tantus eſt valor actus perfectæ charitatis, quanta eſt gravitas injuriæ Deo per peccatum illatæ; ergo.

Reſp. neg. antec. Quia valor actus charitatis moraliter æſtimatur ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, ac proinde eſt finitus; econtra gravitas offenſæ Dei moraliter æſtimatur ex dignitate perſonæ læſæ, a qua conſequenter infinitam quamdam gravitatem contrahit.

Inſt. 2. Homo purus, per actum charitatis perfectæ, poſſet mereri vitam æternam de condigno; ergo & condigne ſatisfacere Deo.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod meritum, cum reſpiciat mercedem, nullam requirat perſonarum æqualitatem, bene autem ſatisfactio, quæ, cum a perſona offenſa ſpecificetur, non poteſt condigne exhiberi, niſi a perſona ejuſdem ordinis & dignitatis.

Objicies 2. Peccatum veniale eſt quid finitum; ergo pro eo poteſt homo purus condigne ſatisfacere.

Reſp. diſt. ant. Eſt quid finitum, entitative, *conc.* objective & terminative, *nego ant.* Infert enim Deo infinito injuriam, quæ condigne compenſari per opus finitum non poteſt.

Inſt. Ergo, ſublata Incarnatione, homo juſtus, venialiter peccans, æternum periret; falſum conſeq. ergo.

Reſp. nego illatum. Quia Deus pro peccato veniali non exigit ſatisfactionem rigoroſam, & ideo, in quocumque ſtatu, homo juſtus poteſt mereri gratiam, cui annexa eſt peccati remiſſio.

CAPUT III.

De exiſtentia Incarnationis.

Quæres 1. QUinam negent Meſſiam jam adveniſſe?

Reſp. Negant gentiles, quibus hoc myſterium eſt *ſtultitia*, & Judæi, quibus eſt *ſcandalum*, ait Apoſtolus, 2. *Cor.* 1.

Quæres 2. *Quomodo demonſtratur adverſus gentiles Meſſiam jam adveniſſe?*

Reſp. Demonſtratur fidei noſtræ motivis credibilitatis, quæ in tractatu de fide exponemus, ad quem lectorem remittimus.

Quæres 3. *Quomodo demonſtratur adverſus Judæos Meſſiam jam adveniſſe?*

Reſpond. Demonſtratur innumeris propemodum oraculis Prophetarum, quæ in Jeſu Nazareno fuerunt impleta, ex quibus duo tantum refero, quæ ſunt celeberrima.

1. Oraculum, Habetur Geneſ. 49. ubi Jacob prædicens filiis ſuis quæ eorum poſteris eventura erant, ſic Judam alloquitur: *Juda, te laudabunt fratres tui . . . adorabunt te filii patris tui .... non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.*

Hæc prophetia manifeſte intelligitur de Meſſia, qui ſolus per excellentiam dicitur *mittendus*, Exodi 4. *Mitte quem miſſurus es*, qui ſolus poteſt dici, *expectatio gentium*, Gen. 28. *Benedicentur in te & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ;* de quo dicitur quod ſit venturus, ubi ſceptrum deſierit eſſe in Juda: atqui jamdiu ſceptrum, ſeu principatus, ſeu regimen politicum deſiit eſſe in Juda: nimirum tempore Herodis, qui erat alienigena, Idumæus ſcilicet,

licet, ſeu ex poſteris Eſau, ut docet Joſeph. *lib.* 14. *Antiq. Judaicarum*, *cap.* 2. Et quo regnante, natus eſt Jeſus Nazarenus, in quo impleta ſunt omnia, quæ de Meſſia prædicta ſunt a Prophetis; ergo, &c.

Objicies 1. Particula, *donec*, in Jacob vaticinio, non ſignificat ceſſationem regiæ dignitatis in Juda, ſed ejuſdem continuationem, ita ut ſenſus ſit: *Poſtquam venerit Meſſias, qui ſceptrum tribui Judæ reſtituet, nunquam deinceps auferetur:* ergo nondum venit Meſſias.

Reſp. nego ant. Abſque ullo enim, vel leviſſimo fundamento, particula, *donec*, vertitur in particulam, *poſtquam*, abſque ullo ſcripturarum exemplo, in quibus particula, *donec*, ceſſationem rei naturaliter ſignificat: ſic Geneſ. 26. de Iſaac dicitur: *Ibat proficiens, atque ſuccreſcens, donec magnus effectus eſt:* tunc enim deſiit ſuccreſcere.

Objicies 2. Vaticinium Jacob non fuit impletum in Jeſu Nazareno: nam 1. Herodes non erat alienigena, cum dicat Nicolaus Damaſcenus *Herodem genus duxiſſe a primoribus Judæorum, qui in Judæam venerant e Babylonia* . . . 2. Sceptrum deſiit in Juda ſexcentis circiter annis ante Chriſti nativitatem quando ſcilicet Nabuchodonoſor, vaſtata Judæa, deſtructa Jeruſalem & incenſo templo, Judæos cum eorum rege Sedecia captivos tranſtulit Babyloniam .... Poſt captivitatem Babylonicam, Machabæi, qui erant ex tribu Levi, tribui Judæ præfuerunt per 400. circiter annos ante adventum Jeſu Nazereni.

Reſp. nego ant. .... Ad 1. *nego ant.* Nam Herodes fuit Idumæus; ergo alienigena: nec audiendus eſt Nicolaus Damaſc. qui hoc ſcripſit ex adulatione, ut inde gratiam Herodis ſibi conciliaret.

Ad 2. *nego ant.* Nam durante captivitate Babylonica, rex Judæorum erat *Joachim* de tribu Juda, quem, in ipſa captivitate, ad ſolium regni exaltavit *Evilmerodach*, rex ſucceſſor Nabuchodonoſoris, 3. *Reg. c. ult.* poſt mortem regis Joachim, *Zorobabel*, ex tribu Juda & regio ſanguine oriundus, recepit legislativam poteſtatem, & ducis nomen; non ergo penitus ablatum eſt ſceptrum de Juda, neque dux de femore ejus in captivitate Babylonica, cujus tamen utriuſque poteſtatis, regiæ & ducalis, ablatio, erat adventus Meſſiæ certum indicium, in Jacob vaticinio indicatum.

Ad 3. *diſt. antec.* Machabæi præfuerunt tribui Juda, auctoritate ab illa tribu accepta *conc.* auctoritate propria ab illa tribu inde pendente, *nego ant.* Itaque tempore Machabæorum, ſuprema poteſtas ſemper manſit penes tribum Juda, quæ ſummos ſacerdotes de tribu Levi, & Concilium *Sanhedrin* eligebat, ut, ſuo nomine & ſecundum ſuas leges, rempublicam adminiſtrarent. Sic hodie apud Polonos viget regia poteſtas, licet ſceptrum gerant principes externi, quia ab illa gente in reges aſſumuntur.

II. Oraculum ducitur ex cap. 9. Danielis, ubi Angelus Gabriel Danielem deprecantem pro libertate populi ſui, conſolatur his verbis: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & impleatur viſio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.* Certum & evidens eſt iſta dici de vero Meſſia; atqui hebdomades 70. intra quas Archangelus Gabriel annuntiat venturum eſſe Meſſiam, jamdiu elapſæ ſunt: nam hebdomada in ſacra Scriptura ſumitur tantum duobus modis, 1. Pro ſeptem diebus; 2. Pro

ſeptem

ſeptem annis; atqui ſive ſeptuaginta hebdomades ſumantur pro hebdomadibus dierum; ſive ſumantur pro hebdomadibus annorum (ut facto ſumi debent) jam diu præterierunt; nam 70. hebdomades dierum conficiunt dies 490. & 70. hebdomades annorum conficiunt annos 490. Hoc porro ſpatium a multis jam ſæculis elapſum eſt; ergo Meſſias jam diu venit.

Objicies: Non poteſt aſſignari tempus, quo 70. hebdomades ſint enumerandæ; ergo ex prophetia Danielis non poteſt colligi, ſaltem certo, Meſſiam promiſſum jam adveniſſe.

Reſp. Dato antecedente (quod tamen falſum eſt, quia juxta fere omnes Chronologos hodiernos, 70. hebdomades ducunt initium ab anno 20. Artaxerxis Longimani, qui eo anno Nehemiæ fecit facultatem iterum ædificandi Jeruſalem, 2. *Eſdræ* 2.) *nego conſeq.* Nam etſi manifeſtum non eſſet, a quo præciſe tempore enumerandæ forent 70. hebdomades, tamen adhuc eſſet evidens elapſam eſſe ultimam, in cujus medio Meſſias prænuntiatur morti tradendus; nam deſinere debuit ante ceſſationem ſacrificii veteris; atqui ſacrificium illud jamdiu deſiit; in uno enim Jeroſolymorum templo*, juxta legis Moſaicæ præſcriptum, ſacrificia offerri poterant; ergo, cum a mille ſeptingentis annis, & amplius, Jeroſolymorum templum dirutum fuerit, ſacrificia apud Judæos omnino deſierunt. Conſule Tom. I. diſſert. 4. ubi duo allata vaticinia, & plura alia accuratius exponuntur.

Quæres 4. *Utrum Jeſus Nazarenus, ſit Meſſias qui venit?*

Reſp. affirm. Quia omnes prophetiæ de Meſſia editæ, in Jeſu Nazareno fuerunt impletæ ut citato loco Tom. I. demonſtravimus.

CAPUT IV.

De cauſis Incarnationis.

Quæres 1. **Q**Uanam *ſit cauſa efficiens Incarnationis?*

Reſp. Eſt tota Trinitas: nam eſt opus ad extra; ſed opera ad extra, ſunt opera totius Trinitatis, cum ſint opera omnipotentiæ tribus perſonis communia; ergo, &c.

Quæres 2. *Quanam ſit cauſa finalis Incarnationis?*

Reſpond. Eſt liberatio hominis a peccato, ejuſque cum Deo reconciliatio, ut fides docet, Joann. 3. *Miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut ſalvetur mundus per ipſum.* Matth. 18. *Venit Filius hominis ſalvare quod perierat*, C. Nicænum I. ſic definit: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit de cælis*, &c. Hinc excluditur error Pelagianorum, qui docuerunt Chriſtum datum eſſe hominibus ut exemplum, Doctorem, & Legislatorem, non vero ut Redemptorem proprie.

Quæres 3. *Utrum Chriſtus venerit, tum propter peccatum originale, tum propter peccata actualia?*

Reſp. affirm. Idque eſt de fide, juxta illud 1. Joann. 1. *Sanguis Jeſu Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Præcipue tamen venit propter peccatum originale, quia totum genus humanum infecit.

Quæres 4. *Utrum, ſi homo non peccaſſet, Verbum, vi præſentis decreti, fuiſſet incarnatum, ſaltem in carne impaſſibili, ut Scotiſtæ fingunt?*

Reſp. negative: Nam 1. Nullibi aut Scriptura, aut traditio aſſerunt, quod Verbum fuiſſet incarnatum, ſi homo non peccaſſet; immo quoties

cies Scriptura de motivo Incarnationis loquitur, non aliud aſſignat, quam peccatum delendum, Joann. 3. *Non miſit Deus Filium ſuum ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum* .... 2. Patres expreſſe docent, Chriſtum, homine non peccante, non fuiſſe venturum: *Si non haberet caro ſalvari*, inquit D. Irenæus, lib. 5. adverſus hæreſes, cap. 4. *nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet*. Origenes, Hom. 24. in Numeros; *Si non fuiſſet peccatum .. manſiſſet*, Chriſtus, *hoc quod in principio erat, Deus Verbum*. Et D. Aug. Serm. 8. de verbis Apoſtoli: *Si homo non periiſſet, Filius hominis non veniſſet*.

Objicies 1. Deus voluit Meſſiæ futuritionem, antequam decerneret hominis futuritionem, juxta illud Prov. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio;* ergo.

Reſpond. nego ant. Ea enim Prov. verba intelliguntur de Chriſto, non ut eſt homo, ſed ut eſt Verbum-Patris: hoc conſtat, quia ibidem de ſeipſo dicit: *Cum eo*, Deo, *eram cuncta componens*, quod de ſolo Verbo æterno dici poteſt.

Objicies 2. Chriſtus, *Coloſſ.* 1. dicitur, *Primogenitus omnis creaturæ;* ergo fuit futurus ante omnem creaturam.

Reſp. diſt. ant. Ut Deus, *conc.* nam addit: *Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt;* ut homo, *ſubdiſt.* prioritate honoris & dignitatis, *conc.* prioritate temporis & intentionis, *nego ant.* cum D. Hieronymo in hunc locum dicente: *Primogenitus, non quod Deus illum ante omnem creaturam producere conſtituerit, ſed quod illi creaturam omnem ſubjecerit.*

Objicies 3. Chriſtus eſt caput Adami innocentis, immo & Angelorum, Coloſſ. 2. *Eſt ca-*

put omnis principatus & poteſtatis; ergo futurus fuit Adamo non peccante.

Reſp. diſt. ant. Eſt caput Adami innocentis & Angelorum, dignitate & excellentia, *conc.* influxu, *nego ant.* Gratia enim, quæ primis parentibus ante lapſum, & Angelis ſanctis conceſſa eſt, erat donum Dei creatoris, non Chriſti redemptoris.

Quæres 5. *Utrum humanitas Chriſti meruerit ſuam cum Verbo divino unionem?*

Reſpond. negative: Quia Chriſti humanitas nunquam fuit ſine unione hypoſtatica; ergo illam non meruit; alias effectus eſſet prior ſua cauſa.

Quæres 6. *Utrum veteres Patriarchæ meruerint Incarnationem ſecundum ſubſtantiam?*

Reſp. negative: Nam Incarnatio, ſecundum ſubſtantiam ſumpta, præſupponitur cuilibet merito; de fide enim eſt nullum in ſtatu naturæ lapſæ meritum eſſe, niſi ex meritis Dei incarnati; ergo, &c.

Objicies: D. Thom. in 3. *q.* 3. *art.* 1. ait: *Acceleratio Incarnationis potuit cadere ſub merito de condigno; Incarnatio autem ſub merito de congruo*; ergo.

Reſp. nego conſeq. Nam Div. Thom. correxit hanc ſententiam in ſua Summa, dicens: *Gratia non poteſt cadere ſub merito, quia eſt merendi principium: unde multo minus incarnatio cadit ſub merito, quia eſt principium gratiæ.*

Quæres 7. *Utrum veteres Patriarchæ aliquas Incarnationis circumſtantias meruerint?*

Reſpond. 1. Nullas meruerunt de condigno; quia nulla ipſis a Deo facta eſt talis promiſſio.

Reſp. 2. Non meruerunt circumſtantias Incarnationis ſecundum præſens decretum neceſſarias; quia Incarnatio ab eis non abſtrahit, ut actu decreta eſt.

Reſp.

Reſp. 3. Meruerunt de congruo aliquas circumſtantias, ſecundum præſens decretum, non neceſſarias: ſic Abraham meruit, ut Chriſtus de ſua ſtirpe naſceretur. Gen. 22. *Benedicentur in ſemine tuo*, id eſt, in Chriſto, *omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Sic Daniel ſuis precibus meruit accelerationem adventus Meſſiæ, *Daniel. 9.*

Quæres 8. *Utrum B. Virgo meruerit divinam maternitatem?*

Reſp. 1. Non meruit de condigno. Quia Deum inter & Beatam Virginem nullum interceſſit pactum de danda illi divina maternitate.

Reſp. 2. Meruit de congruo divinam maternitatem. 1. Quia talis eſt ſenſus Eccleſiæ, quæ ſic congratulatur B. Virgini, *quia quem meruiſti portare, reſurrexit*, &c. 2. Quia ita ſentiunt Patres: D. Hieron. Epiſt. 17. ad Euſtochium: *Propono tibi B. Virginem, quæ tantæ extitit puritatis, ut Mater Domini eſſe mereretur.* D. Auguſt. lib. de nat. & grat. cap. 36. *Concipere meruit & parere eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.*

Objicies 1. Gratiæ ſingulares, quibus cumulata fuit Beata Virgo, ei conceſſæ ſunt intuitu maternitatis divinæ; ergo, cum illæ gratiæ ei omnino gratis conceſſæ fuerint, gratuita quoque debuit eſſe maternitas divina.

Reſp. diſt. ant. Intuitu maternitatis decernendæ propter merita, ad quæ diſponeretur per illas gratias, *conc.* intuitu maternitatis jam decretæ abſolute, *nego ant.* Equidem B. Virgo, a primo inſtanti ſuæ conceptionis, eximiis gratiis & privilegiis fuit præventa, quibus correſpondens, non ſolum fuit condigne diſpoſita, ut eſſet Mater Dei, ſed etiam meruit de congruo divinam illi maternitatem.

Objicies 2. Omnia merita B. Virginis fundata fuere in hoc numero Chriſto, ex hac numero matre genito; ergo merita B. Virginis non præceſſerunt maternitatem, quæ conſequenter non cecidit ſub meritum.

Reſp. diſt. ant. Fundata fuere in Chriſto ex hac numero matre genito, *ſpecificative*, id eſt, qui genitus eſt ex hac matre, *conc.* ex hac numero matre genito, *reduplicative*, id eſt, quatenus ex hac matre genitus eſt, *nego ant.* Nam licet nulla B. Virginis merita fuerint, niſi ex illo, qui eſt filius hujus matris, tamen non fuerunt ex illo, quatenus fuit filius hujus matris. Quod enim Chriſtus ex hac numero matre natus ſit, non fuit circumſtantia neceſſaria ad merendum; prius enim Chriſtus cogitatur naſciturus ex aliqua matre, quam ex hac numero matre.

CAPUT V.

De quidditate Incarnationis.

Agemus 1. De perſona aſſumente, & natura a Verbo aſſumpta; 2. De utriuſque unione hypoſtatica.

QUÆSTIO I.

De perſona aſſumente & natura aſſumpta.

Quæres 1. *Quanam perſona divina aſſumpſit naturam humanam?*

Reſpond. Sola perſona Filii: nam Joann. 1. de perſona Filii dicitur: *Verbum caro factum eſt*. Quod nullibi de Patre aut Spiritu ſancto dicitur. Unde Chriſtus ſe minorem Patre dicit; ſcilicet, ratione humanitatis aſſumptæ.

Hinc

Hinc excluditur error Sabellianorum, qui negantes realem perſonarum diſtinctionem, docebant Verbum non potuiſſe incarnari, quin Pater & Spiritus ſanctus incarnarentur: unde *Patripaſſiani* dicti ſunt.

Objicies: Una perſona non poteſt videri intuitive abſque altera; ergo non incarnari.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod eſſentia divina, quæ eſt primarium viſionis intuitivæ objectum, identificetur tribus perſonis, & conſequenter non poſſit ſine illis videri intuitive; econtra tres perſonæ a ſe invicem realiter diſtinguuntur, ac proinde terminatio humanitatis, quæ eſt effectus relativus, poteſt prodire ab una perſona, abſque eo quod prodeat ab aliis.

Quæres 2. *Utrum Verbum aſſumpſerit verum & reale corpus?*

Reſp. affirm. Nam 1. Scripturæ verum Corpus Chriſto tribuunt: Joann. 1. *Verbum caro factum eſt.* Lucæ ult. Chriſtus, poſt reſurrectionem, ſuum Corpus diſcipulis palpandum obtulit .... 2. Chriſtus eſt verus homo, Jo: 8. *Quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus ſum vobis.* Ex Conc. Nicæno I. *Incarnatus eſt, & homo factus eſt* ..... 3. Eccleſia damnavit Simonem magum, Menandrum, Saturninum, Marcionem, &c. Quod contenderent, Chriſti Corpus non fuiſſe verum, ſed apparens tantum & phantaſticum.

Objicies 2. Chriſtus, *Philipp.* 2. dicitur: *In ſimilitudinem hominum factus.* Ergo non habuit veram carnem, ſed apparentem & phantaſticam.

Reſp. diſt. ant. In ſimilitudinem hominum, quoad ſtatum peccati, in quo ſunt homines, *conc.* ſcilicet, ut ait idem Apoſtolus, Rom. 8. *Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem car-*

nis peccati. Quoad ſubſtantiam, *nego ant.* Eſt enim verus homo, unde additur: *Factus eſt obediens uſque ad mortem*, homo vero niſi verum Corpus habeat, non moritur.

Objicies 2. Apoſtolus, 2. *Cor.* 5. dicit: *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus*; ergo Chriſtus non habet veram carnem.

Reſp. nego conſeq. Alias ſequeretur nullum hominem habere veram carnem, cum Apoſtolus dicat: *Neminem novimus ſecundum carnem*. Senſus ergo eſt, licet olim pluris fecerimus Chriſtum habere pro conſanguineo, nunc mortui veteris vitæ affectibus, anguſtius de eo ſentimus, nec amplius eum novimus *ſecundum carnem*, ſed, *ſecundum ſpiritum*, ut auctorem gratiæ & ſalutis, qualem eum toto orbe prædicamus.

Quæres 3. *Utrum Corpus Chriſti fuerit terrenum, an vero cæleſte?*

Reſp. Fuit terrenum, ut Eccleſia definivit contra Valentinum, Apollinarem & Apellem: ratio eſt, quia natus eſt de Maria Virgine, Matth. 10. *de qua natus eſt Jeſus*.

Objicies: Apoſtolus, 1. *Cor.* 15. Chriſtum Adamo opponens, ait: *Primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo de cælo, cæleſtis*; ergo Chriſtus habuit corpus cæleſte.

Reſp. nego conſeq. Chriſtus non dicitur cæleſtis, quod habuerit corpus cæleſte; ſed quod ſubſtiterit ſubſiſtentia Verbi divini.

Quæres 4. *Utrum Verbum immediate aſſumpſerit dentes, ungues, capillos, tres humores, & maxime ſanguinem?*

Reſp. affirm. Nam immediate aſſumpſit quidquid ad naturæ humanæ perfectionem & integritatem pertinet; atqui dentes, ungues, & capilli, ad naturæ humanæ perfectionem & ornatum pertinent; tres vero humores, & maxime

xime ſanguis ad ejuſdem integritatem ſpectant; ergo.

Quæres 5. *Utrum Verbum aſſumpſit veram animam humanam?*

Reſp. affirm. Nam 1. Chriſtus, *Joann.* 10. ait: *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam,* in reſurrectione . . . . 2. Damnati ſunt Ariani, quod vellent Verbum carnem aſſumpſiſſe abſque anima, cujus vices obibat ipſummet Verbum . . . . 3. Chriſtus eſt verus homo; ergo animam rationalem habuit.

Quæres 6. *Utrum anima Chriſti fuerit mente prædita?*

Reſp. affirm. Eſtque de fide contra Apollinarem: unde Sanctus Fulgentius, *de fide ad Petrum*, *cap.* 24. dicit: *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, Chriſtum Filium Dei habere veram noſtri generis carnem, & animam rationalem.* Ratio eſt, quia in Chriſto fuerunt paſſiones humanæ; atqui illæ paſſiones nihil aliud ſunt, quam affectiones animæ rationalis, cum ex perceptione boni præſentis, vel mali imminentis oriantur; ergo.

Objicies: Mens humana eſt imago Verbi; ergo hæc Verbo præſente, evaneſcere debet.

Reſpond. diſt. ant. Eſt imago Verbi a Verbo perficienda, *conc.* ſupplens vicem Verbi, *nego ant.* Equidem imago rei, ſupplens illius vicem, evaneſcit re præſente; ſed non evaneſcit, ſi a re, cujus eſt imago, ſit perficienda: ſic imago hominis in ſpeculo, quia perficitur ab homine, non evaneſcit eo præſente, immo reſultat ex ejus præſentia.

Quæres 7. *Utrum Verbum aſſumpſerit voluntatem humanam?*

Reſp. Aſſumpſit: unde in Chriſto ſunt duæ voluntates, duæque operationes, divina nimirum & humana. Nam 1. Chriſtus ipſe ſuam huma-

humanam voluntatem a Patris, & conſequenter Verbi, voluntate diſtinxit, Lucæ 22. *Non mea voluntas, ſed tua fiat*. Supra quæ verba S. Athanaſ. *lib. de Incarnatione*, dicit: *Cum ait;* non mea voluntas, ſed tua fiat .... *duas voluntates ibi oſtendit, alteram humanam, quæ eſt carnis; alteram divinam quæ Dei eſt* . . . .
2. Monothelitæ in IV. Synodo tanquam hæretici damnati ſunt, quod unam, (Verbi nimirum) in Chriſto voluntatem fuiſſe contenderent; definitumque eſt: *Uti duas naturas accepimus, ita & duas naturales voluntates, & naturales ipſius operationes agnoſcimus*.

Objicies 1. D. Dionyſius, *lib. de divinis nominibus*, docet; *Unam eſſe in Chriſto Dei virilem operationem*. Ergo.

Reſp. 1. *nego ant.* Nam in textu legitimo, legitur, *novam operationem*, pro quo Monothelitæ ſubſtituerunt hæc verba: *Unam operationem*, ut ipſis exprobrat Martinus Papa I. in Concil. Lateranenſi conſultatione tertia.

Reſp. 2. *diſt. conſeq.* Eſt una operatio in Chriſto mixta, *conc.* ſimplex, *nego conſeq.* Itaque triplex fuit genus actionum Chriſti, ſcilicet, pure divinæ, pure humanæ, & mixtæ ... pure divinæ, ſunt eæ quæ a Chriſto emanarunt, ut Deus eſt, id eſt, abſque ullo ad humanam naturam reſpectu, ut ſunt rerum conſervatio, ſanatio infirmi a Chriſto abſente. *Pure humanæ*, ſunt eæ, quæ naturæ humanæ ſunt propriæ, ut edere, flere, velle, intelligere, &c. *Mixtæ*, ſunt eæ quæ ab utraque natura prodierunt, v. g. dum Chriſtus ſuo contactu curabat ægrotos: in ea quippe curatione agebat utraque natura, divina nempe per ſuam omnipotentiam, & humana per ſuum contactum. Hæc non eſt ſimplex, ſed duplex operatio, divina nempe & humana, quæ licet non ſint

divi-

diviſæ, ſunt tamen realiter a ſe invicem diſtinctæ. Porro hæc mixta operatio, a Græcis vocatur, *Theandrica*, & a Latinis *Dei virilis*, id eſt, Dei hominis operatio.

Objicies 2. Actiones ſunt ſuppoſitorum; atqui in Chriſto unicum eſt ſuppoſitum; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Sunt ſuppoſitorum denominative, *conc.* elicitive, *nego major.* Itaque ſola natura eſt principium elicitivum actionum, unde earum unitas, vel multiplicitas deſumitur ab unitate, vel multiplicitate naturæ, non vero ab unitate vel multiplicitate ſuppoſiti.

Quæres 8. *Utrum Verbum aſſumpſerit omnes corporis humani defectus communes?* v. gr. famem, ſitim, corruptibilitatem, mortem, &c.

Reſpond. affirmat. Nam, *Eſuriit*, Matth. 4. *fatigatus ex itinere, ſedit*, Joann. 4. *Flevit ſuper Jeruſalem*, Lucæ 19. *Crucifixus eſt ex infirmitate*, 2. Cor. 13. unde Conc. Epheſ. Anathematiſmo 12. definit: *Si quis non confitetur Dei Verbum carne paſſum & crucifixum, mortemque guſtaſſe, anathema ſit*. Hinc damnatur error Juliani Halicarnenſis, qui aſſerebat carnem Chriſti fuiſſe incorruptibilem & impaſſibilem.

Objicies: Pſalm. 25. David prædixit carnem Chriſti fore incorruptibilem; *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Ergo.

Reſp. diſt. ant. Poſt ejus mortem, *conc.* ante ejus mortem, *nego ant.* David ergo loquitur de corruptione putredinis, quam non ſenſit caro Chriſti, non vero de corruptione alterationis & mortis.

Inſtab. Illi defectus & dolores ſunt pœnæ peccati; atqui nullum fuit in Chriſto peccatum.

Reſp. diſt. ant. Sunt pœnæ peccati proprii, vel

vel alieni, *conc.* proprii ſemper, *nego ant.* In Chriſto ergo fuerunt pœnæ peccati alieni, nempe hominis, pro quo ſe vadem ac ſponſorem dedit.

Objicies 2. Viſio beatifica excludit omnem dolorem ſenſibilem; atqui, &c.

Reſp. diſt. maj. Si non impediatur ne animæ felicitas in corpus & inferiores potentias reſiliat, *conc.* ſi impediatur, *nego maj.* Hoc autem Deus impedivit in Chriſto.

Quæres 9. *Utrum Verbum aſſumpſerit defectus corporis humani particulares?* v. g. morbos, deformitatem, &c.

Reſp. negat. Nam illi defectus proveniunt ex triplici veluti radice; 1. Ex culpa, puta intemperantia. 2. Ex aeris intemperie. 3. Ex defectu virtutis formatricis. Atqui ex nulla harum radice evenire potuerunt in Chriſto. 1. *Non ex culpa*, nam fuit impeccabilis; 2. *Non ex aeris intemperie*, nam optimi fuit temperamenti, unde facillimè potuit inclementiæ aeris reſiſtere. 3. *Non ex defectu virtutis formatricis:* nam corpus ejus formatum eſt de Spiritu ſancto, cujus virtus deficere non poteſt.

Objicies: Iſaiæ 53. de Chriſto dicitur: *Non eſt ſpecies ei, neque decor.*

Reſp. Iſaias loquitur de Chriſto pendente in patibulo, non autem ante paſſionem, ut interpretatur D. Hieron. in hunc locum.

Quæres 10. *Utrum peccatum fuerit in Chriſto?*

Reſp. negative: Juxta illud ad Hebr. 4. *Habemus Pontificem tentatum per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato.* Et illud 1. Petri 2. *Chriſtus peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.*

Objicies: Chriſtus, Pſalm. 21. ait: *Longe a ſalute mea verba delictorum meorum.* Apoſt. 2. Cor. 5. de Chriſto, dicit: *Eum qui*

non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit; Ergo.

Reſp. ad 1. Quod Chriſtus peccata noſtra, vocat ſua, quia debitum ſatisfaciendi pro illis in ſe ſuſcepit . . . . . *Ad* 2. Peccatum ibi ſumitur pro hoſtia, ſeu victima pro peccato, quo ſenſu Oſeas, *cap.* 4. *de ſacerdotibus*, ait: *Peccata populi mei*, id eſt, hoſtias pro peccatis oblatas, *comedent*.

Quæres 11. *Utrum humanitas Chriſti, ſeu Chriſtus ut homo, fuerit impeccabilis?*

Reſp. affirm. Nam Lucæ 1. dicitur: *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei*... 2. Id expreſſe aſſerit D. Auguſt. lib. 2. de peccat. meritis, c. 11. *In cujus non tantum divinitate, ſed nec in anima, nec in carne ullum potuit eſſe peccatum* ..... 3. Potentia peccandi tribui poſſet Verbo tanquam principio *quod*: nempe denominationes tribuuntur ſuppoſito tanquam principio *quod*, ſic Verbo propter unionem cum natura humana, mors, fames, &c. tribuuntur; atqui id impium eſt; ergo, &c.

Objicies: Chriſtum potuiſſe mori non repugnat; ergo nec repugnat eum potuiſſe peccare: non enim Deus minus eſt vivens per eſſentiam, quam ſanctus per eſſentiam.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod mors ſit malum pœnæ, cujus Deus auctor eſſe poteſt: quare nihil impedit, quominus, per idiomatum communicationem, Deus, in natura creata ſubſiſtens, dicatur mortuus; econtra peccatum eſt malum culpæ, cujus Deus nec directe, nec indirecte auctor eſſe poteſt: ac proinde peccatum magis repugnat ſanctitati per eſſentiam, quam mors repugnet vitæ per eſſentiam in aliena natura ſubſiſtenti.

Quæres 12. *Unde repeti debeat impotentia peccandi in Chriſto?*

Reſp.

Reſp. Repetenda eſt præciſe ex hypoſtatica naturæ humanæ cum Verbo unione. Nam 1. Eſt communis contra Durandum, Gabrielem, & Scotum, qui eam repetunt ex viſione beatifica, gratia juſtificante, & ſingulari Dei protectione, quæ ſi a Chriſto ſeparata fuiſſent, inquiunt, peccare potuiſſet .... 2. Quia eſt ſententia Patrum: S. Athanaſ. *ſerm. 2. contra Apollinarem*, de Chriſto dicit, quod ſit *ſanctus natura ſua, & immutabilis ad malum*. Atqui natura Chriſti conſiſtit in unione hypoſtatica humanitatis cum Verbo; ergo D. Ambroſ. *lib. de incarnat. c. 7.* dicit: *Anima Chriſti eſt incapax peccati, quia per unionem facta eſt impeccabilis* ..... 3. Quia ſi humanitas Verbo unita poſſet peccare, ipſum Verbum poſſet peccare, non ſolum denominative, ſed etiam formaliter: nam quando plures naturæ in idem ſuppoſitum conveniunt, tenetur ſuperior, ſaltem ſi commode poſſit, regere inferiorem, & impedire ne peccet, alioqui peccatum ipſi imputatur; atqui natura divina & humana in idem Chriſti ſuppoſitum conveniunt; ergo, &c.

Objicies 1. In Deum nulla cadit obligatio; ergo non tenetur gubernare naturam humanam a ſe aſſumptam.

Reſp. diſt. ant. Nulla cadit obligatio ex aliqua lege ſuperioris, *conc.* ex rectitudine divinæ voluntatis, *nego ant.* Sic Deus tenetur non mentiri, quia tenetur ad nihil faciendum ſuæ ſapientiæ & ſanctitati repugnans, ad idque ex ſuis intrinſecis determinatur ac neceſſitatur.

Objicies 2. Per actiones naturæ aſſumptæ honeſtas, Verbum ſecundum ſe, non meruit; ergo a pari non peccaret per ejuſdem actiones inhoneſtas.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod Verbum ſecundum ſe, actiones honeſtas naturæ aſſum-

aſſumptæ non obtulit alteri a ſe tanquam ſuperiori, a quo poſſit præmium accipere, quod antecedenter non ſit ſuum, quod tamen eſſentialiter requiritur ad rationem meriti; verum permittendo actiones inhoneſtas fieri a natura ſibi hypoſtatice unita, voluntate divina conſentiret in actiones eſſentiali ſuæ bonitati ac ſanctitati repugnantes, eaſque produceret ut ſuas, adeoque peccaret ſecundum ſe, quod omnino repugnat.

Quæres 13. *Utrum fuerit in Chriſto fomes peccati?*

Reſp. Non fuit: quia fomes peccati oritur a peccato originali, quod Chriſtus nec contraxit, nec debitum habuit contrahendi, cum non deſcenderit ab Adamo via ordinaria. Hinc in quinta Synodo anathematizantur, qui, cum Theodoro Mopſueſteno, dicebant Chriſtum fuiſſe motibus concupiſcentiæ obnoxium.

Objicies: Chriſtus, *Hebræor.* 4. dicitur: *Tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Ergo tentatus fuit a fomite peccati.

Reſp. diſt. antec. Tentatus fuit, tentatione extrinſeca, v. g. a diabolo, *conc.* tentatione intrinſeca, quæ eſt a fomite peccati, *nego ant.* Fuit ergo tentatus experientia malorum quibus obnoxii ſumus, hoc autem abſque peccato, & iis quæ ſunt, vel effectus, vel cauſæ peccati.

Quæres 14. *Utrum in Chriſto fuerint animæ paſſiones?*

Reſp. affirmative: Nam in eo fuit triſtitia, Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Fuit amor, Joann. 11. *Domine, ecce quem amas, infirmatur.* Fuit timor, Marci 14. *Cœpit pavere & tædere,* &c. Ratio eſt, quia paſſiones ſunt connaturales appetitus ſenſitivi perfectiones, quæ nec dedecent naturam humanam

Ver-

Reſp. Repetenda eſt præciſe ex hypoſtatica naturæ humanæ cum Verbo unione. Nam 1. Eſt communis contra Durandum, Gabrielem, & Scotum, qui eam repetunt ex viſione beatifica, gratia juſtificante, & ſingulari Dei protectione, quæ ſi a Chriſto ſeparata fuiſſent, inquiunt, peccare potuiſſet .... 2. Quia eſt ſententia Patrum: S. Athanaſ. *ſerm. 2. contra Apollinarem*, de Chriſto dicit, quod ſit *ſanctus natura ſua, & immutabilis ad malum*. Atqui natura Chriſti conſiſtit in unione hypoſtatica humanitatis cum Verbo; ergo D. Ambroſ. *lib. de incarnat. c. 7.* dicit: *Anima Chriſti eſt incapax peccati, quia per unionem facta eſt impeccabilis .....* 3. Quia ſi humanitas Verbo unita poſſet peccare, ipſum Verbum poſſet peccare, non ſolum denominative, ſed etiam formaliter: nam quando plures naturæ in idem ſuppoſitum conveniunt, tenetur ſuperior, ſaltem ſi commode poſſit, regere inferiorem, & impedire ne peccet, alioqui peccatum ipſi imputatur; atqui natura divina & humana in idem Chriſti ſuppoſitum conveniunt; ergo, &c.

Objicies 1. In Deum nulla cadit obligatio; ergo non tenetur gubernare naturam humanam a ſe aſſumptam.

Reſp. diſt. ant. Nulla cadit obligatio ex aliqua lege ſuperioris, *conc.* ex rectitudine divinæ voluntatis, *nego ant.* Sic Deus tenetur non mentiri, quia tenetur ad nihil faciendum ſuæ ſapientiæ & ſanctitati repugnans, ad idque ex ſuis intrinſecis determinatur ac neceſſitatur.

Objicies 2. Per actiones naturæ aſſumptæ honeſtas, Verbum ſecundum ſe, non meruit; ergo a pari non peccaret per ejuſdem actiones inhoneſtas.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod Verbum ſecundum ſe, actiones honeſtas naturæ

aſſum-

aſſumptæ non obtulit alteri a ſe tanquam ſuperiori, a quo poſſit præmium accipere, quod antecedenter non ſit ſuum, quod tamen eſſentialiter requiritur ad rationem meriti; verum permittendo actiones inhoneſtas fieri a natura ſibi hypoſtatice unita, voluntate divina conſentiret in actiones eſſentiali ſuæ bonitati ac ſanctitati repugnantes, eaſque produceret ut ſuas, adeoque peccaret ſecundum ſe, quod omnino repugnat.

Quæres 13. *Utrum fuerit in Chriſto fomes peccati?*

Reſp. Non fuit: quia fomes peccati oritur a peccato originali, quod Chriſtus nec contraxit, nec debitum habuit contrahendi, cum non deſcenderit ab Adamo via ordinaria. Hinc in quinta Synodo anathematizantur, qui, cum Theodoro Mopſueſteno, dicebant Chriſtum fuiſſe motibus concupiſcentiæ obnoxium.

Objicies: Chriſtus, *Hebræor.* 4. dicitur: *Tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*. Ergo tentatus fuit a fomite peccati.

Reſp. diſt. antec. Tentatus fuit, tentatione extrinſeca, v. g. a diabolo, *conc.* tentatione intrinſeca, quæ eſt a fomite peccati, *nego ant.* Fuit ergo tentatus experientia malorum quibus obnoxii ſumus, hoc autem abſque peccato, & iis quæ ſunt, vel effectus, vel cauſæ peccati.

Quæres 14. *Utrum in Chriſto fuerint animæ paſſiones?*

Reſp. affirmative: Nam in eo fuit triſtitia, Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Fuit amor, Joann. 11. *Domine, ecce quem amas, infirmatur*. Fuit timor, Marci 14. *Cœpit pavere & tædere*, &c. Ratio eſt, quia paſſiones ſunt connaturales appetitus ſenſitivi perfectiones, quæ nec dedecent naturam humanam

Ver-

Verbo hypoſtatice unitam, nec ſtatui beatitudinis repugnant.

Quæres 15. *Utrum paſſiones in Chriſto noſtris paſſionibus fuerint ſimiles?*

Reſpond. Fuerunt ſimiles quoad ſubſtantiam, quia fuit homo nobis conſubſtantialis. Non fuerunt ſimiles quoad modum; 1. Quia paſſiones in nobis plerumque feruntur ad illicita, quod non fuit in Chriſto. 2. Quia frequenter in nobis præveniunt judicium rationis, ſed in Chriſto ſemper oriebantur ſecundum diſpoſitionem rationis. 3. In nobis ſæpe trahunt ac perturbant rationem, quod in Chriſto non fuit. Ita D. Thom. q. 15. art. 4.

QUÆSTIO III.

De unione hypoſtatica.

Quæres 1. U*Trum unio hypoſtatica ſit idem cum productione humanitatis Chriſti?*

Reſp. negat. Nam productio humanitatis Chriſti, cum ſit opus ad extra, eſt actio toti Trinitati communis, unio vero ſolius eſt Verbi divini; ergo illæ duæ actiones ſunt realiter diſtinctæ.

Objicies 1. Leo mag. Epiſt. 11. dicit: *Natura noſtra non ſic aſſumpta eſt, ut prius creata, poſtea aſſumeretur, ſed ut ipſa aſſumptione crearetur.* Ergo.

Reſp. nego conſeq. Nam his verbis S. Leo docet concomitantiam, non vero identitatem duplicis illius actionis, ut inde refelleret Neſtorium, qui contendebat humanitatem Chriſti aliquo tempore realiter fuiſſe ſine unione cum Verbo, ex quo concludebat B. V. M. eſſe quidem Chriſti-param, non vero Deiparam.

Obji-

Objicies 2. Maria Virgo eſt vere Mater Dei; atqui non eſt vere Mater Dei, niſi actio humanitatis productiva, ſit eadem ac actio unitiva humanitatis ejuſdem cum Verbo; ergo.

Reſp. nego min. Nam ut B. V. M. vere ſit Mater Dei ſufficit ut ejus actio generativa, terminata fuerit ad humanitatem eodem inſtanti aſſumptam, licet forte in poſteriori naturæ.

Quæres 2. *Utrum unio hypoſtatica ſit entitas realiter diſtincta a Verbo & humanitate unitis?*

Reſp. Non eſt: ſive illa entitas ſit qualitas ſupernaturalis abſoluta, ut voluit Gabriel: ſive ſit relatio realis humanitatis ad Verbum, ut voluit Scotus: ſive ſit entitas modalis a Verbo & humanitate realiter diſtincta, ut voluit Suarez. 1. Quia non poteſt admitti entitas copulans humanitatem cum Verbo divino, quin recipiatur tum in Verbo, tum in humanitate; atqui illa non poteſt recipi in Verbo, alias mutaretur: ergo. 2. Quia ſi unio hypoſtatica ſit entitas realiter ab extremis diſtincta, debet admitti ſecunda entitas, per quam prima uniatur, & tertia per quam uniatur ſecunda, & ſic in infinitum; atqui ille in infinitum proceſſus repugnat; ergo, &c.

Objicies 1. Humanitas Chriſti ad unionem erat indifferens; ergo debuit per aliquid reale ſuperadditum determinari.

Reſp. nego conſeq. Nam indifferentia unibilium tollitur per acceſſionem unius ad aliud; & ideo indifferentia humanitatis Chriſti ad ſui unionem cum Verbo fuit ſublata per actionem qua Verbum illi ſuum eſſe divinum communicavit.

Objicies 2. D. Thom. 3. *part. q.* 2. *art.* 7. dicit: *Unio eſt relatio quadam, quæ conſideratur inter divinam naturam & humanam, ſecundum quod con-*

conveniunt in una perſona Filii Dei; ergo ipſamet unio eſt relatio.

Reſp. diſt. conſeq. Unio, ſumpta pro mutua habitudine quæ oritur ex conjunctione humanitatis & Verbi, *conc.* ſumpta pro formali humanitatis & Verbi vinculo, *nego conſeq.* Ita Cajetanus D. Thomam interpretatur.

Quæres 3. *Quid ſit ergo unio hypoſtatica?*

Reſp. Nihil aliud eſt, quam communicatio divini eſſe, a Verbo facta humanitati, eam transferendo in ſuam propriam ſubſiſtentiam; nam, poſita illa communicatione, concipi & exponi poſſunt omnia Incarnationis myſteria, ut probavimus Tomo I.

Quæres 4. *Quinam erraverint circa modum quo facta eſt unio hypoſtatica?*

Reſp. Erraverunt *Neſtorius*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, & *Eutyches*, Conſtantinopoli Abbas.

1. *Neſtorius* docuit, unionem Verbi divini cum humanitate, non fuiſſe factam in perſona, & ideo non fuiſſe phyſicam, ſubſtantialem & hypoſtaticam, ſed moralem tantum & accidentalem, qualis reperitur inter Deum & templum in quo habitat: ex qua doctrina;

Sequitur 1. Duas eſſe in Chriſto perſonas, divinam nempe & humanam.

Sequitur 2. Verbum aſſumpſiſſe hominem, tum natura, tum perſona perfectum, qui primum in utero B. Mariæ Virginis formatus, poſtea ad unionem cum Verbo aſſumptus eſt; ex quo neceſſario ſequitur, Chriſtum non eſſe vere Deum, & B. V. Mariam non eſſe Matrem Dei, ſed tantum Chriſti.

Sequitur 3. Admitti non debere realem idiomatum communicationem, qua utriuſque naturæ proprietates de ſe invicem prædicarentur in Chriſto.

2. *Eu-*

2. *Eutyches* docuit ante unionem duas fuiſſe in Chriſto naturas realiter diſtinctas, divinam ſcilicet & humanam; poſt unionem vero unam tantum remanſiſſe: ſive quia natura humana converſa eſt in divinam, a qua penitus abſorpta eſt; ſive quia ex duabus naturis confuſis & permixtis, conflata eſt una tertia natura a duabus diſtincta, ſicut mixtum ex elementis ſubſtantialiter tranſmutatis producitur.

Quæres 5. *Utrum unio Verbi facta ſit in unitate perſonæ?*

Reſp. affirmat. Nam 1. Scriptura aperte docet, unum eundemque Chriſtum eſſe Deum & hominem, Rom. 9. *Iſraelitæ .... ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus.* Philip. 2. *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*, &c. Ergo ſi unus & idem eſt homo & Deus, non duæ, ſed una eſt in Chriſto perſona: particula enim, *qui*, in his textibus deſignat perſonam. 2. Conc. Epheſinum ſic definit: *Si quis non confitetur Dei Verbum carni ſecundum hypoſtaſim unitum, & unum tantum cum ſua carne Chriſtum, eundem nimirum Deum ſimul & hominem anathema ſit.* 3. Duæ naturæ formaliter ab invicem diſtinctæ, de ſe invicem ſubſtantive & in concreto prædicari non poſſunt, niſi uniantur in perſona; atqui natura divina & humana formaliter ab invicem in Chriſto diſtinctæ, de ſe invicem ſubſtantive & in concreto prædicantur: dicitur enim, *Deus eſt homo, homo eſt Deus*; ergo, &c.

Objicies 1. Humanitas Chriſti vocatur templum divinitatis: Joann. 2. *Solvite templum*

hoc,

hoc, &c. ergo diverſa eſt perſona Verbi & humanitatis.

Reſp. diſt. ant. Vocatur templum improprie, *conc.* proprie, *nego ant.* Itaque Verbum dicitur inhabitare humanitatem, metaphorice, eodem nempe modo, quo anima noſtra dicitur inhabitare corpus noſtrum, 2. Cor. 5. *Si terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur*, &c. Attamen non licet inferre in homine duas eſſe perſonas.

Objicies 2. SS. Patres Chriſtum vocant, *Hominem deiferum*, *deificatum*, *dominicum*, *divinitatis templum*, *divinitatis inſtrumentum*; atqui illæ omnes loquendi formulæ indicant unionem duntaxat moralem inter utramque in Chriſto naturam; ergo, &c.

Reſp. nego minor. Illi enim termini indifferentes ſunt ad exprimendam unionem moralem tantum, vel phyſicam & ſubſtantialem; perſonarum ergo loquentium mens, ſcopus, & circumſtantiæ accurate penſandæ ſunt, ut genuinus verborum illorum ſenſus habeatur. Chriſtus ergo a Patribus dicitur, *deifer*, *deificus*, *dominicus*, quia Deum ſibi hypoſtatice unitum defert. Vocatur, *templum divinitatis*, ſubſtantialiter & hypoſtatice inhabitantis. Vocatur, *inſtrumentum divinitatis*, ſed conjunctum, pertinens ad unitatem perſonæ.

Quæres 6. *Utrum B. V. Maria vere & proprie ſit Mater Dei?*

Reſpond. affirmative: Nam genuit Filium Dei, Lucæ 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei;* ergo eſt vere & proprie Mater Dei, prout definitum eſt in Conc. Epheſino contra Neſtorium, his verbis. *Si quis non confitetur, Emmanuelem vere Deum eſſe, & ob id Sanctam Virginem Deiparam (genuit enim illa in-*

la incarnatum Dei Patris Verbum ſecundum carnem) anathema ſit.

Objicies 1. B. V. Maria non genuit divinitatem; ergo.

Reſp. nego conſeq. Nam ut B. V. Maria ſit Mater Dei, ſufficit quod eum genuerit, qui non prius homo quam Deus extitit, eodem fere modo, quo, ut mulier aliqua vere dicatur mater hominis corpore & anima conſtantis, non opus eſt ut animam ipſam genuerit, ſed ſufficit, ut eum genuerit, qui anima præditus eſt.

Objicies 2. Mater debet eſſe ejuſdem naturæ cum Deo; atqui B. V. Maria non eſt ejuſdem naturæ cum Deo; ergo.

Reſp. nego maj. Nam, ut B. V. Maria dicatur & ſit Mater Dei, ſufficit, ut ejus partus ad ſuppoſitum divinum terminatus ſit.

Quæres 7. *Utrum unio Verbi incarnati facta fuerit in unitate naturæ, ita ut unica ſit in Chriſto natura?*

Reſp. negative: Quia Chriſtus non poteſt eſſe Deus & homo, quin in eo ſit utraque natura divina & humana, non confuſa & permixta, ſed omnino diſtincta; atqui Chriſtus eſt verus Deus, Matth. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Eſt etiam verus homo, Joann. 8. *Quæritis me interficere hominem, qui vera locutus ſum vobis.* Ergo .... Hinc Conc. Chalcedonenſe definit, *Chriſtum* eſſe *Deum verum & hominem verum, conſubſtantialem Patri ſecundum deitatem, conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem .... unum eundemque Chriſtum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfuſe, incommutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter agnoſcendum.*

Objicies 1. Julius S. P. *Epiſt. ad Dionyſium*, dicit: *Neceſſe eſt eos, cum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare.*

Et Div. Gregor. Thaumaturgus, in expoſit. fidei. *Non duæ perſonæ*, inquit, *neque duæ naturæ, non enim quatuor nos adorare dicimus*. Ergo.

Reſp. Quod illa ſcripta falſo ab Eutychianis adſcribantur illis Patribus, ut probat Leontius, *Bibl. PP. tom. 9. p. 707. G.*

Objicies 2. D. Cyrillus, *Epiſt. 1. ad Succeſſum*, negat duarum naturarum diſtinctionem poſt unionem: *Poſt unitionem*, inquit, *naturas eaſdem a ſe mutuo non dividimus*.

Reſp. nego antec. Non enim negat diſtinctionem naturarum, ſed negat tantum earum diviſionem & ſeparationem, quia nimirum in unitate perſonæ adunantur.

Inſt. Idem, *Epiſt.* 2. docet duas naturas in Chriſto *ſola mentis conſideratione diſtingui*; ergo non ſunt diſtinctæ realiter.

Reſp. nego conſeq. Nam utitur verbo, *diſtingui*, pro verbo, *dividi* & *ſeparari*, quod patet ex eo quod in exemplum diſtinctionis de qua agit, profert unionem animæ cum corpore, quæ licet diſtincta ſint, non ſunt tamen ſeparata.

Objicies 3. S. Athanaſ. in Symbolo ait: *Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus*. Atqui anima & corpus in unam hominis naturam coaleſcunt; ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Nam in eo tantum valet comparatio a D. Athanaſio allata, quod ſicut ex unione animæ & corporis, una reſultat hominis perſona, ita & in Chriſto ex utriuſque naturæ unione.

Quæres 8. *Utrum unio hypoſtatica ſit quid creatum?*

Reſp. Eſt quid creatum, non *ſtricte*, quatenus creatio dicitur productio rei ex nihilo; ſed *late*, quatenus ſumitur pro actione qua aliquid

quid ſit, quod ante non erat: ratio eſt, quia Incarnatio facta eſt in tempore.

Quæres 9. *Utrum unio hypoſtatica ſit ſubſtantialis?*

Reſpond. affirm. ut probavimus contra Neſtorium.

Quæres 10. *Utrum unio hypoſtatica ſit ſupernaturalis?*

Reſpond. affirmative: Nam ad eſſe perſonale cum Deo attolli, eſt naturæ creatæ prorſus indebitum, omnemque illius exigentiam ſuperat.

Objicies; SS. Patres & Concilia docent unionem hypoſtaticam eſſe naturalem.

Reſp. Tò, *naturale*, opponunt ficto & umbratili; non vero opponunt gratuito beneficio.

Quæres 11. *Utrum unio hypoſtatica ſit indiſſolubilis?*

Reſp. affirmative: Nam, Joann. 12. *Chriſtus manet in æternum*, & Hebr. 13. *Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula.* Unde axioma theologicum, *Quod ſemel Verbum aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Ergo in triduo mortis Verbum manſit unitum cum corpore & anima ſeparatis; ſed,

Quæres 12. *An Sanguis in Paſſione effuſus, toto triduo mortis remanſerit Verbo unitus?*

Reſp. affirm. Nam 1. fuit pars naturæ humanæ integrans, in reſurrectione reaſſumenda. 2. Si in triduo mortis Calix fuiſſet conſecratus, Verbum per concomitantiam fuiſſet ſub ſpeciebus vini, juxta illud Joann. 6. *Qui bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Quæres 13. *Utrum totus Sanguis in Paſſione effuſus, reaſſumptus fuerit a Verbo in reſurrectione?*

Reſpond. Reaſſumptus fuit totus moraliter, id eſt, quoad maximam partem; ſed probabile eſt

L 2 quod

quod non fuerit reaſſumptus totus phyſice: nam in linteaminibus, lancea, corona ſpinea, &c. remanſerunt maculæ ſanguineæ, quæ certe non fuerunt purus color, cum colores non ſint activi, nec aliter communicentur, quam per adhæreſcentiam ſubſtantiæ coloratæ.

Quæres 14. *Utrum ex unione hypoſtatica Verbi cum humanitate ſequatur, perſonam Chriſti eſſe compoſitam?*

Reſpond. 1. Non eſt compoſita compoſitione, *ex his*. Nam omnis compoſitio *ex his*, fit ex partibus proprie dictis; atqui natura divina in Chriſto, non poteſt habere rationem partis proprie dictæ: alias eſſet ens incompletum dicens ordinem ad ſuam compartem, ut ab ipſa compleatur; ergo, &c.

Reſp. 2. Eſt vere & proprie compoſita, compoſitione, *cum his*. Nam compoſitio *cum his*, nihil aliud eſt, quam realis extremorum realiter diſtinctorum conjunctio ad conſtituendum unum per ſe; atqui in Chriſto talis eſt conjunctio; ergo. Unde Conc. generale V. anathema dicit ei, *qui non confitetur unam ejus* (Chriſti) *ſubſiſtentiam compoſitam*: nimirum ex duabus naturis.

Quæres 15. *Utrum ex unione hypoſtatica ſequatur communicatio idiomatum in Chriſto?*

Nota: Communicatio idiomatum fieri poteſt in concreto, vel in abſtracto. *Fit in concreto*, quando fundatur in unitate perſonæ, quia concreta ſupponunt pro perſona, unde ſenſus hujus propoſitionis, *Deus eſt homo*, hic eſt, *perſona habens divinitatem, eſt perſona habens humanitatem*. Econtra *fit in abſtracto*, quando fundatur in communicatione proprietatum divinitatis propriarum facta humanitati, v. g. *Humanitas eſt immenſa, eſt ubique*. Hanc admittunt Lutherani, Ubiquiſtæ. His notatis:

Reſpond.

Reſpond. 1. Datur in Chriſto vera & realis communicatio idiomatum in concreto. Nam 1. Scriptura humanitati in concreto tribuit ea quæ divinitatis ſunt propria, v. g. deſcenſum de cælo, & exiſtentiam in cælo dum Chriſtus in terra degeret, Joann. 3. & viciſſim divinitati in concreto tribuit ea quæ ſolius humanitatis propria ſunt, v. g. mortem, Act. 3. *Auctorem vitæ interfeciſtis*. Unde in Symbolis fidei, Deus dicitur pro nobis *paſſus*, *mortuus*, *ac ſepultus* . . . . 2. Nomina concreta ſupponunt pro eodem in recto, nempe pro ſuppoſito; ergo de ſe invicem poſſunt prædicari..

Nec dicas, hæc propoſitio, *unus de trinitate paſſus eſt*, fuit damnata a Felice III. S. P. *Reſp.* enim quod non fuerit damnata in ſenſu obvio, in quo eſt vera & Catholica; ſed damnata fuit in ſenſu Petri Gnaphæi & aliorum Eutychianorum, qui cum docerent divinitatem ſolam, humanitate penitus abſorpta, remanſiſſe in Chriſto, exiſtimabant divinitatem carni factam conſubſtantialem, vere paſſam eſſe, quod eſt hæreticum.

Reſp. 2. Non datur in Chriſto communicatio idiomatum in abſtracto, ut fides docet contra Eutychianos, Ubiquiſtas. Nam quæ realiter a ſe invicem diſtinguuntur, non poſſunt de ſe invicem prædicari, niſi in aliquo communi ſubjecto, ſeu, ſuppoſito uniantur; atqui duæ naturæ in Chriſto & earumdem proprietates realiter diſtinguuntur, nec in ullo communi ſubjecto uniuntur, quando conſiderantur in abſtracto; ergo. Unde de humanitate Chriſti dicitur Matth. ultim. *Non eſt hic*, *ſurrexit enim*, &c.

Objicies 1. Quando duo inſeparabiliter uniuntur, ubicumque unum illorum eſt, ibi debet eſſe & alterum; atqui Verbum & humanitas inſepa-

Et Div. Gregor. Thaumaturgus, in expoſit. fidei. *Non duæ perſonæ*, inquit, *neque duæ naturæ, non enim quatuor nos adorare dicimus*. Ergo.

Reſp. Quod illa ſcripta falſo ab Eutychianis adſcribantur illis Patribus, ut probat Leontius, *Bibl. PP. tom. 9. p. 707. G.*

Objicies 2. D. Cyrillus, *Epiſt.* 1. *ad Succeſſum*, negat duarum naturarum diſtinctionem poſt unionem: *Poſt unitionem*, inquit, *naturas eaſdem a ſe mutuo non dividimus.*

Reſp. nego antec. Non enim negat diſtinctionem naturarum, ſed negat tantum earum diviſionem & ſeparationem, quia nimirum in unitate perſonæ adunantur.

Inſt. Idem, *Epiſt.* 2. docet duas naturas in Chriſto *ſola mentis conſideratione diſtingui*; ergo non ſunt diſtinctæ realiter.

Reſp. nego conſeq. Nam utitur verbo, *diſtingui*, pro verbo, *dividi* & *ſeparari*, quod patet ex eo quod in exemplum diſtinctionis de qua agit, profert unionem animæ cum corpore, quæ licet diſtincta ſint, non ſunt tamen ſeparata.

Objicies 3. S. Athanaſ. in Symbolo ait: *Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus*. Atqui anima & corpus in unam hominis naturam coaleſcunt; ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Nam in eo tantum valet comparatio a D. Athanaſio allata, quod ſicut ex unione animæ & corporis, una reſultat hominis perſona, ita & in Chriſto ex utriuſque naturæ unione.

Quæres 8. *Utrum unio hypoſtatica ſit quid creatum?*

Reſp. Eſt quid creatum, non *ſtricte*, quatenus creatio dicitur productio rei ex nihilo; ſed *late*, quatenus ſumitur pro actione qua aliquid

quid ſit, quod ante non erat: ratio eſt, quia Incarnatio facta eſt in tempore.

Quæres 9. *Utrum unio hypoſtatica ſit ſubſtantialis?*

Reſpond. affirm. ut probavimus contra Neſtorium.

Quæres 10. *Utrum unio hypoſtatica ſit ſupernaturalis?*

Reſpond. affirmative: Nam ad eſſe perſonale cum Deo attolli, eſt naturæ creatæ prorſus indebitum, omnemque illius exigentiam ſuperat.

Objicies; SS. Patres & Concilia docent unionem hypoſtaticam eſſe naturalem.

Reſp. Tò, *naturale*, opponunt ficto & umbratili; non vero opponunt gratuito beneficio.

Quæres 11. *Utrum unio hypoſtatica ſit indiſſolubilis?*

Reſp. affirmative: Nam, Joann. 12. *Chriſtus manet in æternum*, & Hebr. 13. *Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula.* Unde axioma theologicum, *Quod ſemel Verbum aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Ergo in triduo mortis Verbum manſit unitum cum corpore & anima ſeparatis; ſed,

Quæres 12. *An Sanguis in Paſſione effuſus, toto triduo mortis remanſerit Verbo unitus?*

Reſp. affirm. Nam 1. fuit pars naturæ humanæ integrans, in reſurrectione reaſſumenda. 2. Si in triduo mortis Calix fuiſſet conſecratus, Verbum per concomitantiam fuiſſet ſub ſpeciebus vini, juxta illud Joann. 6. *Qui bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Quæres 13. *Utrum totus Sanguis in Paſſione effuſus, reaſſumptus fuerit a Verbo in reſurrectione?*

Reſpond. Reaſſumptus fuit totus moraliter, id eſt, quoad maximam partem; ſed probabile eſt

quod non fuerit reaſſumptus totus phyſice: nam in linteaminibus, lancea, corona ſpinea, &c. remanſerunt maculæ ſanguineæ, quæ certe non fuerunt purus color, cum colores non ſint activi, nec aliter communicentur, quam per adhæreſcentiam ſubſtantiæ coloratæ.

Quæres 14. *Utrum ex unione hypoſtatica Verbi cum humanitate ſequatur, perſonam Chriſti eſſe compoſitam?*

Reſpond. 1. Non eſt compoſita compoſitione, *ex his*. Nam omnis compoſitio *ex his*, fit ex partibus proprie dictis; atqui natura divina in Chriſto, non poteſt habere rationem partis proprie dictæ: alias eſſet ens incompletum dicens ordinem ad ſuam compartem, ut ab ipſa compleatur; ergo, &c.

Reſp. 2. Eſt vere & proprie compoſita, compoſitione, *cum his*. Nam compoſitio *cum his*, nihil aliud eſt, quam realis extremorum realiter diſtinctorum conjunctio ad conſtituendum unum per ſe; atqui in Chriſto talis eſt conjunctio; ergo. Unde Conc. generale V. anathema dicit ei, *qui non confitetur unam ejus* (Chriſti) *ſubſiſtentiam compoſitam*: nimirum ex duabus naturis.

Quæres 15. *Utrum ex unione hypoſtatica ſequatur communicatio idiomatum in Chriſto?*

Nota: Communicatio idiomatum fieri poteſt in concreto, vel in abſtracto. *Fit in concreto*, quando fundatur in unitate perſonæ, quia concreta ſupponunt pro perſona, unde ſenſus hujus propoſitionis, *Deus eſt homo*, hic eſt, *perſona habens divinitatem, eſt perſona habens humanitatem*. Econtra *fit in abſtracto*, quando fundatur in communicatione proprietatum divinitatis propriarum facta humanitati, v. g. *Humanitas eſt immenſa, eſt ubique*. Hanc admittunt Lutherani, Ubiquiſtæ. His notatis:

Reſpond.

Reſpond. 1. Datur in Chriſto vera & realis communicatio idiomatum in concreto. Nam 1. Scriptura humanitati in concreto tribuit ea quæ divinitatis ſunt propria, v. g. deſcenſum de cælo, & exiſtentiam in cælo dum Chriſtus in terra degeret, Joann. 3. & viciſſim divinitati in concreto tribuit ea quæ ſolius humanitatis propria ſunt, v. g. mortem, Act. 3. *Auctorem vitæ interfeciſtis*. Unde in Symbolis fidei, Deus dicitur pro nobis *paſſus*, *mortuus*, *ac ſepultus* . . . . 2. Nomina concreta ſupponunt pro eodem in recto, nempe pro ſuppoſito; ergo de ſe invicem poſſunt prædicari..

Nec dicas, hæc propoſitio, *unus de trinitate paſſus eſt*, fuit damnata a Felice III. S. P. *Reſp.* enim quod non fuerit damnata in ſenſu obvio, in quo eſt vera & Catholica; ſed damnata fuit in ſenſu Petri Gnaphæi & aliorum Eutychianorum, qui cum docerent divinitatem ſolam, humanitate penitus abſorpta, remanſiſſe in Chriſto, exiſtimabant divinitatem carni factam conſubſtantialem, vere paſſam eſſe, quod eſt hæreticum.

Reſp. 2. Non datur in Chriſto communicatio idiomatum in abſtracto, ut fides docet contra Eutychianos, Ubiquiſtas. Nam quæ realiter a ſe invicem diſtinguuntur, non poſſunt de ſe invicem prædicari, niſi in aliquo communi ſubjecto, ſeu, ſuppoſito uniantur; atqui duæ naturæ in Chriſto & earumdem proprietates realiter diſtinguuntur, nec in ullo communi ſubjecto uniuntur, quando conſiderantur in abſtracto; ergo. Unde de humanitate Chriſti dicitur Matth. ultim. *Non eſt hic, ſurrexit enim*, &c.

Objicies 1. Quando duo inſeparabiliter uniuntur, ubicumque unum illorum eſt, ibi debet eſſe & alterum; atqui Verbum & humanitas inſepa-

ſeparabiliter uniuntur, & Verbum eſt ubique; ergo humanitas Chriſti eſt ubique.

Reſpond. diſt. maj. Si hæc duo uniantur adæquate & totaliter, *conc.* inadæquate, *nego maj.* Sic quia humanitas Chriſti non adæquat immenſitatem Verbi, ideo ubi illa reperitur, reperitur etiam Verbum; ſed non ubicumque eſt Verbum, eſt etiam humanitas.

Objicies 2. Hæc propoſitio eſt vera: *Chriſtus*, ſcil. *hic homo*, *qui eſt Chriſtus*, *eſt ubique*; ergo & iſta: *Chriſtus*, *ut homo*, *eſt ubique*.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod in prima prop. *homo*, ſupponit pro ſuppoſito, quod eſt immenſum & ubique; in ſecunda vero, *homo*, propter particulam, *ut*, ſupponit pro ſola humanitate, quæ, cum ſit finita, non poteſt eſſe ubique.

DISSERTATIO II.

De termino totali Incarnationis, ſeu, de Chriſto.

Nota: IN Chriſto perpendi poſſunt: ſcientia; gratia; dona ac virtutes; libertas; meritum; ſatisfactio; varii tituli ac officia; adoratio ipſi debita, & tandem Mater.

CAPUT I.

De ſcientia Chriſti.

Quæres 1. U*Trum fuerit in Chriſto ſcientia creata?*

Reſp. affirmat. Nam anima rationalis in Chriſto non fuit ſine ſua propria operatione, alias fuiſſet imperfecta, utpote fruſtrata fine propter quem eſt; atqui propria animæ rationalis operatio eſt cognitio & ſcientia; ergo.

Objicies: Fruſtra fit per plura quod poteſt fieri per pauciora; ergo, cum Chriſtus omnia cognoverit per ſcientiam divinam, ſcientia creata fuit inutilis.

Reſp. diſt. ant. Quando fit per eandem facultatem, *conc.* quando fit per diverſas facultates, *nego ant.*

Quæres 2. *Quotuplex ſit ſcientia creata?*

Reſpond. Triplex, ſcilicet, *beatifica*, quæ in clara Dei viſione poſita eſt. *Infuſa*, quæ a Deo liberaliter infunditur, abſque ullo humanitatis actu. Et *Acquiſita*, quæ propriis naturæ viribus, ſucceſſu temporis, comparatur.

Quæres 3. *Utrum Chriſtus, ut homo, habuerit ſcientiam beatificam?*

Reſp. affirm. Nam Chriſtus, *Joann.* 8. dicit: *Si dixero quoniam neſcio eum*, (Patrem) *ero ſimilis vobis mendax, ſed ſcio eum, & ſermonem ejus ſervo*, hic Chriſtus loquitur de ſeipſo ut homo eſt, ut probant hæc verba: *Sermonem ejus ſervo*. Atqui aſſerit ſe ſcire Patrem; ſcire autem, eſt rem clare & intuitive cognoſcere: qui enim clare & intuitive non videt, credit; non novit, nec ſcit; ergo.

Objicies: Chriſtus in terris erat viator; ergo non potitus eſt viſione beatifica .... *Reſp.*

Erat viator ſimul & comprehenſor. Erat viator reſpectu impaſſibilitatis & immortalitatis ſui corporis, quam debuit mereri. Lucæ 24. *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*, id eſt, corporis ſui. Erat comprehenſor reſpectu viſionis beatificæ, qua potiebatur.

Inſt. Viſio Beatifica cum maximo dolore, maximaque triſtitia, non poteſt compati; atqui Chriſtus maximos dolores, maximamque expertus eſt triſtitiam.

Reſp. diſt. maj. Naturaliter, *conc.* per miraculum, *nego*. Porro Chriſtus per miraculum cohibuit vim delectationis quam ſua anima percipiebat ex Dei fruitione, ut ipſa poſſet triſtitiæ affectionem percipere.

Quæres 4. *Utrum Chriſtus, ut homo habuerit ſcientiam infuſam?*

Reſp. affirmat. Nam Chriſtus fuit vir perfectus, Jerem. 31. *Novum creavit Dominus ſuper terram, femina circumdabit virum*. Atqui non fuiſſet vir perfectus, ſi, more cæterorum hominum, ad plenam rerum omnium ſcientiam debuiſſet paulatim, & quaſi per ætatis gradus pervenire; ergo. Unde Apoſtolus, *Coloſſ.* 2. de Chriſto, ait: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ*.

Objicies: Per ſcientiam beatificam cognoſcuntur omnia, quæ cognoſci poſſunt per infuſam; ergo hæc inutilis eſt.

Reſp. diſt. ant. Cognoſcuntur, diverſo modo, *conced.* eodem modo, *nego*. Nam per ſcientiam beatificam res cognoſcitur in eſſentia divina; at per ſcientiam infuſam res cognoſcitur in ſe, ſeu in propria ſpecie; hic autem cognoſcendi modus Chriſtum decebat, ſicut & decuit, ut videret oculis corporeis, quod mente per ſcientiam beatificam videbat.

Quæ-

Quæres 5. *Quandonam humanitas Chriſti fruita eſt utraque illa ſcientia, beatifica & infuſa?*

Reſp. Fruita eſt a primo conceptionis inſtanti. Quia utraque illa ſcientia ipſi debebatur vi ſuæ unionis hypoſtaticæ cum Verbo; atqui a primo inſtanti conceptionis anima Chriſti fuit unita Verbo; ergo.

Quæres 6. *Utrum Chriſtus, ut homo, habuerit ſcientiam acquiſitam?*

Reſp. affirm. Nam Lucæ 2. de Chriſto dicitur: *Proficiebat ætate & ſapientia*; atqui non proficiebat ſapientia infuſa; ea enim in ipſo fuit a primo conceptionis puncto; ergo proficiebat ſapientia acquiſita. Et Hebr. 5. *Cum eſſet Filius Dei, didicit ex eis quæ paſſus eſt, obedientiam*, id eſt, quam arduum eſſet exequi quæ Deus ab eo poſtulabat.

CAPUT II.

De gratia, donis, ac virtutibus Chriſti.

Quæres 1. UTrum fuerit in Chriſto gratia unionis?

Reſp. Fuit gratia unionis per quam ejus humanitas ſanctificata eſt ſanctitate ſubſtantiali: nam ſanctificari ſubſtantialiter, eſt habere eſſe divinum ſibi ſubſtantialiter unitum; atqui humanitas Chriſti per unionem hypoſtaticam, habet eſſe divinum ſibi ſubſtantialiter unitum; ergo.

Objicies 1. Verbum non communicat humanitati ſuam immenſitatem, æternitatem, &c. ergo nec ſuam ſanctitatem.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod humanitas ſit capax recipiendæ ſanctitatis ſubſtantialis, quæ nihil aliud eſt, quam ſui unio hypoſtatica cum Verbo; econtra cum ſit finita &

limitata, non eſt capax æternitatis & immenſitatis recipiendæ.

Objicies 2. Humanitas Chriſti, eſt tam capax divinæ potentiæ & ſcientiæ, quam ſanctitatis; atqui Verbum non communicat humanitati omnipotentiam & omniſcientiam; ergo, &c.

Reſp. nego maj. Diſparitas eſt, quod ſanctitas ſe habeat per modum rei cujuſdam moralis, ſubjectum moraliter afficientis, ob quam dignum cenſeatur, quod diligatur a Deo, & jus habeat ad æternam beatitudinem, quæ omnia non præſupponunt aliquam formam intrinſece exiſtentem; at vero omnipotentia & ſcientia ſe habent per modum rei phyſicæ, ſubjectum phyſice afficientis, quod præſupponit formam intrinſece inexiſtentem, ſive per identitatem, ſive per informationem: & ideo humanitas in Chriſto poteſt participare ſanctitatem Verbi in ſe moraliter derivatam, non poteſt autem participare omnipotentiam aut omniſcientiam, quæ ipſi, nec poſſunt identificari, nec inhærere.

Quæres 2. *Utrum Chriſtus ut homo habuerit gratiam habitualem?*

Reſp. affirm. Nam Joann. 1. dicitur: *Verbum caro factum eſt .... plenum gratiæ & veritatis.* Atqui illa plenitudo intelligitur, tum de gratia ſubſtantiali Chriſti; tum de gratia habituali, quæ tanta fuit, ut major non potuerit dari de lege ordinaria; ergo, &c. Hinc D. Auguſt. *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 26. ait: *Dominus ipſe Jeſus non ſolum Spiritum ſanctum dedit ut Deus, ſed etiam accepit ut homo, & propterea eſt plenus gratiæ, quia unxit eum Deus Spiritu ſancto, non utique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur unguento, quo baptizatos ungit Eccleſia.* Ubi D. Doctor manifeſte loquitur de gratia adventitia ſpirituali.

Objicies 1. Gratia habitualis reddit ſubjectum in quo

in quo eſt, Filium Dei adoptivum; atqui Chriſtus non poteſt eſſe Filius Dei adoptivus; ergo.

Reſp. diſt. maj. Si ſubjectum, in quo recipitur, ſit capax filiationis adoptivæ, *conc.* ſi illius non ſit capax, ut revera non eſt capax Chriſtus, etiam ut homo eſt, quia nimirum eſt Filius Dei naturalis, *nego ant.*

Objicies 2. Gratia habitualis non erat Chriſto neceſſaria; ergo.

Reſp. diſt. ant. Abſolute, *conc.* ut connaturaliter eliceret actus ſupernaturales & meritorios, *nego ant.*

Inſt. Gratia habitualis non ordinatur ad operationem; ergo non fuit neceſſaria Chriſto ad actus ſupernaturales eliciendos connaturaliter.

Reſp. diſt. ant. Non ordinatur ad operationem primario & proxime, *conc.* radicaliter & ſecundario, *nego ant.* Equidem gratia habitualis primario & proxime ordinatur ad ſanctificandam animam & eam efficiendam Deo gratam; verum ſecundario & radicaliter ordinatur ad operationem, quatenus virtutem animæ confert ad producendos actus ſupernaturales.

Quæres 3. *Utrum gratia Chriſti habitualis fuerit infinita?*

Reſp. Non fuit infinita phyſice, quia eſt creata; ſed fuit infinita moraliter, id eſt, juxta quamdam æſtimationem moralem, propter conjunctionem cum perſonalitate Verbi.

Quæres 4. *Quaſnam inſuper gratias Chriſtus habuerit?*

Reſpond. 1. Habuit gratiam actualem, non quidem excitantem, quia ſemper vigil & ad optima quæque erectus fuit; ſed cooperantem, qua eguit ad actus ſupernaturales eliciendos.

Reſp. 2. Habuit omnes gratias gratis datas, nempe gratiam ſanitatum, operationem virtutum, genera linguarum, &c.

Reſp. 3. Habuit omnia dona Spiritus ſancti; Iſaiæ 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus; Spiritus conſilii & fortitudinis; Spiritus ſcientiæ & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini.*

Quæres 5. *Utrum virtutes Theologicæ fuerint in Chriſto?*

Reſp. 1. In Chriſto fuit *charitas*: Nam vel eſt quid idem cum gratia habituali, ut volunt Scotiſtæ; vel ejus individua comes, ut volunt Thomiſtæ.

Reſp. 2. In Chriſto non fuit *fides*, quia ſtatui beatitudinis adverſatur, propter ejus obſcuritatem, nec *ſpes*, quia fides eſt fundamentum ſpei; ergo ubi non eſt fides, nec eſt ſpes.

Quæres 6. *Utrum omnes virtutes morales infuſæ fuerint in Chriſto?*

Reſp. affirm. Nam ſimul cum gratia habituali infunduntur.

Quæres 7. *Utrum omnes virtutes morales acquiſitæ fuerint in Chriſto?*

Reſp. Eæ virtutes, *quæ peccatum non ſupponunt*, fuerunt in Chriſto. Quia animam ejus perficere ac rite inſtituere poterant ad opera legi naturæ conſentanea exercenda intra limites ejuſdem legis.

Hinc 1. *Temperantia* non fuit in Chriſto, quatenus importat reſiſtentiam pravis concupiſcentiæ motibus, quia ſic peccatum ſupponit; ſed ſolum quatenus dicit abſtinentiam ab omni voluptate venerea.

Hinc 2. *Pœnitentia* non fuit in Chriſto, quatenus dicit dolorem de peccatis propriis; ſed ſolum quatenus dicit principium actus, quo dolemus de peccatis alienis & offenſa Dei.

C A-

CAPUT III.

De libertate, & merito Chriſti.

Quæres 1. U*Trum Chriſtus fuerit liber circa præcepta legis naturalis?*

Reſpond. 1. Non fuit liber quoad ſubſtantiam rei imperatæ: quia rem lege naturali præceptam non potuit omittere, aut rem eadem lege prohibitam ponere.

Reſp. 2. Fuit liber quoad motivum & circumſtantias rei imperatæ; quia nec motivum actus, nec ejuſdem circumſtantiæ imperantur; ergo, &c.

Quæres 2. *Utrum Chriſtus in ſubeunda morte a Patre præcepta fuerit liber?*

Reſp. affirmat. Nam 1. Chriſtus, *Joann.* 10. dicit: *Ego pono animam meam ...... nemo tollit eam a me, ſed ego pono eam a me ipſo.* Supra quæ verba D. Auguſt. Tractat. 47. in Joa introducit Chriſtum dicentem: *Non glorientur Judæi ...... ſæviant quantum poſſunt, ſi ego noluero animam meam ponere, quid ſæviendo facturi ſunt?* 2. Chriſtus ipſa ſua morte meruit, Joann. 10. *Propterea me diligit Pater, quia pono animam meam.* Et Hebr. 5. *Conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus cauſa ſalutis æternæ.* Atqui ad merendum requiritur libertas a neceſſitate ſimplici, ut definivit Innocent. X. ergo, &c.

Quæres 3. *Quomodo Chriſti libertas circa mortem præceptam, cum ejus impeccabilitate conciliari poteſt?*

Reſpond. Conciliari poteſt dicendo Chriſti libertatem in hoc conſiſtere, quod potuerit diſpenſationem a Patre petere & obtinere ſi voluiſſet, quam tamen lubens ac volens non petivit.

tivit, juxta illud Matth. 26. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* Sed qui diſpenſationem ab aliquo præcepto petere poteſt & obtinere, nec tamen eam vult petere, ad hujus præcepti obſervationem, vel non obſervationem, eſt maxime liber; ergo.

Objicies: Quando Chriſtus dixit: *An putas quia non poſſum rogare Patrem*, &c. jam acceptaverat legem moriendi; ergo inde non poteſt concludi, quod diſpenſationem ab illa lege potuerit obtinere.

Reſp. diſt. ant. Jam acceptaverat legem moriendi, & ſimul facultatem ſibi reſervaverat, diſpenſationem petendi ab illa lege, ſi vellet, *conc.* ſecus, *nego ant.* Id conſtat ex textu.

Inſt. 1. Præceptum quo quis ſeſe liberare poteſt per diſpenſationem quam habet in ſua poteſtate, non eſt verum & rigoroſum præceptum; atqui Chriſto fuit impoſitum verum & rigoroſum præceptum; ergo.

Reſp. diſt. maj. Non eſt rigoroſum præceptum, ſi ab eo quis poſſit ſeſe eximere auctoritate propria, *conc.* ſi ſola auctoritate præcipientis, *nego maj.*

Inſt. 2. Præceptum rigoroſum ſemper obligat ſub culpa; atqui præceptum, a quo quis poteſt diſpenſationem obtinere, non ſemper obligat ſub culpa; ergo.

Reſp. diſt. maj. Semper obligat ſub culpa, vel ad rem præceptam exequendam, vel ad obtinendam diſpenſationem, *conc.* ſemper obligat ad exequendam rem præceptam, *nego*.

Quæres 4. *Utrum Chriſtus vere ac proprie meruerit?*

Reſp. affirm. Ut fides docet: Hebr. 5. *Conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus*

ſibi, cauſa (utique meritoria) *ſalutis æternæ.* Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. Chriſtus ſua ſanctiſſima paſſione in ligno crucis nobis juſtificationem *meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit.* Ratio eſt, quia in Chriſto reperiuntur omnes conditiones ad meritum de condigno, ſcilicet ſtatus viæ, libertas arbitrii, ſanctitas, & promiſſio ex parte Dei, Iſaiæ 55. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.*

Quæres 5. *Quandonam incœpit mereri Chriſtus?*

Reſp. A primo conceptionis inſtanti, Hebr. 10. *Ingrediens mundum dicit: hoſtiam & oblationem noluiſti ..... tunc dixi, ecce venio, ut faciam,* Deus, *voluntatem tuam ..... in qua voluntate ſanctificati ſumus, per oblationem Corporis Chriſti ſemel.*

Objicies: Prius eſt eſſe quam operari; ergo Chriſtus non meruit primo ſuæ conceptionis inſtanti.

Reſp. diſt. ant. Prius eſt natura, *conc.* tempore, *nego.* Unde potuit eodem inſtanti reali incipere eſſe & operari libere, adeoque mereri.

Quæres 6. *Utrum Chriſtus adhuc hodie mereatur?*

Reſp. negat. Nam ad meritum requiritur ſtatus viæ; unde de ſeipſo dicit: *Me oportet operari opera ejus qui miſit me, donec dies eſt: venit nox quando nemo poteſt operari.*

Objicies: Hebr. 7. de Chriſto dicitur, quod ſit *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Ergo adhuc meretur.

Reſp. nego conſeq. Nam interpellat pro nobis, non de novo merendo; ſed meritum in ſua morte conſummatum Deo offerendo, nobiſque applicando.

Quæres 7. *Per quoſnam actus Chriſtus meruerit?*

Reſp.

Reſp. Per ſolos actus liberos humanitatis ſuæ: ex quo D. Thom. hic *q. 19. artic. 3. ad* 1. dicit: *Nec tamen per charitatem meruit in quantum erat charitas comprehenſoris, ſed in quantum erat viatoris.*

Quæres 8. *Quid ſibi Chriſtus meruerit?*

Reſp. Sibi meruit gloriam Corporis, & nominis exaltationem, Philipp. 2. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, &c.

Objicies: Corporis gloria & nominis exaltatio erant Chriſto debitæ ratione unionis hypoſtaticæ, ergo, &c.

Reſpond. nego conſeq. Nam debitum naturale, & meritum inter ſe non pugnant; ergo duplici illo titulo Chriſtus recepit gloriam Corporis & nominis exaltationem.

Quæres 9. *Quid nobis Chriſtus meruerit?*

Reſpond. Nobis meruit 1. Omnia dona gratiæ, Rom. 8. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Unde Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. *Declarat ipſius juſtificationis exordium in adultis a Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratia, ſumendum eſſe.* 2. Omnia dona gloriæ, Rom. 5. *In vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.* Quod etiam definitur in Conc. Trid. *ſeſſ. 6. c. 16.*

* Quæres 10. *Quid Chriſtus Angelis ſanctis meruerit?*

Reſp. 1. Non eis meruit gratiam & gloriam eſſentialem: nam 1. Non eſt mortuus pro ipſis, Hebr. 2. *Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes .... nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ.* 2. Gratia & conſequenter gloria, decreta eſt Angelis ante prævisam Incarnationem.

Reſp.

Reſp. 2. Angelis ſanctis meruit quaſdam illuſtrationes, & gaudia, aliaque dona accidentalia. Nam *Coloſſ.* 2. Chriſtus *eſt caput omnis principatus & poteſtatis*; Id eſt, Angelorum; ergo aliquid ipſis meruit; atqui ipſis non meruit gratiam & gloriam eſſentialem; ergo, &c.

CAPUT IV.

De ſatisfactione Chriſti.

Quæres 1. UTrum *Chriſtus vere ac proprie pro nobis ſatisfecerit?*

Reſp. affirm. Prout fides docet contra Socinianos: nam ad proprie dictam ſatisfactionem tria requiruntur, nempe 1. Impoſitio pœnæ a ſuperiore. 2. Ejuſdem pœnæ voluntaria ſuſceptio in inferiore, 3. Ejuſdem pœnæ, loco rei, per veram ſubrogationem, perſolutio; atqui 1. Deus oneravit Chriſtum pœnis peccato debitis, Iſaiæ 53. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum*. 2. Chriſtus illas pœnas perſolvendas in ſe ſuſcepit, Galatas 3. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, id eſt, punitionem nobis debitam in ſe tranſtulit. 3. Eaſdem pœnas loco noſtri, per veram ſubrogationem, perſolvit, 2. Corinth. 5. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*; ergo.

Objicies: Si Chriſtus pro nobis ſatisfeciſſet, 1. Debitum noſtrum non fuiſſet gratis remiſſum. 2. Inanes & fruſtraneæ eſſent noſtræ privatæ ſatisfactiones. 3. Innocens pro reo plecteretur, quod eſt contra æquitatem. 4. Deus ſibi ipſi ſatisfaceret, nam Chriſtus eſt Deus; atqui hoc repugnat; ergo.

Reſp. ad 1. *diſtinguendo*: Debitum non fuit gra-

gratis remiſſum, reſpectu Chriſti ſponſoris, qui pro debitore ſolvit, *conc.* reſpectu hominis debitoris, cujus perſonale debitum in ſponſorem transfertur, *nego*. Quod ergo Deus vadis & ſponſoris ſolutionem perſonalem acceptaverit, fuit certe maxima benignitas, eaque cenſetur gratuita debiti remiſſio reſpectu hominis.

Reſp. ad 2. *nego ſequel.* Quia licet Chriſtus omne pretium pro nobis ſolverit, ejus tamen merita nobis non applicantur, niſi per bonas noſtras actiones per gratiam Chriſti elicitas, nec Deus acceptavit ſatisfactiones Chriſti, niſi ſub hac conditione.

Reſpond. ad 3. *diſt.* Eſt contra æquitatem, ut innocens pro reo plectatur, ſi ſponſor ejus non fuerit a Deo ipſo conſtitutus, *conced.* ſi ſponſor ejus fuerit, *nego*. Peccata enim rei quoad pœnam cenſentur translata in ſponſorem.

Reſp. ad 4. *nego antec.* Ad prob. *diſt.* Chriſtus eſt Deus, ſimul & homo, *conc.* eſt Deus tantum, *nego*. Porro Chriſtus ut homo, ſibi ipſi ſatisfecit ut Deo, in quo nulla eſt contradictio.

Quæres 2. *Utrum Chriſtus ſatisfecerit ex vera juſtitia?*

Reſpond. affirm. Nam *Rom.* 3. dicitur: *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ.* Et Coloſſenſes 2. *Delens quod adverſum nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.* Atqui hæ voces: *Oſtenſio juſtitiæ, delens chyrographum*, ſonant ſatisfactionem ex vera juſtitia; ergo. Quare D. Auguſt. *lib.* 13. *de Trin.* ait: *Non autem diabolus potentia Dei, ſed juſtitia ſuperandus fuit.*

Obji-

Objicies: Inter Patrem & Filium, non poteſt dari actus juſtitiæ ſtricte dictæ; atqui Chriſtus ut Deus homo, eſt Filius Patris æterni; ergo.

Reſpond. diſt. maj. Si Filius non habeat bona propria, *conc.* ſi habeat, *nego.* Filius autem Dei habet humanitatem, cujus eſt Dominus; ergo ex propriis potuit ſatisfacere.

Quæres 3. *Utrum Chriſtus ſatisfecerit ex juſtitia rigoroſa?*

Reſp. affirm. Nam ſatisfactio rigoroſa definitur: *Redditio voluntaria honoris æquivalentis, ex propriis & aliunde indebitis, ad compenſandam injuriam alteri, per peccatum illatam;* atqui ſex conditiones in illa definitione contentas habuit ſatisfactio Chriſti; ergo, &c. Nam:

I. Fuit *voluntaria:* Iſaiæ 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.*

II. Fuit *æquivalens*, immo & *ſuperabundans.* Nam 1. ex Pſalm. 129. *Copioſa apud eum redemptio.* Et Rom. 5. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.* Ergo redemptio per Chriſtum fuit ſuperabundans. 2. Satisfactio Chriſti, in genere moris eſt infiniti ſimpliciter valoris: nam ille valor petitur ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, quæ eſt illius principium *quod;* perſona autem Chriſti eſt infinita ſimpliciter; ergo, &c.

Objicies: Chriſtus ſatisfecit per actiones humanas; atqui actiones humanæ Chriſti non ſunt infinitæ; ergo ejus ſatisfactio non fuit infinita.

Reſp. diſt. min. Non fuerunt infinitæ, quoad entitatem phyſicam, *conc.* quoad valorem moralem, *nego min.* Duplex enim fuit valor moralis in actionibus Chriſti Theandricis, nimirum radicalis & derivatus; *radicalis*, eſt ille qui petitur ab ipſa Verbi divini perſonalitate, in quantum eſt veluti pars pretii oblati, ex qua & ipſa actione, unum quoddam morale

le coaleſcit, quod Deo in ſatisfactionem offertur. Hic valor eſt infinitus, utpote fluens a perſona Verbi infinita. *Valor derivatus*, eſt ille qui petitur ab ipſa Verbi perſonalitate, prout habet rationem circumſtantiæ dignificantis actiones agentis. Hic eſt etiam infinitus, utpote fluens ex unione hypoſtatica Verbi cum humanitate.

Inſt. Ut valor radicalis actionum Chriſti ſit infinitus, debuit perſona Chriſti ſeſe ſubmittere & offerre; atqui perſona Chriſti, utpote divina, non potuit ſeſe ſubmittere & offerre; ergo, &c.

Reſpond. diſt. minor. Perſona Chriſti ſecundum ſe ſumpta, *conc.* hypoſtatice unita cum humanitate, *nego min.* Nam de ea ſic conſiderata ſcribit Apoſtolus Coloſſ. 2. *Humiliavit ſemetipſum.*

III. *Satisfactio Chriſti fuit ex propriis bonis:* nam Chriſtus ſatisfecit per actiones *Theandricas*; atqui actiones *Theandricæ* erant ſub ſpeciali & abſoluto Chriſti dominio: perſona enim Verbi, utpote divina, ſub nullius dominio jacebat, ſive ſpectetur ut erat pars ſatisfactionis, ſive ut dignificabat actiones ſatisfactorias; ergo, &c.

Objicies: Chriſtus ſatisfecit in quantum erat homo; atqui omnia, quæ Chriſtus habuit ut homo, erant ſub dominio Dei; ergo.

Reſp. diſt. maj. Chriſtus ſatisfecit in quantum erat homo & Deus ſimul, *conc.* in quantum homo tantum, *nego maj.* Suppoſitum enim Verbi & fuit pars ſatisfactionis, & actiones ſatisfactorias dignificavit.

IV. *Satisfactio Chriſti fuit ex bonis alias indebitis:* conſtat ex dictis: illud quippe eſt alteri indebitum, quod eſt ſub ſingulari & abſoluto Chriſti dominio; atqui, &c.

Obji-

Objicies: Omnes actiones Chriſti ſatisfactoriæ erant creatæ; ergo erant Deo debitæ titulo gratitudinis, religionis, &c.

Reſp. diſt. ant. Erant creatæ, quoad entitatem, *conc.* quoad valorem ſubſtantialem, *nego min.* Valor enim ille oritur ab ipſa Verbi perſona, quæ ſicut nulli ſubjacet, ſic nulli quidquam debet.

V. *Satisfactio Chriſti fuit ad compenſandam injuriam Deo per peccatum illatam.* Roman. 5. *Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus.*

VI. *Satisfactio Chriſti fuit ad alterum.* Quia fuit ab ipſa Verbi divini perſonalitate, ut terminante naturam humanam; at perſonalitas Verbi prout terminat naturam humanam, diſtinguitur non tantum a perſonis Patris & Spiritus ſancti, ſed etiam a ſeipſa prout in divina tantum natura ſubſiſtit: habet enim naturam diſtinctam, dominium diſtinctum, perſonam ſaltem virtualiter diſtinctam; ergo, &c.

Objicies: Satisfactio, quæ a Filio exhibetur Patri, non eſt proprie ad alterum, quia Pater & Filius unam tantum, ſaltem moraliter, perſonam conſtituunt; ergo.

Reſpond. nego maj. Ad prob. *diſt.* ſi non habeant dominia diverſa, *conc.* ſi habeant, *nego ant.* Porro Chriſtus, prout eſt homo, dominium habet omnino diſtinctum a dominio Patris, ratione cujus perſonam virtualiter a Patre diſtinctam habet.

C A-

CAPUT V.

De variis Chriſti titulis & officiis.

Quæres 1. Q*Uibus titulis inſignitur Chriſtus, ut homo?*

Reſp. In ſcripturis hi præcipue numerantur.

I. Eſt vere & dicitur prædeſtinatus, 1. Ad filiationem divinam, quia decretum fuit ab æterno, ut Chriſtus quatenus homo, eſſet in tempore Filius Dei, Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute.* 2. Prædeſtinatus eſt ad viſionem beatificam, quia prædeſtinatus eſt ad divinam filiationem, cui viſio beatifica debetur & ex qua ſequitur.

Quæres: Prædeſtinatio refertur ad perſonam; atqui perſona Chriſti non poteſt dici prædeſtinata ad divinam filiationem; ergo.

Reſp. diſt. minor. Perſona Chriſti, prout in ſeipſa ſubſiſtens, *conc.* prout ſubſiſtens in natura humana, *nego*. Licet ergo perſona Verbi ſemper fuerit Filius Dei ſimpliciter, non tamen fuit ſemper Filius Dei, quatenus ſubſiſtens in humanitate aſſumpta, ſed hoc acquiſivit in tempore ex mera Dei liberalitate.

II. Eſt Filius Dei, non adoptivus, ſed naturalis, ut definivit Hadrianus Papa & Concilium Francofordienſe, contra Felicem & Elipandum. Nam 1. Scriptura Chriſtum etiam, *prout eſt homo*, vocat Dei Filium, Roman. 8. *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Atqui *non eſt traditus ſecundum divinitatem, ſed ſecundum id quod erat homo*, ait Hadrianus Papa; ergo. 2. In Concil. Francoford. approbatus eſt Liber, qui inſcribitur, *Sacroſyllabus*, in quo dicitur: *Proprius Filius factus eſt ex muliere, non adoptivus.*

vus. 3. Filius adoptivus eſt *perſona extranea quæ per gratiam ad hæreditatem aſſumitur*. Atqui Chriſtus, *etiam ut homo*, non eſt perſona extranea reſpectu Dei, cum ſit ipſamet perſona Verbi, quæ eſt vere & proprie Filius Dei; ergo, &c.

Hinc Chriſtus, *etiam ut homo*, nec eſt, nec dici poteſt *ſervus proprie*: nam ſervus proprie eſt is, qui non eſt ſui juris, ſed domini, ad cujus hæreditatem & bona nullum habet jus; atqui Filius naturalis eſt ſui juris, ac vi ſuæ originis habet jus ad bona & hæreditatem Patris; ergo.

Objicies 1. D. Hilarius, *lib.* 2. *de Trinit.* ait: *Poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*; ergo.

Reſp. In textu Hilarii mendum irrepſiſſe in aliquibus exemplaribus, poſitumque, *adoptatur*, pro, *adoratur*.

Objicies 2. Chriſtus habet formam adoptionis, nempe gratiam ſanctificantem; ergo eſt Filius adoptivus: forma enim neceſſario producit ſuum effectum.

Reſpond. nego conſeq. Ad prob. *diſt.* in ſubjecto capaci, *conc.* in ſubjecto incapaci, *nego*. Porro Chriſtus, cum ſit Filius naturalis, incapax eſt adoptionis.

Objicies 3. Filius naturalis, eſt productus in ſimilitudinem naturæ; atqui Chriſtus, ut homo, non eſt productus a Deo in ſimilitudinem naturæ; ergo.

Reſp. diſt. maj. Filius naturalis, qui producitur per viam generationis, *conc.* per viam unionis ſubſtantialis cum Verbo, *nego major.* Itaque Chriſtus, *ut homo*, in primo ſuæ conceptionis inſtanti fuit hypoſtatice unitus cum Verbo, cujus unionis virtute fit, ut una ſit cum Deo perſona, & conſequenter Filius Dei naturalis.

Obji-

Objicies 4. Chriſtus, Philipp. 2. *formam ſervi accepit;* ergo.

Reſp. diſt. antec. Accepit formam ſervi improprie, & quoad officia tantum, *conc.* quoad conditionem ſervilem, *nego ant.* Equidem ad officia ſervi ſeſe dimiſit Chriſtus, ſed ſervi conditionem nunquam ſuſcepit, immo nec ſuſcipere potuit, utpote Filius Dei naturalis.

III. Eſt caput Eccleſiæ, Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Ratio eſt, quia in omnia Eccleſiæ membra gratiam & dona ſpiritualia influit; nam, *Joann.* 1. de plenitudine ejus omnes accepimus.

Hinc eſt caput morale 1. *Angelorum*, in quos influit varias illuminationes, variaque dona gloriæ & gaudiorum accidentalium. 2. *Beatorum*, quibus communicat gloriam. 3. *Juſtorum*, quibus communicat gratiam & charitatem. 4. *Fidelium peccatorum*, qui illi uniuntur per fidem, quæ, licet ſit mortua, eſt tamen gratia per Chriſtum. 5. Eſt etiam caput *infidelium*, non quidem *actu*, cum nullam vitam ipſis communicet, neque perfectam per charitatem, neque imperfectam per fidem; ſed *potentia*, quatenus ipſis communicat gratias actuales, quibus ſi cooperarentur, ulterioribus auxiliis inſtruerentur, quibus poſſent ad fidem pervenire, baptizari & ſalvari. 6. Nullo modo eſt caput *damnatorum*, quia nullum a Chriſto recipiunt influxum, a quo in æternum ſunt ſeparati.

IV. Eſt Rex, non ſolum ut Deus, ſed etiam ut homo; nam, *Pſalm.* 2. de ſeipſo dicit: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ſuper Sion montem ſanctum ejus;* atqui non eſt conſtitutus Rex ut Deus, cum titulum illum neceſſario ex natura divina habeat; ergo. Porro regnum Chriſti fuit ſpirituale, non temporale, ut ipſemet declarat,

rat, Joann. 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*.

V. Eſt Judex vivorum & mortuorum, etiam ut homo; nam, Act. 10. *Ipſe eſt conſtitutus a Deo Judex vivorum & mortuorum*; atqui non eſt conſtitutus Judex ut Deus; ergo.

VI. Eſt vere ac proprie Sacerdos, prout homo hypoſtatice unitus Deo; Pſalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*.

Dicitur 1. *Prout homo hypoſtatice unitur Deo*; quia Sacerdos debet eſſe medius inter Deum & homines, debetque habere Superiorem cui ſacrificet; atqui Chriſtus, non ut Deus, ſed ut homo, eſt medius inter Deum & homines, eſtque Deo inferior; ergo. Hinc Apoſtolus, *Hebr.* 5. dicit: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus*, &c.

Dicitur 2. *Secundum ordinem Melchiſedech*: quia Melchiſedech, offerendo panem & vinum, præfiguravit ſacerdotium a Chriſto inſtituendum.

Dicitur 3. *In æternum*: 1. Quia Chriſtus non habet ſucceſſores, ſed vicarios, nam Hebr. 7. *Eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium*. 2. Quia effectus ſacrificii Chriſti, qui eſt conſummatio ſanctorum in gloria, in æternum duraturus eſt; & ſic cauſa dicitur æterna ab æternitate effectus.

VII. Chriſtus homo, eſt Patronus noſter: quia 1. in hac vita vere ac proprie oravit pro nobis, Lucæ 6. *Exiit in montem orare & erat pernoctans in oratione Dei*. 2. Etiam nunc in cælis orat pro nobis, Rom. 8. *Chriſtus, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Ad quæ verba Div. Auguſtin. *Epiſt.* 59. ait: *Quia poſtulat, pro eo poſitum eſt, interpellat*.

Objicies. Chriſtus nunc non meretur; ergo nec orat.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod ſtatus viæ requiratur ad merendum, non autem ad orandum.

Inſtab. Qui orat, impetrat; ſed qui impetrat meretur; ergo, &c.

Reſp. diſt. min. Qui impetrat propter dignitatem actualem ſuæ orationis, meretur, *conc.* propter merita præterita, *nego min.* Sic autem Chriſtus impetrat.

VIII. Eſt mediator Dei & hominum, 1. ad Timoth. 2. *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus;* ergo eſt mediator, non ſecundum divinitatem, ut vult Calvinus, ſic enim eſt Deus; ergo non medius inter Deum & homines; ſed ſecundum humanitatem Verbo divino hypoſtatice unitam, ſic enim diſtat a Deo in natura, & ab hominibus in dignitate infinita gratiæ unionis; Chriſtus ergo eſt mediator, ut homo Deus, ſeu ut homo ſubſiſtens perſona divina, ita ut perſona divina fuerit principium *quod* mediationis Chriſti, & natura humana principium *quo*.

Quæres 1. *Utrum Chriſti mediatio excludat mediationem Sanctorum, una cum ipſo in cælis regnantium?*

Reſp. Non excludit: quia licet Chriſtus ſit ſolus mediator ſimpliciter, quatenus reconciliat partes diſſidentes, non ſolum orando, ſed etiam ſolvendo & ſatisfaciendo uni parti pro altera; Sancti tamen ſunt mediatores ſecundum quid & mediate, quia interpellant Deum pro hominibus, ſed mediate tantum, nempe per Chriſtum qui nos redemit.

Quæres 2. *Quid fides doceat de ſanctorum erga nos officiis?*

Reſp. Docet 1. Sanctos ſuas orationes pro no-

nobis offerre: 2. Bonum ac utile eſſe eos invocare. *Mandat ſancta Synodus omnibus Epiſcopis*, &c. *Ut juxta catholicæ & apoſtolicæ Eccleſiæ uſum à primævis chriſtianæ religionis temporibus receptum... fideles diligenter inſtruant, docentes eos, ſanctos una cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile eſſe ſuppliciter eos invocare*, &c.

Hoc dogma jam definitum fuerat in VI. Synodo, cap. 6. *Solo Deo adorato, invocet Chriſtianus ſanctos Chriſtianos, ut pro ſe intercedere apud majeſtatem divinam dignentur.*

Ratio eſt, quia pium & utile eſt invocare Sanctos viventes: *Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum, ut ſalvet nos*, inquiunt filii Iſrael ad Samuelem, *lib.* 1. *Reg. cap.* 7. & Apoſtolus, *Roman.* 5. ait: *Obſecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Ergo ſimiliter pium ac utile eſt invocare homines Sanctos, qui cum Chriſto regnant in cælis.

Prob. conſeq. Quia ſi non ſit pium ac utile Sanctos invocare; hoc eſt vel quia nolunt nobis ſuccurrere; vel quia non poſſunt; vel quia quod oramus ignorant; vel quia ipſos invocando fit injuria Deo & Chriſto; atqui neutrum horum dici poteſt.

Non primum, cum nunc majori charitate ſint præditi, quam cum in terris degerent.

Non ſecundum, quia ſi poterant nobis ſuccurrere, cum hic erant peregrini, quanto magis nunc poterunt in patria?

Non tertium, quia unde ſciunt Angeli converſionem peccatorum, pro qua tantopere gaudent in cælis? Lucæ 15. Inde ſciunt Sancti noſtras preces, nimirum per revelationem divinam.

Non quartum, quia ſimiliter fieret injuria

Chriſto, viventes Sanctos invocando. Hoc argumentum Calviniſtæ nunquam ſolvere potuerunt.

Objicies 1. Injurioſum eſt, Chriſto mediatorem apud Deum adjungere; atqui praxis invocandi Sanctos, Chriſto mediatorem adjungit; ergo.

Reſpond. diſt. maj. Injurioſum eſt adjungere Chriſto mediatorem, primarium & ſimpliciter, *conc.* ſecundarium & ſecundum quid, *nego.* Nam mediator ſecundarius non eſt ille qui pro nobis ſolvit ac ſatisfacit; ſed eſt ille tantum qui pro nobis orat per merita primarii mediatoris, quod tantum abeſt ut ſit Chriſto injurioſum, quin potius ejus merita maxime commendet.

Objicies 2. Oratio, quæ ad Sanctos mortuos dirigitur, ab illis ignoratur, nam Eccl. 19. *Mortui nihil noverunt amplius*. Ergo eſt prorſus inutilis.

Reſp. nego antec. Nam Lucæ 15. beati gaudent de pœnitentia peccatoris; ergo cognoſcunt actus liberos hominum viventium, non quidem *naturaliter* & virtute propria, quo ſenſu textus allatus debet intelligi, ſed *ſupernaturaliter*, per revelationem: omnia enim quæ ad ipſos pertinent, vident in Deo.

CAPUT VI.

De adoratione, ſeu cultu Chriſti, ejus matris, Sanctorum imaginum, ac reliquiarum.

Quæres 1. Quid ſit adoratio?

Reſp. Eſt, *teſtificatio excellentiæ alterius, & propter illam noſtræ erga eum ſubmiſſionis*. Si excellentia ſit civilis, cultus eſt

eſt mere civilis; ſi ſit ſacra & ſupernaturalis, cultus eſt ſacer. Si cultus exhibeatur alicui rei propter excellentiam propriam, dicitur *abſolutus*; ſi propter excellentiam alterius quem repræſentat, vel ad quem relationem habet, dicitur *reſpectivus*.

Quæres 2. *Quotuplex eſt adoratio ſacra?*

Reſp. Triplex eſt, propter excellentiæ diverſitatem: nimirum *latria*, *hyperdulia* & *dulia* . . . . . *latria*, ſoli Deo exhibetur propter infinitam ejus excellentiam; hic cultus latriæ, ſecundum communem uſum, per nomen, *adoratio*, exprimitur . . . . *hyperdulia*, ſoli B. M. V. exhibetur propter eximiam ejus ſupra omnes alias creaturas præeminentiam ... *dulia*, Sanctis exhibetur propter eorum gratiæ & gloriæ ſupernaturalem excellentiam.

Quæres 2. *Utrum Chriſtus, quatenus eſt hic homo, ſit colendus cultu latriæ abſoluto?*

Reſp. affirmat. Quia ſic ſumptus, eſt verus Deus.

Quæres 4. *Utrum Chriſtus, ut homo, ſive humanitas Chriſti, prout conjuncta Verbo divino, adorari debeat cultu latriæ abſoluto?*

Reſp. affirm. Nam 1. Apoſtolus, *Philipp.* 2. dicit: *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem ... propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur*; ergo is eſt cultu latriæ adorandus quem Deus exaltavit in meritorum mercedem; atqui Chriſtus, non ut Deus, ſed ut homo fuit exaltatus in meritorum mercedem; ergo . . . . . 2. D. Damaſc. *lib.* 3. *de fide:* ait: *Unus igitur Chriſtus, Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu unica adoratione cum ejus immaculata carne: neque tamen, hoc agentes, creaturæ ſervimus: non enim*

velut nudam carnem adoramus, ſed ut divinitati conjunctam . . . 3. Concilium Generale V. *Si quis*, inquit, *duas adorationes introducit, & non una adoratione Verbum incarnatum cum propria ejus carne adorat; anathema ſit* . . . . . . 4. Tota Chriſti perſona latriæ cultu adoratur; atqui tota Chriſti perſona, non eſt ſolum perſonalitas Verbi, ſed etiam omnis naturæ quæ in illa ſubſiſtit; ergo.

Objicies: Humanitas Chriſti non eſt Deus: ergo.

Reſpond. diſt. ant. Humanitas a Verbo ſeparata, *conc.* cum Verbo hypoſtatice unita, *nego*. Quia ſic ſpectata, eſt natura Verbi, cui conjuncta eſt in unitate perſonæ.

Quæres 5. *Utrum Beata Virgo, cæterique Sancti, colendi ſint aliquo cultu religioſo abſoluto*.

Reſp. affirm. Prout definivit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. contra Lutheranos & Calviniſtas. Nam tam licet Sanctos cultu religioſo colere ob eorum ſupernaturales dotes, quam licet cultu civili & politico honorare Principes; atqui; &c. *Honorare decet Sanctos, ut amicos Dei, ut filios & hæredes Dei*, ait Divus Damaſcenus, *lib.* 4. *de fide*, *cap.* 16.

Objicies: Apocal. 19. Angelus Joanni, volenti ipſum adorare, dixit: *Vide ne feceris, conſervus enim tuus ſum . . . . Deum adora*. Ergo.

Reſp. nego conſeq. Non enim Angelus hunc cultum recuſavit, quod ſit illicitus, ſed quia, ut docet D. Auguſt. ſic apparuit, ut potuerit exiſtimari Chriſtus, quare monendus fuit Divus Joannes, ne cultum latriæ exhiberet.

Inſt. Apoſtolus, *Coloſſ.* 2. ait: *Nemo vos ſeducat in humilitate & religione Angelorum*. Ubi reprehendit quoſdam, qui Angelis cultum exhibebant; ergo.

Reſp.

Reſp. Reprehendit quoſdam qui Angelis exhibebant cultum *latriæ*, dicentes per eos mundum fuiſſe conditum, noſque Deo reconciliatos, non autem per Chriſtum, quem Angelis inferiorem eſſe contendebant.

Quæres 6. *Utrum aliquis cultus religioſus debeatur ſacris Imaginibus?*

Reſpond. affirmat. Nam 1. poſt Nicænum II. Synodum, in qua damnati ſunt Iconoclaſtæ, Concilium Trid. *ſeſſ.* 25. damnans Lutheranos & Calviniſtas, definiit, Imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præſertim habendas & retinendas; eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam. 2. Regis imagini, quod Regem repræſentet, cultus civilis exhibetur; ergo religioſus exhiberi debet Imaginibus quæ rem ſacram repræſentant. 3. Traditione conſtanti certum eſt imagines ſanctas in Templis fuiſſe honorifice collocatas, atque fidelium venerationi expoſitas.

Quæres 7. *Quinam cultus debeatur ſacris Imaginibus? An abſolutus, an relativus?*

Reſpond. Debetur *relativus*, quia honorantur per ordinem ad prototypa: *Imaginis enim honor ad primitivum tranſit*, ait Concil. Nicænum II. *& qui adorat Imaginem, adorat in ea depicti ſubſiſtentiam*. Et Concil. Trident. *Honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræſentant.*

Objicies; Concil. Francofordienſe, Pariſienſe, & Libri Carolini Synodum II. Nicænam damnarunt ob probatum in illa Synodo cultum Imaginum; ergo, &c.

Reſp. nego ant. Neque enim Concilia Francofordienſe, & Pariſienſe, neque Libri Carolini damnarunt Concilium Nicænum II. quia probavit cultum legitimum ſacrarum Imaginum; ſed quia, errore facti, crediderunt hoc Con-

cilium definiiſſe Imagines Sanctorum cultu latriæ abſoluto adorandas eſſe, itemque tale decretum a Græcis, ſine conſenſu Summi Pontificis, latum fuiſſe. Huic errori occaſionem dedit confeſſio fidei Conſtantini Conſtantiæ Cypri Epiſcopi, a Concilio Nicæno approbata ac recepta, ſed e Græco in Latinum male reddita, his verbis: *Suſcipio & amplector ſanctas & venerabiles Imagines ſecundum ſervitium adorationis, quod conſubſtantiali Trinitati emitto.* Cum ſic in Græco habetur; *His conſentio & cenſors ſum, ſuſcipiens & cum honore amplectens ſanctas & venerandas Imagines: ac latriæ adorationem ſoli ſuperſubſtantiali ac vivificæ Trinitati defero.*

Quæres 9. *Utrum vera Crux debeat adorari?*

Reſp. Debet adorari cultu latriæ relativo, ut probat tum definitio Tridentina, *ſeſſ.* 24. tum auctoritas Eccleſiæ, quæ veræ Crucis inventionem, & ejuſdem exaltationem, feſto ſolemni honorari voluit; in quibus ſolemnitatibus canit: *O Crux, ave, ſpes unica;* & *Tuam Crucem adoramus*, &c. Ratio eſt, quia vera Crux eſt primum victoriæ Chriſti & noſtræ ſalutis inſtrumentum.

Objicies: Vera Crux Chriſto ignominiam attulit; ergo.

Reſp. diſt. ant. Chriſto ignominiam attulit, & ſimul eſt ſignum victoriæ Chriſti & noſtræ ſalutis, *conc.* & tale ſignum non eſt, *nego.* Itaque adoramus Crucem, non quatenus ignominiam Chriſto attulit, ſed quatenus eſt ſignum victoriæ Chriſti & noſtræ ſalutis.

Quæres 9. *Utrum Reliquiæ Sanctorum pie ac religioſe colantur?*

Reſp. affirm. Ut probat D. Hieron. *Epiſt. ad Riparium*, confutans Vigilantium; & definit Concil. Trident. ſeſſ. 25. *Affirmantes*, inquit, *San-*

Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi . . . omnino damnandos, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia. Ratio eſt, quia honor ipſis exhibitus redundat in ipſos Sanctos, quorum ſunt pretioſæ exuviæ.

CAPUT VII.

De B. V. Maria Matre Chriſti.

Quæres 1. AN *Maria Mater Chriſti ſemper fuerit Virgo?*

Reſp. Fuit virgo ante partum, in partu, & poſt partum; ut fides docet contra Cerinthum, Ebionem, Jovinianum, & Helvidium. Ita definitum eſt in Conciliis Conſtantinopol. V. & Lateranenſi ſub Martino V. *Videte miraculum Matris Dominicæ*, inquit D. Auguſt. Serm. 23. *Virgo concepit, Virgo parturiit, Virgo poſt partum permanſit.*

Objicies 1. Matth. 1. dicitur: *Antequam convenirent*, Maria & Joſeph, *inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto;* ergo poſtea convenerunt.

Reſpond. nego conſeq. Nam, ut notat D. Hieronymus contra Helvidium, per particulam, *antequam*, *Scriptura quid factum non ſit, oſtendit:* non vero oſtendit quid poſtea factum ſit. Unde addit D. Hieron. *Quod dicitur, antequam convenirent, non ſequitur, ut poſtea convenerint.*

Inſt. Ibidem, de Joſeph dicitur, *Et non cognoſcebat eam, donec peperit Filium ſuum primogenitum;* atqui particula, *donec*, ſignificat terminum continentiæ Joſeph; ergo.

Reſp. nego min. Nam particula, *donec*, non ita tempus præcedens connotat, ut futurum

etiam non reſpiciat : v. gr. *Pſalm.* 109. Deus dicit Filio : *Sede a dextris meis , donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum ;* quis inde inferat Chriſtum non amplius futurum a dextris Dei , poſtquam inimicos ejus poſuerit ſcabellum pedum illius ? Ergo particula, *donec*, duntaxat oſtendit quid ante factum non ſit.

Objicies 2. Chriſtus habuit fratres, Matth. 12. *Ecce mater tua , & fratres tui*. Ergo.

Reſp. nego conſeq. Nam Scriptura appellat fratres, non ſolum eos , qui ex iiſdem patre & matre nati ſunt, ſed etiam eos qui conſanguinei ſunt; ſic Abraham, *Geneſ.* 13. dicebat Loth nepoti ſuo, *nos fratres ſumus*.

Quæres 2. *Utrum B. Virgo immunis fuerit ab omni peccato actuali, ſive mortali, ſive veniali ?*

Reſp. affirm. Nam 1. Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. *can.* 23. definit, *Hominem ſemel juſtificatum . . . . non poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia*. 2. D. Aug. lib. de nat. & grat. c. 36. *Excepta ſancta Virgine Maria , de qua, propter honorem Domini, nulla prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem*. 3. D. Thom. *opuſc.* 60. *artic.* 30. dicit : *Maria non fuiſſet idonea Mater Chriſti, ſi aliquando peccaſſet*, & poſt multas illius veritatis redditas rationes in Scriptura fundatas, ſic concludit: *Et ideo ſimpliciter fatendum eſt, quod B. Virgo nullum peccatum actuale commiſit, nec mortale, nec veniale, ut ſic impleatur quod dicitur Cant.* 4. Tota pulchra es, amica mea.

Objicies cum Luthero : Maria admiſit peccatum infidelitatis, quando dixit Angelo ; *Quomodo fiet iſtud*, & peccatum impatientiæ, quando dixit: *Fili, quid feciſti nobis ſic ?*

Ad 1. Reſpondet D. Bernardus, *hom.* 4. Super miſſus eſt: *Non dubitavit de facto, ſed modum*

dum requirit & ordinem; neque enim quærit, an fiet iſtud, ſed quomodo.

Ad 2. nego ant. Præfata enim B. Mariæ verba non ſunt impatientiæ & reprehenſionis indicia, ſed doloris de abſentia amantiſſimi Filii ſui.

Quæres 3. *Unde habuit impeccabilitatem Beata Virgo Maria?*

Reſpond. Habuit per confirmationem in gratia; unde ejus impeccabilitas fuit moralis, non phyſica, quæ ſoli comprehenſori competit, cum oriatur ex amore Dei neceſſario, & ejuſdem viſione intuitiva.

TRACTATUS VI.

DE GRATIA CHRISTI.

Quæres 1. QUid ſit gratia Chriſti? *Reſp.* Eſt donum ſupernaturale, gratis a Deo per merita Chriſti collatum, quod de ſe tendit ad actum & finem ſupernaturalem.

Dicitur 1. *Donum ſupernaturale*; ut diſtinguatur a donis naturalibus, ut ſunt creatio, conſervatio, &c. quæ ſunt beneficia gratuita, ſed naturalia.

Dicitur 2. *Gratis a Deo collatum*; ut oſtendatur gratiam non rependi præcedentibus meritis, *alioquin gratia jam non eſt gratia*, ait Apoſtol. *Rom.* 11.

Dicitur 3. *Per merita Chriſti*; ut diſtinguatur a gratia ſtatus innocentiæ, quæ independenter a meritis Chriſti fuit conceſſa.

Dicitur 4. *Quod ex ſe tendit ad actum & finem ſupernaturalem*; quia per gratiam creatura rationalis adjuvatur ad operationes, quæ naturales illius vires ſuperant, quæque ad æternam illius ſalutem ordinantur.

Quæres 2. *Quomodo dividitur gratia Chriſti?* *Reſpond.* Dividitur in *externam*, quæ hominem exterius tantum afficit; ut ſunt prædicatio Evangelii, lex, miracula, &c. & *internam*, quæ hominem interius afficit, ſive ipſi inſit per modum habitus, ſive per modum actus tranſeuntis.

Gratia *interna*, alia eſt *gratis data*, quæ primario & per ſe conceditur alicui propter alio-

rum

rum ſalutem, ut ſunt dona prophetiæ, miraculorum, linguarum, &c. Alia *gratum faciens*, quæ ad propriam ſalutem illius, cui confertur, primario & per ſe ordinatur.

Gratia *gratum faciens*, alia eſt *actualis*, quæ eſt auxilium quoddam internum, intellectui aut voluntati a Deo tranſeunter impreſſum, quo potentiæ illæ, de ſe inſufficientes, adjuvantur ad eliciendos actus ſupernaturales, quibus juſtitia, vel juſtitiæ incrementum obtinetur. Hinc hominem gratum Deo reddit efficienter. Alia eſt *habitualis*, eſtque qualitas homini permanenter inhærens, quæ ipſum formaliter reddit Deo gratum & ſanctum.

De utraque illa gratia, actuali & habituali hic agemus duplici Diſſertatione.

DISSERTATIO I.

De Gratia actuali.

GRatiæ interioris actualis 1. neceſſitatem, 2. naturam & diviſionem; 3. diſtributionem inquiremus, triplici capite.

CAPUT I.

De neceſſitate gratiæ actualis.

Quæres 1. QUinam *erraverunt circa gratiæ actualis interioris neceſſitatem?*

Reſp. Erraverunt 1. *Pelagiani*, qui negarunt tum neceſſitatem, tum gratuitatem gratiæ actualis interioris ad quodlibet opus ſalutare peragendum.

2. *Semipelagiani* qui docuerunt 1. initium fidei eſſe a nobis; 2. hominem per niſum voluntatis mereri gratiam ad opus ſalutare ulte-

rius perficiendum, & ſalutem æternam conſequendam: ex quo ſequebatur gratiam non prævenire voluntatem, ſed ipſam præveniri a voluntate. 3. Perſeverantiam uſque in finem a noſtro libero arbitrio pendere, nec eſſe donum Dei ſpeciale.

3. *Lutherus* & *Calvinus*, qui liberi arbitrii vires ita extenuant, ut nihil omnino boni moralis per ſolas naturæ vires fieri poſſe contendant; eaque opera quæ per ſolas naturæ vires fiunt, eſſe vitioſa & peccata.

4. *Bajus* & *Janſenius*, qui docent, 1. Gratiam habitualem ita neceſſariam eſſe ad quodlibet opus bonum morale, ut omnia peccatorum opera ſint peccata; 2. Omnes infidelium virtutes eſſe vera vitia, & omnia eorum opera eſſe peccata.

Quæres 2. *Utrum homo lapſus poſſit, ſine gratia interiori præveniente, efficere aliquod opus ſalutare?*

Reſp. negat. Prout de fide ſæpius definitum eſt contra Pelagianos in Conciliis Dioſpolitano, Carthaginenſi III. & Arauſicano II. conſtatque ex Scriptura, Joann. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Et cap. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*. 2. Cor. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* . . . . Ratio eſt, quia media debent eſſe proportionata fini, & ejuſdem cum illo ordinis, atqui opera ſalutaria ſunt media ad ſalutem æternam, quæ eſt ſupernaturalis; ergo debent eſſe ſupernaturalia; atqui non poſſunt eſſe ſupernaturalia niſi præveniantur & excitentur gratiæ ſupernaturalis auxilio; ergo, &c.

Objicies 1. Myſterio credibiliter propoſito, poteſt homo ratione utens aſſentiri & credere abſque gratiæ interioris auxilio; ergo fides, quæ

quæ eſt opus ſalutare, poteſt haberi abſque gratia actuali.

Reſp. diſt. antec. Fide humana & ad vitam æternam ſterili, *conc.* fide ſupernaturali & ſalutari, *nego ant.* Nam contrariatur Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. *can.* 3. definienti: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei gratia juſtificationis conferatur, anathema ſit.*

Inſt. Qui myſterio credibiliter propoſito aſſentitur, credit propter Dei revelantis auctoritatem; ergo ejus fides eſt ſupernaturalis, habet enim objectum ſupernaturale.

Reſp. nego conſeq. Nam ut actus ſit intrinſece ſupernaturalis, non ſufficit, ut circa objectum ſupernaturale verſetur, ſed inſuper requiritur ut procedat a principio ſupernaturali: facultas enim non poteſt ultra vires proprias tendere, niſi per formam aliquam ſuperadditam vegetetur & corroboretur.

Objicies 2. Homo juſtus, habituali gratia donatus, poteſt abſque gratia actuali voluntatem præveniente, facere aliquod opus ſalutare; ergo, &c.

Reſp. nego ant. Cum D. Auguſt. qui, *lib. de nat. & grat.* ait: *Sicut oculus corporis, etiam pleniſſime ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere; ſic homo perfectiſſime juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, recte non poteſt vivere.* Ita etiam definit Concil. Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 16.

Quæres 3. *Utrum homo lapſus, ſine gratia præveniente, poſſit incipere aliquod opus ſalutare?*

Reſp. negative: Ut definit Concilium Arauſicanum II. can. 5. *Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſumque credulitatis*

affe-

affectum . . . non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti . . . ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur.

Ergo, homo, per ſolas naturæ vires, non poteſt ſe præparare ad gratiam, ut definivit idem Concilium, *canon.* 7. & ratio eſt, quia actus naturalis nullam habet proportionem ad formam ſupernaturalem, qualis eſt gratia; eam enim non exigit; ergo, &c.

Objicies 1. Proverb. 16. dicitur: *Hominis eſt præparare animam, & Domini gubernare linguam;* ergo hominis eſt incipere opus ſalutare, cujus intuitu Deus præparat & confert gratiam.

Reſp. diſt. conſeq. Hominis eſt incipere opus ſalutare, ope gratiæ prævenientis, *conc.* per ſolas naturæ vires, *nego*. Senſus ergo textus eſt, hominis eſſe animam ope gratiæ prævenientis præparare ad ulteriorem gratiam ſpecialiorem, quæ neceſſaria eſt, ut pie cogitata, recte & fructuoſe eloquatur.

Objicies 2. Zachariæ 1. Deus dicit: *Convertimini ad me, & convertar ad vos;* ergo homo debet incipere negotium ſalutis.

Reſp. diſt. conſeq. Homo debet incipere, præventus & excitatus a gratia divina, *conc.* per vires naturales, *nego*. Converſio enim hominis ad Deum eſt fructus gratiæ prævenientis, & converſio Dei ad hominem deſignat gratiæ ſubſequentis collationem. *Cum dicitur:* convertimini ad me, & ego convertar ad vos: *Libertatis noſtræ admonemur*, ait Concil. Tridentin. ſeſſ. 6. cap. 5. *Cum reſpondemus*, converte nos, Domine, ad te, & convertemur: *Dei gratia nos præveniri confitemur.*

Objicies 3. Axioma Theologicum, *facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam;* ergo homo

homo per ſolas naturæ vires poteſt ſeſe ad gratiam præparare.

Reſp. diſt. antec. Facienti quod in ſe eſt ex gratiæ viribus, *conc.* ex naturæ viribus, *nego*. Axioma 1. ſenſu intellectum, eſt D. Thomæ, 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 6. *ad* 2. dicentis: *Nihil homo poteſt facere, niſi a Deo moveatur, ſecundum illud Joann.* 15. Sine me nihil poteſtis facere: *Et ideo enim tum dicitur homo facere quod in ſe eſt, dicitur hoc eſſe in poteſtate hominis ſecundum quod eſt motus a Deo.* 2. Senſu intellectum, damnatum eſt a Clero Gallicano, ann. 1700. *Tanquam inſtaurans Semipelagianiſmum, mutatis tantum vocibus.*

Quæres 4. *Utrum juſtus in præſenti ſtatu indigeat ſpeciali gratiæ auxilio ad reipſa perſeverandum uſque in finem vitæ?*

Reſp. affirmat. Ita enim definitum eſt a Conciliis Arauſicano II. & Trid. ſeſſ. 6. can. 22. *Si quis dixerit juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.* Ratio eſt, quia donum perſeverantiæ hominem reddit in bono ita immobilem, ut finem, nempe mortem in Chriſto, indeclinabiliter aſſequatur; atqui homo juſtus cum auxiliis gratiæ ordinariis non poteſt habere illam immobilitatem; ergo gratia perſeverantiæ eſt donum ſpeciale, ab aliis auxiliis diſtinctum, quod ideo a Concilio Trident. *can.* 16. vocatur, *magnum perſeverantiæ donum.*

Objicies: Ut quis in accepta juſtitia uſque in finem perſeveret, ſufficit ut ultimum impleat præceptum; atqui illud implere poteſt cum auxilio ordinario; ergo.

Reſp. diſt. min. Cum auxilio ordinario implere poteſt ultimum præceptum quatenus præciſe præceptum eſt, *conced.* quatenus eſt ulti-

mum,

mum, *nego*. Ultimum ſiquidem non eſt, niſi quatenus mors contingit poſt ejus fidelem adimpletionem, illud autem ſingulari Dei beneficio tribui neceſſe eſt, cum in ſtatu gratiæ juſtificantis ex hac vita eripi, ſpeciale ſit donum Dei.

Quæres 5. *Quid ſit perſeverantiæ donum?*

Reſpond. Definitur a D. Auguſt. lib. de dono perſever. cap. 1. *Donum Dei, quo uſque in finem* (vitæ) *perſeveratur in Chriſto.*

Quæres 6. *In quo præciſe ſitum ſit magnum perſeverantiæ donum?*

Reſpond. Situm eſt in duobus: 1. In interno gratiæ actualis auxilio, quo homo juſtus, vel a peccando retrahitur, vel a ſuis peccatis, propter quæ a Deo deſeri merebatur, cito reſipiſcit, ac tandem in accepta juſtitia perſeverat. 2. In ſingulari Dei protectione externa, qua Deus ab homine juſto graves tentationes, peccandi occaſiones, & alia ſalutis obſtacula removet, ac tandem ejus mortem cum gratia ſanctificante conjungit.

Quæres 7. *Utrum homo lapſus poſſit abſque gratia aliquod opus bonum morale naturalis ordinis velle & facere?* per opus bonum morale intelligimus opus bonum ex objecto, fine, & aliis circumſtantiis, ſeu opus, quod ex parte objecti bonum eſt, & ex parte operantis refertur ad finem honeſtum, v. gr. datio eleemoſynæ ad ſublevandum pauperem.

Reſp. affirm. Nam *Roman.* 2. dicitur: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt; ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Ergo gentiles aliquod opus bonum naturalis ordinis poſſunt facere *naturaliter*, id eſt, ſine gratia, ſine fide, ut interpretantur Patres. Ratio eſt, quia per pecca-

tum Adami *liberum arbitrium minime extinctum eſt, viribus licet attenuatum & inclinatum*, prout docet Concil. Trident. *ſeſſ. 6. c.* 1. Ergo poteſt homo ſolis liberi arbitrii viribus aliqua opera moraliter bona propter finem honeſtum elicere: v. gr. poteſt gentilis naturali pietate honorare parentes, commiſeratione ſublevare proximi miſeriam, quia id honeſtum eſt, & rationi naturali conforme.

Hinc merito SS. Pontifices, Pius V. Gregorius XIII. & Urban. VIII. has propoſitiones Bajanas proſcripſerunt: 25. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & philoſophorum virtutes ſunt vitia ... 37. Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ viribus ortum ducit, agnoſcit*, Item Clem. XI. has Queſnellianas damnavit: 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit ... eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum ... 40. Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.*

Objicies 1. Apoſt. *Hebr.* 11. dicit: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*; ergo.

Reſp. diſt. ant. Impoſſibile eſt placere Deo, in ordine ad vitam æternam, *conc.* in ordine ad honeſtatem moralem naturalis ordinis, *nego*. Itaque quando Scriptura & Patres ſic loquuntur, intelligendi ſunt de opere ſalutari, non autem de opere ſterili in ordine ad vitam æternam, qualia ſunt opera bona facta abſque gratia.

Objicies 2. Matth. dicitur: *Non poteſt ... arbor mala bonos fructus facere*; atqui infidelis eſt arbor mala; ergo.

Reſp. diſt. major. Quando agit ex ſua malitia, *conc.* aliter, *nego*. Porro infidelis non ſemper ex ſua malitia & infidelitate agit, ſed quandoque ex dictamine rectæ rationis.

Inſt. D. Auguſt. *lib. de ſpiritu & litt. c.* 14. ait:

ait: *Non eſt fructus bonus, qui de charitatis radice non ſurgit*. Atqui nullum opus infidelis de charitatis radice ſurgit; ergo.

Reſp. D. Aug. loquitur de opere bono ſalutari, non autem de opere bono morali, quod ſic præciſe, non eſt ſalutare, cum ſit ſterile ad vitam æternam; ſeſe explicat, *lib.* 4. *contra Julian. c.* 5. dicens: *Scito, nos illud bonum hominum dicere .... per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum regnumque perduci*. Unde ejus teſtimonia nihil habent commune cum præſenti noſtra quæſtione.

Objicies 2. Concil. Arauſicanum, *can.* 22. ait: *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum;* ergo.

Reſp. nego conſeq. Senſus enim Canonis eſt, hominem ſibi ſoli ſufficere ad peccandum, eum vero ad bonum operandum indigere auxilio Dei, naturali quidem ad bonum morale & ſupernaturali ad bonum ſalutare. Ex his.

Sequitur 1. Aliqua legis naturalis præcepta faciliora poſſe abſque gratia obſervari quantum ad ſubſtantiam; nam omne bonum morale, eſt præceptum legis naturalis.

Sequitur 2. Hominem lapſum poſſe abſque gratia Deum ut auctorem naturæ amare, amore imperfecto, id eſt, amore qui non ſit ſuper omnia: nam voluntas amare poteſt naturaliter, quod intellectus naturaliter poteſt cognoſcere; atqui intellectus naturaliter poteſt cognoſcere Deum eſſe tum ſummum bonum propter ſe amabile, tum ſummum noſtrum bonum; ergo, &c. Unde Apoſt. *Roman.* 1. dicit, gentes eſſe *inexcuſabiles, quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*. Ergo Deum amare potuerunt.

Hinc SS. Pontifices merito hanc Baji propoſitionem damnarunt: *Diſtinctio illa duplicis amo-*

amoris, naturalis videlicet, quo Deus diligitur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana eſt & commentitia. SS. Patres, qui videntur contrarii, loquuntur de amore ſupernaturali, perfecto, & conducente ad vitam æternam.

Sequitur 3. Hominem lapſum poſſe aliquando abſque ſupernaturalis gratiæ auxilio leves quaſdam vincere tentationes, victoria ſterili. Quia quando facultas poteſt aliquid naturaliter, id etiam poteſt cum levibus impedimentis; atqui homo lapſus aliquod opus bonum ordinis naturalis poteſt peragere abſque gratia; ergo, &c. Hinc merito damnata eſt hæc Baji propoſitio: *Fures ſunt & latrones, qui dicunt .... ulli tentationi ſine gratiæ illius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non incidat, aut ab ea non ſuperetur.*

Objicies: Scriptura, Concilia, & SS. Patres indefinite docent victoriam tentationum eſſe a Deo; ergo leves tentationes non poſſunt vinci, niſi per gratiam Dei.

Reſp. nego conſeq. Non enim ideo ſoli Deo adſcribunt victoriam tentationum indefinite, quod nulla levior tentatio poſſit vinci abſque gratia; ſed 1. Quia Scriptura ſemper, & SS. Patres plurimum loquuntur de victoria meritoria, quæ abſque gratiæ auxilio haberi non poteſt. 2. Quia loquuntur de univerſo tentationum agmine, quod non poteſt vinci abſque ſpeciali Dei auxilio. 3. Quia SS. PP. Pelagianos impugnabant, qui cum indiſtincte victoriam tentationum naturæ viribus tribuerent, efficacius refelli non potuerunt, quam ſi illarum indiſtincte victoriam ad gratiam Dei referrent. Nunc itaque

Quæres 8. *Utrum homo lapſus, abſque gratiæ divi-*

divinæ auxilio, poſſit omnia legis naturalis præcepta, quoad ſubſtantiam operis ſervare?

Reſpond. Non poteſt potentia morali: nam Apoſtol. *Roman.* 8. ait: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* (id eſt legi naturali) *& captivantem me ſub lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Hinc exclamat: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Reſpondet: *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum;* ergo natura humana, ita per peccatum infirmata eſt, ut hoc præceptum: *Non concupiſces:* non poſſit implere, niſi per gratiam Dei, qua vulnus inflictum ſanetur.

Objicies: Rom. 2. dicitur: *Gentes quæ legem non habent, ea, quæ legis ſunt, faciunt;* ergo homo lapſus abſque gratia poteſt obſervare omnia legis naturalis præcepta.

Reſp. nego conſeq. Textus enim non de omnibus præceptis eſt intelligendus, ſed tantum de aliquibus, iiſque facilioribus, quæ quandoque & aliquando a gentibus naturaliter poſſunt obſervari, quando nimirum graves non adſunt occaſiones ab illa obſervatione removentes.

Inſt. Homo lapſus habet potentiam moralem ad omnia præcepta legis naturalis diſtributive; ergo & ad omnia collective.

Reſp. 1. *diſt. min.* Habet potentiam moralem ad omnia diſtributive præcepta, quæ ſunt facilia, quale eſt præceptum honorandi parentes, *conc.* quæ ſunt ardua, ſive ex objecto, ſive ex tentatione & aliis circumſtantiis, *nego.* Sapiens enim *cap.* 8. de præcepto continentiæ, ait: *Scivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det.*

Reſpond. 2. *nego conſeq.* Collectio enim difficul-

ficultatem habet, quam non habent ſingula.

Quæres 9. *Utrum homo lapſus poſſit abſque gratia Deum ut auctorem naturæ amare amore perfecto & ſuper omnia?*

Reſp. negative. Nam amor Dei ſuper omnia perfectus & efficax omnium Dei præceptorum executionem importat, ita ut voluntas parata ſit abſolute & efficaciter Deo in omnibus placere, omniaque ei diſplicentia vitare; atqui homo lapſus non poteſt ſine gratia omnia Dei præcepta, etiam naturalia, exequi; ergo.

Objicies: Amor Dei ſuper omnia perfectus, lege naturali præcipitur; ergo ſolis naturæ viribus poteſt elici.

Reſpond. diſt. conſeq. Poteſt elici a natura ſana, *conc.* a natura per peccatum vitiata, *nego conſeq.* Licet enim præceptum naturale amoris Dei ſuper omnia non ſuperet vires naturæ integræ, ſuperat tamen vires naturæ vitiatæ; ergo non poteſt impleri abſque *auxilio gratiæ naturam ſanantis*, ait D. Thomas 1. 2. *q.* 109. *artic.* 3.

Inſtab. Homo lapſus poteſt naturaliter cognoſcere Deum, etiam ut auctorem naturæ, eſſe ſuper omnia amabilem; ergo & naturaliter amare ſuper omnia.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod, ut ait D. Thom. ad 3. *Natura humana magis eſt corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri*, eo quod peccatum voluntate commiſſum eſt, & ideo amori Dei perfecto, non cognitioni Dei ſuper omnia amabilis, obſtant infirmitas & corruptio naturæ.

Quæres 10. *Utrum homo lapſus poſſit abſque auxilio gratiæ gravem tentationem vincere victoria ſterili?*

Reſpond.

Reſpond. negative ; Nam Scriptura ſignificat opus eſſe gratiæ auxilio ad ſuperandas tentationes, Pſalm. 17. *In te eripiar a tentatione*. Et Matth. 26. *Vigilate & orate ne intretis in tentationem*. Unde hic Pelagii articulus : *Victoria noſtra, non eſt ex Dei adjutorio ſed ex libero arbitrio:* damnatus eſt in Concilio Dioſpolitano, *cap.* 11.

Objicies : Homo lapſus poteſt ſolis naturæ viribus vincere tentationem mortis ex motivo pravo, v. g. ex vana gloria; ergo & ex motivo honeſto.

Reſpond. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod homo lapſus ab objectis delectabilibus & pravis multum afficiatur, & ideo vincit unam tentationem per aliam fortiorem, qualis eſt pertinacia, & inanis gloriæ cupiditas; econtra motivo honeſtatis parum afficitur; & ſic illud motivum totam relinquit difficultatem, non tollit, neque minuit.

Quæres 11. *Quænam gratia interior requiratur ad obſervanda omnia legis naturalis præcepta, & graves tentationes ſuperandas?*

Reſp. Requiritur 1. gratia habitualis quæ ſanet naturam. 2. Requiritur gratia actualis; quia licet gratia habitualis ſanet naturam, tamen nec intellectus ignorantiam, nec voluntatis malitiam, nec appetitus ſenſitivi rebellionem tollit; ergo ad hoc requiritur gratia actualis.

Quæres 12. *Utrum gratia, quæ requiritur ad obſervanda præcepta naturalia propter ſolam honeſtatem moralem, debeat eſſe ſupernaturalis?*

Reſp. Debet eſſe ſupernaturalis ratione principii, quia eſt homini indebita; non vero ratione objecti, quia hominem non dirigit ad finem ſupernaturalem.

C A-

CAPUT II.

De natura & diviſione gratiæ actualis.

Quæres 1. QUomodo dividatur gratia actualis?

Reſp. 1. Dividitur in excitantem & adjuvantem . . . . gratia *excitans*, eſt ſupernaturalis & indeliberatus intellectus & voluntatis motus, quo Deus nos veluti torpentes & ſomno ſopitos, ad bonum ſupernaturale movet & excitat, & a malo retrahit . . . . vocatur etiam *operans*, quia Deus pium illum motum operatur in nobis ſine nobis libere conſentientibus . . . vocatur etiam *præveniens*, quia prævenit voluntatem, cauſando in ea boni motus initium.

Gratia *adjuvans*, eſt concurſus ſupernaturalis Dei, quo nobiſcum per gratiam excitantem illuſtratis ac motis, concurrit ad omnes & ſingulos actus ſupernaturales & liberos . . . vocatur etiam *cooperans*, quia bonam actionem nobiſcum operatur. Et *ſubſequens*, quia ſubſequitur & executioni applicat bonum motum jam in voluntate per gratiam excitantem inchoatum.

2. Gratia *excitans*, dividitur in ſufficientem & efficacem, de quibus duplici Paragrapho agemus.

§. I. *De gratia ſufficienti.*

Nota. 1. Gratia ſufficiens ſumi poteſt, 1. *generice*, prout convenit etiam gratiæ efficaci, & eſt, *ea quæ voluntati ſubminiſtrat vires pares & proportionatas effectui bono, ad quem proxime movet, & quem Deus ultimate inten-*

dit, producendo . . . . . 2. *Specifice*, quatenus opponitur gratiæ efficaci, diciturque *mere* ſufficiens; & hæc definitur: *Ea quæ licet vires pares & proportionatas ſubminiſtret ad ponendum effectum ad quem datur, & quem Deus ultimate intendit, illum tamen non ſortitur ex ſola culpâ voluntatis, nolentis gratiæ conſentire*.

2. Alia eſt *proxime ſufficiens*, quæ dat immediatam potentiam ad executionem operis a Deo ultimate intenti; v. g. ad executionem talis præcepti. Hæc vocatur *gratia actionis* . . . . Alia eſt *remote ſufficiens*, quæ non dat equidem immediatam potentiam exequendi operis a Deo ultimate intenti, ſed dat immediatam potentiam ad implorandum per orationem uberius Dei auxilium, non conferendum a Deo niſi prius oraverit homo, & certo conferendum, ſi reipſa oraverit, gratiæ primæ obſequens. Hæc vocatur *gratia orationis*.

Quæres 1. *Quinam rejecerint gratiam ſufficientem?*

Reſp. Eam rejecerunt 1. *Calvinus*, *Lutherus* & *Bajus*, qui volunt ſic gratiam determinare voluntatem ad actum, ut nullum libertati locum relinquat; ergo, ſecundum eos, omnis gratia eſt neceſſitans & efficax. 2. *Janſenius*, (quem ſequitur *Queſnellus*) docet gratiam ita invicte ac inſuperabiliter voluntatem humanam determinare ad unum, ut ſemper conſenſum voluntatis expromat.

Quæres 2. *Quotuplicem admittant gratiam Janſeniani?*

Reſpond. Duplicem, *primam*, quæ plenum atque perfectum effectum aſſequitur, & ad id a Deo datur, hancque vocant efficacem & victricem relative . . . . *Secundam*, quæ efficit quamdam velleitatem & complacentiam boni ope-

operis inefficacem, & ad id duntaxat a Deo datur, hancque ſufficientem appellare non recuſant hodierni Janſeniani, aſſeruntque eam conferre completam, perfectam, & expeditam ad præceptum obſervandum potentiam. Verum (quod maxime notandum) nomine *potentiæ*, intelligunt potentiam abſolutam duntaxat, & abſtractam a præſentibus ſubjecti circumſtantiis & diſpoſitionibus, non vero relativam, & ad illas circumſtantias comparatam. Deus enim, inquiunt, voluntate antecedente, & a præſentibus ſubjecti circumſtantiis abſtrahente, vult per hanc parvam gratiam opus perfectum impleri; verum, conſideratis illis circumſtantiis, non vult, voluntate abſoluta & conſequente, opus perfectum per illam impleri, ſed aliquod duntaxat imperfectum ac inchoatum boni operis deſiderium. Ex quo,

Sequitur 1. Gratiam parvam Janſenianam eſſe efficacem, quia juxta illos, omnem obtinet effectum, propter quem in talibus circumſtantiis a Deo datur.

Sequitur 2. Illam gratiam eſſe inſufficientem, quia propter defectum virium eſt impar & improportionata ad oppoſitam concupiſcentiæ delectationem ſuperandam, ut ipſemet aſſerit Janſenius *lib.* 2. *de gratia*, *cap.* 17. dicens: *Eam nullo modo ſufficere, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum ſuper omnia diligat*, &c. *Licet aliquid faciat, nempe velleitates quaſdam excitet*.

Quæres 3. *Utrum detur in præſenti ſtatu naturæ lapſæ gratia vere & relative ſufficiens, id eſt quæ voluntati ad opus bonum perficiendum conferat potentiam completam, expeditam, & relativam ad præſentes ſubjecti circumſtantias, cui tamen diſſenſu libero reſiſtat humana voluntas?*

Reſp. affirm. ut fides docet; nam, *Prov.* 1. Deus dicit: *Vocavi, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*. Ubi vocatio, extenſio manuum, conſilium Dei, etiam intus pulſantis, gratiam vere & relative ſufficientem indicat, alias non eſſet juſta Dei increpatio & objurgatio; atqui illi gratiæ diſſenſu libero reſiſtit voluntas humana, *renuiſtis, deſpexiſtis*, &c. ergo, &c. . . . . . Matth. 11. Chriſtus exprobrat Choroſaitis, quod non egiſſent pœnitentiam ad aſpectum miraculorum a ſe patratorum: *Væ tibi, Chorozain, væ tibi, Bethſaida*, &c. Ergo revera cum gratia ipſis collata pœnitentiam agere potuerunt, non tantum remote, & abſolute, ſed proxime & relative; ergo, &c.

Concilium Senon. *part.* 1. *in decretis fidei*, *c.* 15. dicit: *Eo extendimus* (liberum arbitrium) *ut voluntas humana miſericordiæ prævenientis auxilio ſuffulta, & interiori quodam & occulto ſecretioris afflatu contacta, ſeſe convertat ad Deum*. Poſtea addit: *Non tale eſt hujuſmodi trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit: quoties enim Dominus voluit congregare filios Jeruſalem . . . . & noluerunt*, &c.

Hinc merito damnata eſt ut hæretica hæc ſecunda Janſenii propoſitio: *Interiori gratiæ, in ſtatu naturæ lapſæ, nunquam reſiſtitur*.

Objicies 1. Rom. 9. dicitur. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*. Ergo non eſt in poteſtate vocati, vocationi obtemperare, vel non obtemperare.

Reſpond. diſting. anteced. Non eſt volentis, neque currentis, per ſolas naturæ vires, *conc.* per gratiam, *ſubdiſt.* non eſt volentis, primario & principaliter, *conc.* ſecundario, quaſi ho-

ſi homo nihil divinæ gratiæ cooperiretur, *nego*. Hoc unum vult Apoſtolus, bonum opus magis eſſe a Deo per gratiam, quam ab homine, qui abſque gratia nec conari, nec conſentire poteſt. Unde ait Apoſtolus, *Non ego, ſed gratia Dei mecum;* id eſt, ait Divus Auguſtinus lib. de gratia, capit. 5. *Non ſolus; ſed gratia Dei mecum; ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo.*

Inſt. Nemo poteſt ſe diſcernere in negotio ſalutis, juxta illud 1. Cor. 4. *Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti?* Atqui ſi duobus hominibus detur gratia ſufficiens cui unus obtemperet, alter reluctetur, qui obtemperaverit, ſe diſcernit ab eo qui reluctatur; ergo non datur talis gratia.

Reſpond. diſt. major. Nemo poteſt ſe diſcernere, per proprias vires, *conced.* quatenus per gratiam motus & adjutus, *nego*. Neque enim qui ſic per gratiam, qua excitatur & juvatur, ſe diſcernit, contradicit Apoſtolo prohibenti ſolum ne homo glorietur de bono opere, quaſi principium illius efficiens non acceperit a Deo. Ita D. Auguſtin. *lib. de ſpiritu & litt. cap. 33.*

Objicies 2. Gratia ſufficiens, cui voluntas reſiſtat, eſt gratia poſſibilitatis Pelagiana, quam confutavit D. Auguſtin. & damnavit Eccleſia; ergo, &c.

Reſp. nego antec. Nam Pelagius per gratiam poſſibilitatis intelligebat liberum arbitrium, quod docebat per ſe ſolum valere ad quodlibet opus ſalutare ſimpliciter, equidem libero arbitrio adjunxit gratiam, non quidem ad poſſe ſimpliciter, ſed tantum ad facilius poſſe, quæ gratia nihil aliud, ſecundum ipſum erat, quam gratia exterior, lex, nimirum, doctrina &

exempla Chriſti; in quo, toto cælo differt a nobis Catholicis.

Inſt. 1. Pelagius admittebat poſſe bene agere eſſe a Deo; ergo.

Reſpond. diſting. Eſſe a Deo ut auctore naturæ, *conced.* ut ſubminiſtrante gratiam interiorem naturæ ſuperadditam, *nego.* Itaque Pelagius naturam & liberum arbitrium vocabat gratiam poſſibilitatis, legem vero & doctrinam vocabat adjutorium poſſibilitatis naturalis.

Inſt. 2. Pelagius deinceps poſſibilitati naturali ſubjunxit adjutorium Dei actuale; ergo.

Reſpond. diſt. antec. Subjunxit auxilium Dei actuale, quod eſſet lex, vel doctrina, vel revelatio, vel exemplum, *conc.* quod eſſet ſubminiſtratio virtutis interioris, *nego.*

§. II. *De Gratia efficaci.*

Quæres 1. *Utrum detur gratia efficax?*

Reſp. De fide eſt dari gratiam efficacem qua Deus voluntates noſtras certo & infallibiliter flectere poteſt quocumque voluerit. Prov. 21. *Cor Regis in manu Domini, & quocumque voluerit, inclinabit illud.*

Quæres 2. *Quotuplici modo ſumitur gratia efficax, prout a gratia mere ſufficienti diſtinguitur?*

Reſp. Sumitur in actu primo & ſecundo.

Gratiæ efficacia *in actu* 1. ſtricte, eſt virtus gratiæ prævenientis, ut certo & infallibiliter illatura effectum, ſeu conſenſum voluntatis. De hac ſola hic agitur.

Gratiæ efficacia *in actu* 2. eſt eadem virtus gratiæ ut conjuncta cum effectu, qui illius vi elicitus eſt. Hæc includit gratiam adjuvantem, & cooperationem voluntatis a gratia motæ.

Quæ-

Quæres 2. *In quo conſiſtat erroneum ſyſtema Calvini circa efficaciam gratiæ?*

Reſp. Conſiſtit in hoc, quod docuerit gratiam eſſe vere ac phyſice neceſſitantem, ita ut non poſſit ipſi voluntas humana refragari. Quod ſyſtema damnavit Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 4.

Quæres 3. *Unde Janſenius repetat gratiæ efficaciam?*

Reſp. Ipſam repetit ex ipſius gratiæ indeliberata delectatione, quæ ſit gradibus ſuperior oppoſita concupiſcentiæ delectatione item indeliberata, & illius relative per gradus victrice. Tota ergo vis delectationis relativa eſt, ita ut ſi major fuerit vis gratiæ, quam vis concupiſcentiæ, neceſſe ſit voluntatem bene operari: ſi econtra major fuerit vis concupiſcentiæ, neceſſe ſit voluntatem male operari; ergo, juxta ipſum, efficacia gratiæ repeti debet ex delectatione voluntatem ad unum ineluctabiliter determinante, quod eſt error Calvini.

Quæres 4. *Utrum illud Janſenii ſyſtema ſit hæreticum.*

Reſp. affirm. Nam 1. hæreticum eſt aſſerere hominem non poſſe diſſentire motioni Dei illum ad bonum excitantis: non poſſe reſiſtere gratiæ divinæ tum cum ab ipſa movetur & excitatur ad bonum, prout definierunt Concilia Trid. & Senonenſe, dicens: *Neque enim tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio; nec enim tale eſt Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit.* Atqui illud aſſerit, qui gratiæ efficaciam repetit ex delectatione ſuperiore relative victrice; ergo.

2. Illud ſyſtema eſt hæreticum, ex quo, per connexionem evidentem & neceſſario, profluunt concluſiones hæreticæ; atqui ex ſyſtemate delectationis ſuperioris relative victricis, ne-

ceſſario & per connexionem evidentem, profluunt quinque famoſæ propoſitiones Janſenii hæreticæ, cujus ſunt concluſiones, ut probamus in noſtra Theologia; ergo.

Objicies 1. Syſtema delectationis prævenientis relative ſuperioris & per gradus victricis, eſt ipſiſſimum D. Auguſtini ſyſtema, qui, *in Epiſt. ad Galat.* ait: *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Ergo.

Reſp. nego ant. Ad probationem, *diſt.* quod amplius nos delectat, delectatione deliberata & electiva, *conc.* delectatione indeliberata, & conſenſum voluntatis præveniente, *nego*. Duplex itaque eſt delectatio: alia *indeliberata*, quæ eſt ſuavis quædam propenſio verſus bonum honeſtum, vel ſenſibile, excitata in nobis ſine nobis. Alia *deliberata*, quæ rationis advertentiam & voluntatis conſenſum ſequitur, & eſt niſus voluntatis verſus bonum, ſive honeſtum, ſive delectabile. Porro D. Auguſt. non loquitur hic de delectatione indeliberata: ipſe enim, *lib.* 8. *confeſſ. c.* 8. de ſeipſo dicit: *Et non faciebam id quod incomparabili affectu mihi magis placebat*; Ergo loquitur de delectatione deliberata, ſubſequente liberam voluntatis determinationem. Similiter per iſta verba: *Secundum id operemur neceſſe eſt*: intelligit neceſſitatem conſequentem, non antecedentem, ita ut illius effati hic ſit ſenſus: *Si aliquid abſolute & efficaciter amplius diligamus, neceſſario operamur ſecundum illud*.

Inſt. Amor deliberatus non eſt delectatio, ſed fructus delectationis præviæ; ergo D. Aug. per has voces: *Quod amplius delectat*: &c. Non intellexit amorem deliberatum.

Reſp. nego ant. Nam eſt ſimul fructus delectationis & delectatio, ac D. Auguſt. hic per τὸ *delectare*, intelligit amorem deliberatum,

ad

ad quem ſignificandum illo verbo multoties uſus eſt : ſic *ſerm. 5. de verbis Apoſtoli*, ait: *Concupiſcentia mihi narrat delectationes, ſed condelector legi Dei*, id eſt, magis amo.

Objicies 2. In conflictu duplicis delectationis præviæ & indeliberatæ, minor non poteſt ſuperare majorem; ergo.

Reſp. nego ant. Ait enim D. Thom. 3. part. quæſt. 70. art. 4. *Quod minima gratia poſſit reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, ac vitare omne peccatum mortale.*

Objicies 3. D. Auguſt. *lib. de corrept. & grat. c.* 12. loquens de gratia huic ſtatui neceſſaria, ait: *Subventum eſt igitur infirmitati humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur.* Ergo nunc voluntas non poteſt gratiæ reſiſtere.

Reſp. nego conſeq. Nam Verbum *ageretur*, ſumitur pro, *corroboraretur*, unde voces, *indeclinabiliter*, *inſuperabiliter*, non cadunt in ipſam voluntatem, quaſi a gratia ita moveretur, ut ei reſiſtere non poſſet, ſed cadunt in ipſam concupiſcentiam & adverſitates hujus vitæ, a quibus voluntas, gratia divina corroborata, ſuperari non poteſt, ſi gratiæ firmiter obtemperare voluerit: quare D. Auguſt. addit: *Et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.*

Inſt. D. Auguſt. *lib. de peccat. meritis, c.* 19. gratiam vocat *victricem delectationem*; atqui non eſt victrix, niſi quia oppoſitam concupiſcentiam gradibus ſuperat; ergo.

Reſpond. nego minor. Gratia enim dicitur, *victrix*, quia facit ut voluntas ipſi libere cooperans, vincat oppoſitam concupiſcentiam; non autem ideo dicitur *victrix*, quod propter ſui intenſionem vincat voluntatem, eamque reſiſtere impotentem faciat, nam *lib. de ſpiritu*

 & litt.

& litt. cap. 33. dicit : *Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt.*

CAPUT III.

De diſtributione gratiæ ſufficientis.

Quæres. 1. U*Trum omnibus juſtis, urgente præcepto, detur a Deo gratia vere & relative ſufficiens ad ſervanda omnia præcepta?*

Reſp. affirm. Nam 1. *Cor.* 10. de omnibus juſtis, dicitur : *Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum*, id eſt, auxilium, *ut poſſitis ſuſtinere*. Ergo.

2. Concil. Trid. definit : *Si quis dixerit, Dei præcepta homini, etiam juſtificato & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.* Cujus definitionis rationem reddit, *cap.* 11. his D. Auguſt. verbis : *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Quibus verbis aperte ſignificatur hominem habere gratiam, vel proxime, vel remote ſufficientem ad præcepta implenda.

Hinc jure merito damnata eſt ut hæretica hæc propoſ. Janſenii : *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.*

Objicies : D. Petrus erat juſtus quando negavit Chriſtum ; atqui tunc ipſi defuit gratia vere & relative ſufficiens, ut poſſet Chriſtum non negare ; ergo, &c.

Reſp. 1. *nego major.* Nam quando D. Petrus Chri-

Chriſtum exterius negavit, jam interno præſumptionis peccato exciderat a ſua juſtitia, ut docet D. Auguſt. ſerm. 285. *Interrogatus* (Petrus) *in corde ſuo præſumpſerat ſe pro eo etiam moriturum, viribus ſuis hoc tribuerat.*

Reſpond. diſt. min. Ipſi defuit gratia proxime ſufficiens, *conc.* remote ſufficiens, *nego.* Habebat enim gratiam orationis & humilitatis, qua ſi bene uſus fuiſſet, obtinuiſſet gratiam proxime ſufficientem, per quam tentationi reſtitiſſet, nec Chriſtum negaſſet. Ita D. Auguſt. lib. de corrept. & grat. cap. 9. *Dixerat in abundantia ſua:* animam meam pro te ponam: *Sibi feſtinando tribuens, quod ei fuerat poſtea a Domino largiendum.*

Quæres 2. *Utrum fidelibus peccatoribus non obduratis detur gratia vere ſufficiens, qua poſſint peccata vitare, & a peccatis reſipiſcere?*

Reſp. Datur pro loco & tempore: nam 1. Deus vult vere & ſincere, ut peccatores, ſaltem non obdurati, non pereant, ſed convertantur, Ezech. 33. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur a via ſua, & vivat;* atqui non poſſunt converti abſque gratia ſufficienti; ergo, &c. 2. D. Aug. *lib.* 1. *retract. c.* 22. ait: *In poteſtate hominis eſt mutare voluntatem in melius; ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi a Deo detur.* Ergo.

Quæres 3. *Utrum peccatoribus induratis detur pro loco & tempore gratia vere ſufficiens?*

Reſp. Datur: nam 1. S. Stephanus, *Actor.* 7. Judæos obduratos objurgat quod Spiritui ſancto eos ad converſionem moventi, ſemper reſiſterent: *Dura cervice, & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* 2. D. Auguſtin. *in Pſalm.* 6. ait: *Ea eſt cæcitas mentis: in eam quiſquis datus fuerit, ab interiori luce ſecluditur, ſed nondum penitus,*

 tus,

tus, cum in hac vita eſt. 3. S. Proſper in reſp. ad object. Vincentianas: *Nemini Deus correptionis adimit viam, nec quemquam boni poſſibilitate diſpoliat*. 4. Demum indurati peccant imputabiliter; ergo habent gratiam ſaltem remote ſufficientem.

Objicies 1. Joann. 12. de induratis Judæis dicitur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & intelligant corde, & ſanem eos*; ergo.

Reſpond. diſt. ant. Non poterant credere, impotentia conſequente & voluntaria, *conced.* antecedente & involuntaria, orta ex ſubſtractione omnis omnino gratiæ, *nego*. Nam, *quare non poterant*, credere, ait D. Aug. Tract. 53. in Joann. *Si a me quæratur, cito reſpondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit*.

Objicies 2. D. Aug. *lib.* 1. *ad Simplic. quæſt.* 2. dicit: *Obduratio Dei, eſt nolle miſereri*; atqui illi, cujus non vult Deus miſereri, non confert gratiam; ergo.

Reſpond. diſt. min. Non confert gratiam ſpecialem, qua, ut ait ibidem, *Cujus miſeretur, ſic eum vocat quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat*, *conc.* nullam confert gratiam, *nego*. Contrarium enim ſupra aſſeruit, *in Pſalm.* 6.

Inſt. D. Auguſt. *Epiſt.* 107. ad Vitalem, ait: *Scimus gratiam non omnibus hominibus dari*. Ergo agnovit gratiam ſufficientem non omnibus concedi.

Reſp. nego conſeq. Neque enim ibi D. Doctor loquitur de gratia actuali, ſed de gratia juſtificationis per Baptiſmum acceptæ.

Quæres 4. *Utrum infidelibus poſitivis*, iis nimirum

mirum qui Evangelium audire recuſarunt, *dentur pro loco & tempore gratiæ ſufficientes, quibus remote ſaltem & mediate ad fidem pervenire poſſint?*

Reſpond. affirm. Nam 1. Chriſtus, *Joann.* 16. ait; *Cum venerit ille*, Spiritus ſanctus, *arguet mundum de peccato .... de peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Atqui fruſtra arguerentur qui Evangelium reſpuerunt, ſi ipſis defuiſſet gratia interior, ſine qua non potuerunt credere, nam, ut ait D. Auguſt. lib. 15. de civit. Dei, cap. 6. *Niſi Deus interiore gratia mentem regat atque agat, nihil prodeſt homini omnis prædicatio veritatis.*

Quæres 5. *Utrum infidelibus negativis*, iis nempe qui Evangelii prædicationem non audierunt, *dentur gratiæ ſufficientes?*

Reſp. affirm. Nam Scriptura, *Sap.* 12. dicit: *O quam bonus & ſuavis eſt, Domine, ſpiritus tuus in omnibus: ideoque eos qui exerrant*, id eſt, Ethnicos, *partibus corripis: & de quibus peccant, admones & alloqueris, ut relicta malitia, credant in te Domine.* Atqui eos non admonet peccatorum, nec eos alloquitur, niſi per gratiam interiorem; ergo.... Ratio a priori eſt, quod Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, velit, voluntate vera & ſincera, ex qua profluunt in omnes gratiæ ſufficientes; ergo.

Objicies: Fides eſt prima gratia; atqui infideles non habent fidem; ergo.

Reſp. nego maj. Si nomine fidei intelligatur fides perfecta & chriſtiana, id eſt, aſſenſus, quem intellectus præbet revelatis: ſcilicet aſſenſum illum præcedunt pia cogitatio de credendo, ſancta voluntatis motio erga revelata, quæ ſunt fides inchoata, quæ non poteſt haberi ſine gratia. Hinc merito damnata eſt hæc:

Queſ-

Queſnelli propoſitio: *Fides eſt prima gratia & fons omnium aliarum*.

Inſtab. 1. D. Auguſt. *Tract.* 3. *in Joann.* ait: *Quam gratiam primo accepimus? fidem*. Ergo.

Reſpond. diſt. conſeq. Fides eſt prima gratia, comparate ad gloriam, *conc.* abſolute, *nego*. Hic enim D. Auguſt. comparat fidem cum gloria, & docet fidem, qua promerita eſt vita æterna, eſſe ipſa vita æterna priorem.

Inſtab. 2. D. Auguſtin. *lib. de geſtis Pelagii*, *cap.* 14. ait: *Fides initium eſt unde bona opera incipiunt*; ergo.

Reſpond. D. Auguſt. ibi per fidem non intelligit fidem perfectam & chriſtianam, qua creditur explicite in Chriſtum; ſed fidem imperfectam & inchoatam, qua creditur in Deum quomodocumque, non tamen ſine aliquo ſupernaturali lumine, qualis fuit fides in Cornelio. Fidem imperfectam D. Auguſt. comparat cum conceptione; perfectam vero cum nativitate, & addit: *Non tamen ſolum concipi, ſed etiam naſci opus eſt, ut ad vitam perveniatur æternam*.

Inſt. 3. Act. 16. Paulus & Timotheus *vetati ſunt a Spiritu ſancto loqui Verbum Dei in Aſia*; ergo Aſiaticis Deus denegavit auxilium fidei ſive inchoatæ, ſive perfectæ.

Reſpond. nego conſeq. Quoad fidem imperfectam, hæc enim haberi poteſt ante prædicationem Evangelii, ut patet exemplo Cornelii, cujus orationes & eleemoſynæ meritum habuere antequam ipſi Evangelium annuntiaſſet Divus Petrus; ergo jam in ipſo erat inſpiratio & inchoatio fidei, ut docet D. Auguſtinus dicens: *Nec tamen ſine aliqua fide donabat & orabat*.

Objicies 2. Si infidelibus negativis dentur gratiæ ſufficientes, quibus ad fidem adduci poſſent ſi il-

ſi illis bene uterentur, ignorantia myſteriorum fidei, qua laborant, erit vincibilis & culpabilis, utpote voluntaria in cauſa; conſequens eſt falſum & damnatum in Bajo; ergo.

Reſpond. nego ſeq. maj. & ejus probationem: Nam ut aliquid ſit voluntarium in cauſa, non ſufficit ut ſequatur ex illa cauſa, ſed inſuper requiritur, ut cognoſcatur, aut cognoſci poſſit ſequi ex illa cauſa, atqui infideles negativi, nec cognoſcunt, nec cognoſcere poſſunt ex tranſgreſſione legis naturalis ſequi infidelitatem, cum inter utrumque non ſit neceſſaria connexio; ergo, &c.

Quæres 6. *Utrum iis infantibus, quibus, ſive in lucem editis, ſive in utero materno, abſque ulla parentum aut aliorum culpa decedentibus, nulla humana induſtria Baptiſmus applicari poteſt, Deus de remedio ſalutis ſufficienter, quantum eſt ex ſe providerit?*

Reſp. affirm. Nam. 1. Deus illos infantes vult ſincere ſalvos fieri, *nunquid parvuli homines non ſunt, ut non pertineant ad id, quod dictum eſt, omnes homines?* ait D. Auguſt. *lib. 4. contra Julian. cap. 8.* expendens hanc Apoſtoli ſententiam: *Omnes homines vult ſalvos fieri.* 2. Deus Baptiſmum inſtituit ad illorum infantium ſalutem, & iis per ſe facile applicari poteſt, licet propter aliquod impedimentum interveniens, illis applicari non poſſit.

Objicies D. Auguſt. *lib. de dono perſev. c. 12.* ait: *Plerumque enim feſtinantibus parentibus & paratis miniſtris, ut Baptiſmus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur;* ergo Deus aliquibus parvulis non vult applicari remedium ſalutis.

Reſp. diſt. conſeq. Non vult, voluntate efficaci conſequente prævisionem obſtaculorum non tollendorum, nempe concurſum cauſarum ſecun-

cundarum, in quo mors parvuli naturaliter & ſine miraculo vitari nequit, *conc.* voluntate antecedente & conditionata, *nego*. Deus itaque, cum ſit proviſor univerſalis omnium cauſarum, permittit illas curſum ſuum naturalem ſervare, nec, ut ſubveniatur tali puero, tenetur per miraculum, aut turbare naturalem rerum ordinem, aut puerum in vitam conſervare pluſquam exigit ordo naturalis.

DISSERTATIO II.

De gratia habituali.

Quæres 1. *Quid ſit gratia habitualis?*

Reſp. Eſt, *donum Dei ſupernaturale, homini intrinſece & permanenter inhærens, quo redditur formaliter Sanctus, Deo gratus, Filius Dei adoptivus, & hæres vitæ æternæ.*

Dicitur 1. *Donum ſupernaturale*, id eſt, naturæ vires ſuperans.

Dicitur 2. *Intrinſece inhærens*, quia infunditur animæ, eamque intrinſece informat, & reddit formaliter ſanctam; juxta illud 1. Cor. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et illud 1. Joann. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Ergo gratia ſanctificans habitat & manet in homine juſto, qui conſequenter fit Sanctus per donum internum animæ ejus inhærens.

Ergo, hæretica eſt doctrina Calvini docentis hominem non eſſe juſtum per interiorem juſtitiam, ſed duntaxat per extrinſecam imputationem juſtitiæ Chriſti, qua ejus obteguntur peccata, ita ut gratia ſanctificans ſit ipſamet juſti-

tia.

tia Chriſti per fidem apprehenſa & nobis imputata, non quidem per fidem qua ſimpliciter credimus, ſed qua firmiter confidimus in promiſſionibus divinis, ita ut apud eos fides nihil ſit aliud, quam certa fiducia, qua, veluti manu, apprehendimus juſtitiam Chriſti, tanquam veſtem, qua nos operimus, juxta illud Rom. 13. *Induimini Dominum Jeſum.*

Objicies: Chriſtus, ex Apoſt. 1. Cor. 1. *Factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio;* ergo juſti efficimur per juſtitiam Chriſti nobis imputatam.

Reſp. diſt. ant. Factus eſt nobis juſtitia, &c. efficienter & meritorie, *conc.* formaliter, *nego.* Hic enim per metonymiam ſumitur cauſa pro effectu: unde Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *c.* 7. exponens cauſas juſtificationis, ait: *Unica formalis cauſa, juſtificationis, eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit:* Et can. 11. *Si quis dixerit homines juſtificari, vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam qua juſtificamur eſſe tantum favorem Dei, anathema ſit.*

Dicitur 3. *Permanenter.* Quia confertur per modum habitus ſtabilis & permanentis, ut patet exemplo parvulorum, qui per Baptiſmum ſunt permanenter juſti, nec capaces ſunt illius actus.

Dicitur 4. *Quo redditur Filius Dei adoptivus.* Quia infuſio gratiæ habitualis habet ſpeciem divinæ cujuſdam generationis, quæ nos efficit *divinæ conſortes naturæ.* 2. Petri 1.

Dicitur 5. *Hæres vitæ æternæ;* Nam Rom. 8. *Si Filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.*

Quæ-

Quæres 2. *Utrum gratia habitualis diſtinguatur realiter a charitate?*

Reſp. Affirmant Thomiſtæ; probabilius negant Scotiſtæ, quia in Scripturis omnes effectus gratiæ habitualis tribuuntur charitati.

Quæres 3. *Quot ſint effectus gratiæ habitualis?*

Reſp. Sunt duo, juſtificatio, nimirum, & meritum.

Quæres 4. *Quid ſit juſtificatio?*

Reſp. Definitur a Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. *Translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ*, id eſt, a ſtatu peccati, *in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam, Jeſum Chriſtum.*

Quæres 5. *Utrum in juſtificatione impii vere deleantur peccata?*

Reſp. affirm. Prout Eccleſia in Concil. Trident. *ſeſſ.* 5. *can.* 5. definivit contra Calvinum: *Si quis per Domini noſtri Jeſu Chriſti gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema ſit.* Deus enim Iſaiæ 43. ait; *Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et Joann. 1. dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* ergo.

Objicies: In juſtificatione peccata ſolummodo teguntur, non imputantur, diſſimulantur, Pſ. 31. *Beati .... quorum tecta ſunt peccata.* Et, *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Et Sap. 11. *Diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.*

Reſpond. nego anteced. Et dico ad primum, quod peccata ita tegantur ut non remaneant, ſed deleantur, dicitur enim, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates*; & Pſalm. 50. *Dele ini-*

qui-

quitatem meam. Dico ad ſecundum, quod *non imputare*, idem eſt ac *non punire* id quod non eſt, ut inſinuat ſecunda pars illius verſus: *Nec eſt in ſpiritu ejus dolus*, id eſt, peccatum; ſi non eſt, quomodo remanet? ... Dico ad tertium, quod *diſſimulare* ſumitur pro, *delere*, *auferre*, unde Syriaca verſio habet: *Misereris omnium .....* & *aufers iniquitates hominum, quum pœnituerit eos.*

Quæres 6. *Utrum in juſtificatione impii fiat interior animi renovatio, per gratiam animæ ejus inhærentem?*

Reſp. Affirmat. Ut Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. definivit contra Calviniſtas. *Juſtificatio*, inquit, *non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum.* Nam *Epheſ.* 4. dicitur; *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.*

Objicies 1. Joann. 5. dicitur: *In hoc apparüit Filius Dei, ut diſſolveret opera diaboli.* Ergo juſtificatio conſiſtit in ſola peccatorum remiſſione.

Reſp. nego conſeq. Nam opera diaboli non diſſolvuntur, niſi per deletionem peccati, & novæ vitæ ſupernaturalis largitionem: Chriſtus enim *Joann.* 10. ait: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.*

Quæres 7. *Utrum in adultis prærequirantur diſpoſitiones ad juſtificationem?*

Reſp. affirm. Nam *Iſaiæ* 45. dicitur: *Convertimini ad me, & ſalvi eritis.* Atqui illa converſio ad Deum fieri nequit abſque motu liberi arbitrii; ergo, &c. Hinc *Prov.* 16. dicitur: *Hominis eſt animam præparare*, nimirum, *cum adjutorio Dei tangentis cor hominis per auxilium*

gra-

gratia, ait D. Auguſt. *lib. ad Beneſ. capit. 9.* ratio a priori, eſt voluntas Dei, qui noluit ſalvare hominem ſine hominis cooperatione.

Objicies: Si ad juſtificationem requireretur actus liberi arbitrii, Deus expectaret voluntatem noſtram; atqui ex Concil. Arauſicano II. *Ut a peccato purgemur, Deus voluntatem noſtram non expectat;* ergo, &c.

Reſp. diſt. major. Deus expectaret voluntatem noſtram, quæ excitata a gratia præveniente ſeſe ad gratiam juſtificationis cum gratia adjuvante ſe præparet, *conc.* quæ præveniat gratiam excitantem & adjuvantem, *nego maj.* Hoc ultimo ſenſu Conc. Arauſicanum dicit: *Deus voluntatem noſtram non expectat.*

Quæres 8. *Quanam diſpoſitiones requirantur ad juſtificationem?*

Reſp. Ex Conc. Trid. *ſeſſ. 6. cap. 6.* requiruntur.

1. *Fides*, juxta illud Matth. ult. *Qui non credit, condemnabitur.*

2. *Timor divinæ juſtitiæ:* Eccl. 1. *Timor Domini expellit malum; nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.*

3. *Actus ſpei:* Roman. 8. *Spe ſalvi facti ſumus.*

5. *Actus dilectionis Dei*: nam 1. Joann. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Quænam autem dilectio requiratur, dicetur in Diſſert. de Pœnitentia.

5. *Pœnitentia*, de qua, *Act.* 2. dicitur: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti*, id eſt, gratiam juſtificantem.

Objicies 1. Sola fides ad juſtificationem diſponit, juxta illud Matth. 9. *Fides tua te ſalvum fecit.*

Reſp.

Reſp. nego ant. Quod damnatum eſt in Calvino a Concil. Trident. can. 9. *Si quis dixerit ſola fide impium juſtificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur . . . anathema ſit.* Textus allatus intelligi debet de fide formata, quæ *per charitatem operatur.*

Inſtab. Apoſt. *Epheſ.* 2. a diſpoſitionibus juſtificationis excludit opera: *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem . . . . . non ex operibus;* ergo, &c.

Reſp. diſt. antec. Excludit opera ſine fide & gratia facta, *conc.* cum gratia & fide facta, *nego*; Itaque Apoſtolus ſolum rejicit opera ante fidem facta, quæ non ſunt ſalutaria; quia cum fides ſit omnis meriti fons & prima origo, nullum eſt ante ipſam opus meritorium. Ita D. Auguſt. lib. de prædeſt. Sanctor. capit. 7. *Ideo dicit Apoſtolus juſtificari hominem ex fide, & non ex operibus, quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus vivitur.* Et, lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 7. *Homines non intelligentes quod ait Apoſtolus*, inquit, *putaverunt eum dicere homini ſufficere fidem . . . . . etiamſi opera bona non habeat, quod abſit.* Loquitur ergo Apoſtolus de fide veſtita operibus ſpei, charitatis, pœnitentiæ, uno verbo de fide, *quæ per charitatem operatur*, ad Galat. 5.

Quæres 9. *Quænam fides præparat ad juſtificationem?*

Nota: Triplicem fidem diſtinguunt hæretici hujus temporis, duce Calvino, nempe, 1. *Fidem hiſtoricam*, ſeu, *dogmaticam*, qua credimus vera eſſe quæ a Deo revelata & promiſſa ſunt. 2. *Fidem miraculorum*, quæ eſt, juxta Calvinum, facultas edendorum miraculorum. 3. Tandem, *Fidem promiſſionum*, quæ eſt certa fidu-

cia, qua credimus veras eſſe promiſſiones de gratuita peccatorum remiſſione per Chriſti merita; & hanc iterum duplicem eſſe dicunt, nempe, *generalem*, qua credimus omnibus, qui in Chriſtum credunt promiſſam eſſe peccatorum remiſſionem; & *particularem*, qua unuſquiſque ſibi divinam promiſſionem applicans, credit, ſeu potius confidit, ſibi omnia ſua peccata eſſe dimiſſa per Chriſtum, hancque eſſe quæ diſponit ad juſtificationem; contra quos,

Reſpond. Fides neceſſaria ad juſtificationem, eſt fides hiſtorica, ſeu dogmatica, ut definivit Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 12. *Si quis dixerit fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quam fiduciam divinæ miſericordiæ peccata remittentis per Chriſtum .... anathema ſit.* Ratio eſt, quia Scriptura, actum fidei ad juſtificationem diſponentis deſcribens, illum explicat per aſſenſum datum divinæ revelationi, Marc. ultim. *Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit* (omnia in eo contenta) *ſalvus erit*.

Objicies: Chriſtus, *Matth.* 9. dixit: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*. Ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Equidem ad remiſſionem peccatorum requiritur fiducia, quæ eſt actus ſpei, qua peccator ſperat ſibi remittenda peccata per Chriſtum; ſed nec ſola requiritur, cum præſupponat actum fidei, quo peccatores *libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt*, ut docet Concil. Trident. *cap.* 6. Nec eſt illa hæreticorum fides, qua unuſquiſque credit ſibi remiſſa eſſe peccata, ſed eſt vera ſpes theologica, ut conſtat ex ipſo textu.

Quæres 10. *Utrum juſtificatio ſit æqualis in omnibus?*

Reſpond.

Reſpond. negative, ut de fide definitum eſt contra Jovinianum, & iterum definivit Conc. Trident. contra Lutherum & Calvinum: nam 1. Unus altero eſt juſtior, Matth. 11. *Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta*. 2. Juſtitia poteſt augeri, Petri 3. *Creſcite in juſtitia*; & Apoc. ult. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*. Ergo.

Quæres 11. *Utrum juſtitia ſit amiſſibilis?*

Reſpond. Eſt amiſſibilis, & revera amittitur per ſubſequens peccatum, ut definivit Concil. Trident. can. 23. *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere: atque adeo eum qui labitur & peccat, nunquam vere juſtificatum fuiſſe; anathema ſit*. Nam, Ezech. 18. *Cum averterit ſe juſtus a ſua juſtitia, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in injuſtitia, quam operatus eſt, morietur*. Hinc, *Apoſt. Philipp.* 2. hortatur, ut *cum metu & tremore ſalutem noſtram operemur*.

Objicies: Dicitur, 1. Joann. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, nec peccare poteſt, quia ex Deo natus eſt*. Ergo juſtus a ſua juſtitia excidere non poteſt.

Reſp. nego conſequent. Textus enim debet intelligi in ſenſu compoſito gratiæ juſtificantis, & filiationis divinæ: *Cum enim peccat homo*, ait Div. Auguſt. lib. de grat. capit. 21. *non ſecundum charitatem, ſed ſecundum cupiditatem peccat, ſecundum quam non eſt natus ex Deo*.

Inſt. 1. Corinth. 13. Charitas nunquam excidit; ergo.

Reſp. nego conſeq. Senſus enim eſt quod charitas perſeveret in Patria, ubi alii habitus fidei & ſpei ceſſabunt.

Quæ-

Quæres 12. *Utrum homo poſſit eſſe certus, certitudine fidei, ſe eſſe juſtificatum?*

Reſp. Non poteſt citra ſpecialem revelationem, prout definivit Conc. Trid. contra Lutherum; nam, *Eccl.* 9. dicitur: *Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo utrum amore aut odio dignus ſit; ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Unde Apoſt. 1. *ad Cor.* 4. ait: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum; qui enim me judicat, Dominus eſt.*

Objicies. Apoſt. *Rom.* 8. ait: *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus .... neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei;* ergo.

Reſpond. nego conſeq. Ex hoc textu ſequitur equidem, quod nulla creatura poſſit juſtum invitum a ſua juſtitia dimovere; ſed non ſequitur quod juſtus poſſit ſcire, abſque ſpeciali revelatione, quod ſit juſtus.

Quæres 13. *Quid ſit meritum?*

Reſpond. Eſt opus retributione dignum.

Quæres 14. *Quotuplex ſit meritum?*

Reſpond. Duplex, nempe, meritum *de condigno*, cui præmium debetur ex aliqua juſtitia; & meritum *de congruo*, cui præmium debetur ex aliqua duntaxat decentia & congruitate: quod ſi habeat promiſſionem adjunctam, dicitur *de congruo infallibili*; ſi vero non habeat promiſſionem adjunctam, dicitur *de congruo fallibili*.

Quæres 15. *Utrum bona juſtorum opera ſint meritoria?*

Reſp. affirm. Prout Concil. Trident. definivit contra Calvinum & Lutherum: *Si quis dixerit*, ait, can. 32. *hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita: ..... anathema ſit.* Nam,

Eccl. 13.

Eccl. 13. dicitur: *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari, quia apud Dominum eſt merces bonorum operum.*

Objicies: Roman. 6. dicitur, *Gratia autem Dei vita æterna;* ergo non eſt merces.

Reſpond. nego conſeq. Nam vita æterna dicitur & merces & gratia: gratia, quia principium meriti habemus ex gratia gratuito data: merces vero, quia retribuitur bene operantibus per vires a gratia acceptas.

Inſt. Gloria eſt noſtra hæreditas, Roman. 8. *Si filii & hæredes;* atqui hæreditas confertur filiis abſque ullo merito; ergo.

Reſp. diſt. maj. Eſt hæreditas, jure adoptionis ineunda, *conc.* jure nativitatis, *nego.* Porro conditiones adoptionis divinæ, ſunt obſervatio mandatorum, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.*

Quæres 16. *Quot conditiones requirantur eſſentialiter ad meritum de condigno?*

Reſpondeo Requiruntur ſex, nempe, duæ ex parte hominis merentis; tres ex parte actus meritorii; & una ex parte Dei præmiantis.

Ex parte hominis, requiritur, 1. Quod ſit juſtus, nam Chriſtus, *Joann.* 15. dicit: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum ex ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me* (per gratiam ſanctificantem) *manſeritis* ..... 2. Quod ſit viator, Joann. 9. *Venit nox, quando nemo poteſt operari*, ubi per, *noctem*, intelligit mortem.

Ex parte actus, requiritur 1. Quod ſit liber a neceſſitate; unde hæretica eſt hæc Janſenii prop. *Ad merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione*... 2. Quod ſit bonus & honeſtus, 2. Petri 1. *Sa-*

tagite ut per veſtra bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis . . . 3. Quod ſit ſupernaturalis, tum *in entitate*, ita ut eliciatur ex gratiæ actualis auxilio, tum *quoad modum*; ita ut eliciatur ex imperio charitatis. *Hoc amore opus eſt*, inquit Div. Auguſt. libr. 4. contra Julianum, capit. 3. *ut bonum beatificum ſit*, id eſt, meritorium beatitudinis.

Ex parte Dei, requiritur promiſſio mercedis; nam Deus non poteſt nobis debitor fieri, niſi intercedat promiſſio ex parte ipſius; unde vita æterna dicitur in Scripturis promiſſio. Hebr. 10. *Ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem*.

Quæres 17. *Utrum juſtus poſſit mereri reparationem ſuam poſt lapſum futurum?*

Reſp. Non poteſt illam mereri *de condigno*, quia nullibi id promiſit Deus: poteſt tamen illam mereri de congruo fallibili, qui eam petit cum Propheta, Pſalm. 70. *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me;* atqui fruſtra eam peteret, niſi poſſet mereri de congruo, & impetrare; ergo.

Quæres 18. *Utrum juſtus poſſit mereri de condigno gratiam perſeverantiæ?*

Reſp. Non poteſt ſecundum viam ordinariam, quia nulla in Scriptura reperitur talis promiſſio a Deo facta; poteſt tamen mereri de congruo fallibili; nam ex D. Auguſt. lib. de dono perſever. cap. 6. *Hoc donum Dei ſuppliciter emereri poteſt;* atqui ſuppliciter emereri, eſt mereri de congruo; ergo.

Quæres 19. *Utrum juſtus poſſit alteri mereri primam gratiam?*

Reſpond. Non poteſt *de condigno*, quia non promiſit Deus ſe daturum aliis quod in eorum favorem petierimus; poteſt tamen *de congruo*

fal-

fallibili, juxta illud Jacobi 5. *Orate pro invicem, ut ſalvemini*. Hinc Deus iratus amicis Job, eos remittit ad illum, ut pro ipſis oret, & impetret veniam peccati eorum; & Aug. *Serm.* 2. *de Sanctis*, ait: *Si Martyr Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum hodie non haberet*.

TRACTATUS VII.

DE ACTIBUS HUMANIS.

Nota: AGemus hic de fine, natura, & moralitate actuum humanorum.

CAPUT PRIMUM.

De fine actuum humanorum.

Quæres 1. QUid *ſit finis?*

Reſpond. Definitur: *Id, cujus gratia aliquid fit*.

Dicitur 1. *Id*, hoc eſt, bonum, ſive verum, ſive apparens, quia voluntas a ſolo bono allici & moveri poteſt.

Dicitur 2. *Cujus gratia*: id eſt, cujus amore & fruendi deſiderio agens operatur.

Dicitur 3. *Aliquid fit*; id eſt, aſſumitur medium, quod ad finis aſſecutionem inſervire poſſe judicatur. Hinc patet finem eſſe primam omnium cauſarum.

Quæres 2. *Quomodo dividatur finis?*

Reſp. 1. Dividitur in finem, *qui*, *cui*, & *quo*.

Finis *qui*, eſt objectum quod per media

conſequi intendimus; unde vocatur ab aliquibus, finis *objectivus*.

Finis *cui*, eſt ſuppoſitum cui appetimus finem *qui*, ſic proximo appetimus ſanitatem, beatitudinem, &c.

Finis *quo*, eſt actio qua finis *qui* poſſidetur: unde vocatur. etiam finis *formalis*. Sic Deus eſt finis *qui*, ſeu, *objectivus* hominis, & viſio beatifica, eſt finis *quo*, ſeu, *formalis*.

2. *Dividitur*, in finem *operis* ſeu intrinſecum, & finem *operantis*, ſeu, *extrinſecum*.

Finis *operis*, eſt res illa ad quam opus ex ſe ordinatur .... finis *operantis*, eſt ille quem ſibi proponit operans: ſic in eleemoſyna finis *operis*, eſt ſublevatio pauperis, finis *operantis*, eſt vel amor Dei, vel vana gloria, &c.

3. *Dividitur*, in *ultimum*, *& non ultimum*, ſeu intermedium.

Finis *ultimus* eſt is qui ita intenditur, ut in eo ſiſtatur ..... *Finis non ultimus*, ſeu, *intermedius*, eſt is qui ita intenditur, ut ad ulteriorem finem referatur, tale eſt pharmacum quod intenditur propter ſanitatem.

Porro ſi finis *ultimus* ſit talis in uno tantum genere, dicitur, *reſpective ultimus*. Si ſit talis in omni genere, ita ut ad aliud referri non poſſit, dicitur, *ultimatus*, talis eſt ſolus Deus.

Quæres 3. *Quid intelligatur per effectum finis?*

Reſp. Intelliguntur actus quibus voluntas tendit in finem.

Quæres 4. *Quot ſint effectus finis?*

Reſp. Sunt octo, ſcilicet:

1. *Volitio*, ſeu, amor ſimplex & complacentia, qua bonum voluntati propoſitum, placet, abſtrahendo ab ejus poſſibilitate aut impoſſibilitate.

2. In-

2. *Intentio*; hoc eſt, deſiderium efficax finem obtinendi per media conſentanea.

3. *Conſilium*, quo inquiruntur media ad finem aſſequendum aptiora. Hic actus, licet ſit ab intellectu elicitus, eſt tamen effectus finis, quia eſt imperatus ab intentione efficaci voluntatis.

4. *Conſenſus*, quo approbantur & acceptantur media ab intellectu ad finem conſequendum propoſita.

5. *Electio*, quæ ex pluribus mediis per conſenſum approbatis, unum præ alio ad finis conſecutionem amplectitur.

6. *Imperium*, quo voluntas imperat uſum mediorum, quæ poſt debitam deliberationem electa ſunt.

7. *Uſus*, quo voluntas ſeipſam, aut alias potentias, applicat ad medii electi executionem.

8. *Fruitio*, qua voluntas ſuaviter quieſcit in boni amati poſſeſſione. Unde eſt delectatio ex amore & præſentia rei amatæ cauſata.

Quæres 5. *Utrum voluntas e duobus mediis poſſit eligere minus idoneum, relicto magis idoneo?*

Reſp. affirmat. Quia voluntas eſt libera, & medium magis idoneum, non eſt neceſſarium. Tamen ut electio ſit recta & honeſta, debet eligi medium magis idoneum; alias electio fieret imprudenter.

Quæres 6. *Utrum quidquid homo vult deliberate, illud velit propter finem ultimum?*

Reſpond. Illud vult implicite ſaltem & virtualiter propter finem ultimum ſpectatum confuſe & in communi, quia ſemper operatur ut bene ſibi ſit; non autem illud vult ſemper propter finem ultimum ſpectatum in particulari & determinate; quia talis finis eſt Deus; atqui quidquid homo vult deliberate, illud non vult propter Deum, quia plura vult quibus ſe avertit a Deo; ergo.

Quæres 7. *Utrum homo poſſit agere ſimul & ſemel propter plures fines ultimos adæquatos, & totales?*

Reſp. non poteſt: Quia de ratione finis ſimpliciter ultimi, totalis, & adæquati, eſt, quod omnia ad ipſum, ipſe vero ad aliud non referatur; atqui repugnat ſimul dari duo ultima hujuſmodi; ergo, &c. Hinc gentiles, qui plures ſibi proponebant deos, rationem finis ultimi inter eos dividebant, ita ut unum pro uno bono largiendo, alium pro alio colerent.

Quæres 8. *Quis ſit finis ultimus hominis?*

Reſp. Eſt beatitudo, quæ definitur: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Quæres 9. *Quotuplex ſit beatitudo?*

Reſpond. Duplex, *objectiva*, quæ eſt bonum cujus poſſeſſione ſatiatur appetitus hominis; & *formalis*, quæ eſt actio, qua, cum ſummo voluptatis ſenſu, poſſidetur objectum beatitudinis.

Quæres 10. *Quid ſit beatitudo hominis objectiva?*

Reſp. Eſt Deus, quia ſolus poteſt hominis animam ita ſatiare, ut nihil amplius ipſi deſiderandum ſuperſit, juxta illud Divi Auguſtini lib. 39. de civitate Dei, cap. 26. *Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Hinc ſequitur res terrenas, puta honores, divitias, ſcientias, &c. Animam occupare poſſe, nullatenus ſatiare.

Quæres 11. *In quo conſiſtat beatitudo formalis?*

Reſpond. Thomiſtæ eam reponunt in viſione Dei intuitiva, *Scotiſtæ*, in ſolo amore fruitivo. Tandem plurimi in gaudio beatifico, quod definitur: *Intimus ac ſuaviſſimus creatæ mentis ſenſus, quo mens adeo ſibi conſcia eſt ſe bene eſſe, ut nihil ultra expetat.* Horum ſententia pro-

probabilior eſt: nam 1. Scriptura *Matth.* 27. dicit: *Intra in gaudium Domini tui*. Et Div. Auguſtinus lib. 10. confeſſ. capit. 23. *Beata vita*, inquit, *eſt gaudium de veritate*. 2. Beatitudo formalis, eſt ſtatus beati, quo in ſummo bono clare viſo & amato, tanquam in ſuo fine ultimo omnimode ſatiatus, ſuaviſſime conquieſcit; atqui talis ſtatus formaliter habetur per gaudium, ut conſtat ex ejus definitione: ergo.

Quæres 12. *Quot ſint dotes animæ beatæ?*

Reſpond. Sunt tres, nempe inamiſſibilitas gloriæ, impeccabilitas, & modus quo Deum diligit. Itaque:

1. Beatitudo eſt *inamiſſibilis*, alias cum timore poſſideretur, & ſic non eſſet ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.

2. Beati ſunt *impeccabiles*, nam peccatum, quod eſt averſio a Deo, compati non poteſt cum amore beatifico, qui eſt intima unio cum Deo.

3. Beati neceſſario amant Deum, tum neceſſitate ſpecificationis, ita ut non poſſint eum odiſſe, tum neceſſitate exercitii, ita ut non poſſint ab ejus amore ceſſare.

Quæres 13. *Quot ſint dotes corporis beati?*

Reſp. Sunt quatuor, quas refert Apoſt. 1. Corinth. 15. nempe, *impaſſibilitas*, qua excluditur a corpore beati omnis paſſio corruptiva. *Subtilitas*, qua redditur alterius corporis penetrativum. *Agilitas*, qua redditur imperceptibiliter ac celeriſſime mobile. *Claritas*, qua redditur luminoſum & ſimile cryſtallo.

Quæres 14. *Quid ſit aureola?*

Reſp. Eſt animæ beatæ gaudium accidentale de excellenti victoria ſua, in corpus ſpeciali fulgore redundans.

Quæres 15. *Quot ſint aureolæ?*

Reſp. Sunt tres. 1. Eſt Martyrum, qui de

mundo; 2. Virginum, qui de carne. 3. Doctorum, qui de diabolo triumpharunt.

CAPUT II.

De natura actuum humanorum.

Quæres 1. Quid ſit actus humanus?
Reſpond. Eſt ille, qui procedit a voluntate cum rationis advertentia & libertate.

Dicitur 1. *Qui procedit a voluntate:* ſive immediate, ut amor, odium, &c. Et tunc dicitur, *actus elicitus*; ſive mediate, ut meditatio, ambulatio, &c. Et tunc dicitur, *actus imperatus*, quatenus ex imperio voluntatis elicitur ab alia potentia, nimirum meditatio ab intellectu, & deambulatio a potentia motrice.

Dicitur 2. *Cum rationis advertentia & libertate:* per quod diſtinguitur ab *actione hominis*, quæ naturaliter procedit ab homine abſque rationis advertentia & libertate.

Ergo in actu humano duo ſpectanda ſunt, ſcilicet voluntarium, & liberum. Agemus ergo 1. De voluntario, & involuntario. 2. De libero.

QUÆSTIO I.

De voluntario, & involuntario.

Quæres 1. Quid ſit voluntarium?
Reſp. Eſt, *id quod eſt a principio intrinſeco cum cognitione ſingulorum in quibus eſt actio.*

Dicitur 1. *Id*, hoc eſt, actio, vel paſſio, vel omiſſio.

Dicitur 2. *Quod eſt a principio intrinſeco:* nem-

nempe a voluntate ; ut diſtinguatur a violento, quod a principio extrinſeco prodit. Unde violenta tractio in carcerem non eſt voluntaria in eo qui trahitur.

Dicitur 3. *Cum cognitione ſingulorum in quibus eſt actio:* id eſt, finis & circumſtantiarum. Hinc ſi una circumſtantia omnino ſit ignorata, actio quoad illam non eſt voluntaria. Si cognitio ſit perfecta, voluntarium eſt perfectum, ſi ſit imperfecta, eſt imperfectum.

Quæres 2. *Quomodo dividitur voluntarium?*

Reſp. 1. Dividitur in *expreſſum*, quod Verbo, aut alio ſigno declaratur ; & *tacitum*, quod colligitur ex aliquo facto, vel facti omiſſione, juxta hanc regulam juris: *Qui tacet conſentire videtur*. Porro taciturnitas æquivalet conſenſui in duobus caſibus tantum 1. Cum aliquid favorabile proponitur. 2. Cum, qui tacet, loqui tenetur.

2. Dividitur in *directum*, quod in ſe ipſo eſt volitum, vel actualiter, vel virtualiter. Et in *indirectum*, quod licet non ſit in ſe ipſo volitum, eſt tamen volitum in ſua cauſa. Porro ad voluntarium indirectum tria requiruntur. 1. Ut operans prævideat, aut prævidere poſſit, & debeat, effectum hunc ex hac cauſa ſecuturum eſſe. 2. Ut effectum hunc impedire poſſit, ejus cauſam auferendo. 3. Ut hanc cauſam auferre teneatur, aut ſaltem nullum jus habeat eam ponendi ; quia nimirum nulla ſubeſt eam ponendi neceſſitas aut utilitas.

Quæres 2. *Quid ſit involuntarium?*

Reſp. Eſt, *id quod vel eſt a principio extrinſeco*, ut ea quæ fiunt ex violentia, vel metu; *vel a principio intrinſeco quidem, ſed ſine cognitione*, prout contingit in his quæ fiunt per paſſionem, vel per ignorantiam : de quibus ſit.

O 5 §. I.

§. I. *De involuntario per violentiam & metum.*

Quæres 1. *Quid ſit violentum, ſeu coactum?*
Reſp. Eſt, *id quod eſt a principio extrinſeco, in contrarium reſiſtente paſſo.* Quod ſi paſſum totis viribus, quantum poteſt & debet, reſiſtat, dicitur *violentia abſoluta.* Si vero reſiſtat aliquo modo, ſed non quantum poteſt & debet, dicitur, *violentia ſecundum quid.*

Quæres 2. *Utrum omnis violentia tollat voluntarium?*

Reſp. Violentia *abſoluta* omnino tollit voluntarium, quia actio nullatenus procedit a voluntate: violentia vero *ſecundum quid*, non tollit voluntarium, ſed minuit tantum, quia voluntas non reſiſtit omnimode; ergo actio ſic coacta procedit partim a voluntate, partim a principio extrinſeco.

Quæres 3. *Utrum voluntas poſſit cogi?*
Reſp. Non poteſt cogi *quoad actus elicitos*: quia actus elicitus voluntatis eſt eſſentialiter volitio; ergo eſt eſſentialiter voluntarius.

Dixi: *Quoad actus elicitos:* quia poteſt cogi quoad actus aliarum potentiarum, ſed tunc non ſunt a voluntate imperati.

Quæres 4. *Utrum quæ fiunt ex metu gravi ſint involuntaria?*

Reſp. Sunt abſolute & ſimpliciter voluntaria, & ſecundum quid tantum involuntaria, quia licet conſenſus detur cum repugnantia, nihilominus datur, ac proinde licet a tanto peccato excuſent, non tamen excuſant a toto.

Nec dicas: Matrimonium & votum ſolemne ex metu gravi celebrata, ſunt invalida; ergo ſunt abſolute & ſimpliciter involuntaria.

Reſp.

Reſp. diſt. ant. Sunt invalida jure eccleſiaſtico, *conc.* jure naturali, *nego*. Non ergo ſunt invalida defectu voluntarii; ſed ſunt invalida, quia Lex eccleſiaſtica ea irritat.

§. II. *De involuntario per concupiſcentiam & ignorantiam.*

Quæres 1. *Quid ſit concupiſcentia, ſeu paſſio?*

Reſp. Eſt, *motus appetitus ſenſitivi bonum ſenſibile proſequens, vel malum ſenſibile fugiens.* Concupiſcentia ſic ſumpta, vel eſt *antecedens*, quæ præcedit voluntatis conſenſum quem allicit: vel *conſequens*, quæ excitatur, ſeu, imperatur a voluntate.

Quæres 2. *Utrum concupiſcentia antecedens cauſet involuntarium?*

Reſp. Ex una parte auget, & ex altera minuit voluntarium; nam ad voluntarium perfectum duo requiruntur, nimirum, *propenſio voluntatis in objectum*, & *cognitio ſingulorum in quibus eſt actio*; atqui concupiſcentia antecedens auget propenſionem voluntatis in objectum; minuit vero cognitionem eorum, in quibus eſt actio; ergo.

Objicies: Concupiſcentia antecedens ſemper minuit liberum, ut conſtat ex iis motibus qui *ſecundo primi* dicuntur, immo quandoque tollit liberum, ut conſtat ex iis motibus qui *primo primi* dicuntur, qui ideo non ſunt peccata, quia abſque rationis advertentia & voluntatis conſenſu exurgunt; ergo ſemper minuit voluntarium.

Reſp. nego conſeq. Nam ratio voluntarii ſita eſt in propenſione voluntatis; ratio vero liberi ſita eſt in indifferentia voluntatis; atqui poteſt minui, immo quandoque tolli in-

differentia voluntatis, etſi non minuitur ejuſdem propenſio in objectum; ergo, &c.

Quæres 3. *Utrum concupiſcentia conſequens tollat voluntarium?*

Reſpond. negat. Econtra auget voluntarium & liberum quia voluntas eam vult & imperat, ut majori niſu objecto pravo, quod inſequitur, fruatur, ſive velit concupiſcentiam in ſe, eam nempe impellendo in pravum objectum; ſive eam velit in cauſa, fovendo nimirum pravos habitus quibus impellatur in pravum objectum. Ex quo ſequitur peccatum ex pravo habitu perpetratum, eſſe gravius eo, quod tantum ſemel fuit admiſſum.

Quæres 4. *Quid ſit ignorantia?*

Reſp. Eſt, *carentia cognitionis debitæ.*

Quæres 5. *Quotuplex eſt ignorantia?*

Reſp. Duplex, alia juris, alia facti; & utraque eſt vel vincibilis, vel invincibilis.

Ignorantia juris, eſt ea qua lex ignoratur; v. g. ſi quis ignoret affinitatem dirimere matrimonium.

Ignorantia facti, eſt ea, qua ignoratur aliquod factum particulare eſſe legi contrarium; v. g. ſi quis ſciens affinitatem dirimere matrimonium, ignoret eam, cui nubit, ſibi eſſe affinem.

Ignorantia vincibilis, eſt ea quæ potuit ac debuit vinci; v. g. ſtudio, & diligentia debita. Hæc vel eſt, *affectata*, qua quis expreſſe vult ignorare, ut liberius peccet: vel *craſſa*, qua quis non quidem expreſſe vult ignorare, ſed non curat ea addiſcere quæ poteſt & tenetur ſcire.

Ignorantia invincibilis, eſt ea, quæ, adhibita ſufficienti diligentia, non potuit vinci.

Quæres 6. *Utrum detur ignorantia invincibilis juris naturalis?*

Reſp.

Reſp. 1. Non datur circa prima principia, nec circa proximas eorum concluſiones; v. g. circa præcepta Decalogi, quia eorum cognitio tam evidens eſt, ut ſine difficultate haberi poſſit: nullus quippe eſt, qui non videat veritatem hujus primi principii: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris:* ex quo facili negotio concludit: *Ergo non eſt furandum, occidendum*, &c.

Reſp. 2. Poteſt eſſe ignorantia invincibilis juris naturalis, quoad concluſiones a principiis magis remotas, qualis eſt prohibitio uſuræ, uxorum pluralitas, &c. Ratio eſt experientia, qua conſtat homines doctiſſimos ac ſanctiſſimos in iis concluſionibus ſequi opiniones contradictorias; ergo in iis quandoque falluntur.

Quæres 7. *Utrum omnis ignorantia invincibilis cauſet involuntarium?*

Reſpond. Cauſat ſimpliciter; quia quod fit ex tali ignorantia, fit abſque cognitione ſingulorum in quibus eſt actio, & contra voluntatis propenſionem. Hinc ignorantia invincibilis excuſat ab omni peccato, quia ex D. Aug. lib. de vera religione, cap. 4. *Uſque adeo peccatum voluntarium eſt, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium; & hoc ita manifeſtum eſt, ut nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat* ..... Unde Alex. VIII. hanc propoſitionem damnavit: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat a peccato formali.*

Quæres 8. *Utrum ignorantia vincibilis tollat voluntarium?*

Reſp. 1. Ignorantia *affectata* voluntarium & peccatum auget, nedum minuit, quia procedit ex majori deliberatione & affectu liberius peccandi.

Reſ-

Reſpond. 2. Ignorantia *craſſa*, non affectata facit opus ſimpliciter voluntarium; quia qui agit ex illa ignorantia, vult, ſaltem indirecte, cauſam peccati; ergo vult peccatum.

Reſp. 3. Ignorantia *craſſa*, facit opus involuntarium ſecundum quid; unde minuit voluntarium & peccatum; quia minuit cognitionem, & fit contra aliquam voluntatis inclinationem, ut patet in eo qui non facta ſufficienti diligentia, putans occidere feram, occidit amicum.

QUÆSTIO II.

De voluntario libero, ſeu de libertate.

Quæres 1. Q*Uotuplex ſit libertas?*

Reſpond. Duplex, nempe libertas a coactione, ſeu ſpontaneitatis, & libertas a neceſſitate ſimplici.

Libertas a coactione, eſt immunitas ab omni violentia contra voluntatis propenſionem ab extrinſeco illata.

Libertas a neceſſitate ſimplici, definitur: *Potentia activa, quæ, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt ex ſe agere, vel ejus contrarium.*

Dicitur 1. *Potentia activa*; ſcilicet, voluntas.

Dicitur 2. *Quæ poſitis omnibus, &c.* ſi enim unum ex prærequiſitis ad agendum deſit, profecto in actum potentia prorumpere nequit.

Dicitur 3. *Ex ſe*; id eſt, ex propria ſui determinatione.

Dicitur 4. *Poteſt agere, vel non agere*; v. g. amare, vel non amare, & eſt libertas *contradictionis*, & *exercitii*.

Dicitur 5. *Aut hoc agere, vel ejus contrarium*;

nium; v. gr. eligere bonum vel malum, & eſt libertas, *contrarietatis*, ſeu, *ſpecificationis*.

Quæres 2. *Quotuplex ſit neceſſitas?*

Reſp. 1. Dividitur 1. In *antecedentem*, quæ vel rationis, & voluntatis uſum antecedit, ut fit in motibus primo primis: vel quæ licet fiat ex plena rationis advertentia, ſic tamen voluntatis conſenſum indeclinabiliter antecedit, ut eum invincibiliter & inſuperabiliter exprimat: talis in ſententia Janſenii inducitur ex delectatione relative ſuperiori ſive ad bonum, ſive ad malum, cui voluntas nec unquam vult, nec velle poteſt reſiſtere relative, id eſt, in his circumſtantiis, in quibus verſatur.

Dividitur 2. In *neceſſitatem ſpecificationis*, qua facultas ita determinatur ad unum, ut in oppoſitum ferri non poſſit; & in *neceſſitatem exercitii*; qua voluntas ita determinatur ad actum, ut ab illo non poſſit abſtinere: ſic Deus ab amore ſui non poteſt abſtinere:

Dividitur 3. In *neceſſitatem phyſicam*, quæ eſt antecedens & naturalis ad unum determinatio, qua voluntas ita unum vult, ut aliud hic & nunc velle non poſſit; & in *neceſſitatem moralem*, quæ eſt ſumma difficultas vel operandi bonum, vel abſtinendi a malo, quæ tamen actu & de facto vinci poteſt, qualis ex inveteratis habitibus contrahitur.

Quæres 3. *Quænam requiratur libertas ad liberum arbitrium?*

Reſp. Requiritur libertas a ſimplici neceſſitate, nec ſufficit libertas a coactione: nam SS. PP. Pius V. Gregor. XIII. Urbanus VIII. damnarunt has Baji propoſitiones: *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit: ſola violentia repugnat libertati hominis naturali*. Ergo liberum arbitrium non conſiſtit

ſiſtit in ſolo voluntario ; ergo ad merendum vel demerendum non ſufficit ſola libertas a coactione. *Ratio eſt*, quia ea ſola potentia eſt libera libertate arbitrii, quæ, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere, vel non agere; ergo ea potentia non eſt libera libertate arbitrii, quæ, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, non poteſt ſuum actum ſuſpendere, ſed invincibili neceſſitate ad unum determinatur.

Objicies 1. D. Auguſt. *lib. 7. de lib. arb. cap. 3.* ait: *Illud nos habere in poteſtate dicimur, quod, cum volumus, facimus.* Atqui actus pure ſpontaneos & neceſſarios facimus, cum volumus; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Illud habemus in poteſtate, quod, cum volumus, facimus, ita ut poſſit non fieri; *conc.* ita ut non poſſit non fieri, *nego maj.* Actus autem neceſſarios facimus, cum volumus, ita ut non poſſimus ipſos non facere; unde non ſunt in noſtra poteſtate; nam, *hoc quiſque habere in poteſtate dicitur, quod, ſi vult, facit; ſi non vult, non facit*, ait Div. Auguſtin. *lib. de ſpiritu & litt. cap.* 31.

Objicies 2. SS. Patres aſſerunt ſolam coactionem officere libertati; ergo.

Reſpond. Quod SS. Patres has voces, *cogi*, &, *coactio*, non ſumant ſtricte, pro violentia proprie dicta, quæ repugnat actibus a voluntate elicitis; ſed late, pro quacumque neceſſitate antecedente, ad unum inſuperabiliter determinante, ut conſtat ex eorum dictis.

Quæres; *Quænam in ſtatu naturæ lapſæ requiratur libertas ad merendum vel demerendum?*

Reſpond. Requiritur libertas indifferentiæ, ſeu a ſimplici neceſſitate, nec ſufficit libertas a coactio-

ctio-

ctione, ut fides docet contra Janſenium, cujus hæc propoſit. damnata eſt, ut hæretica; *Ad merendum, & demerendum, in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.* Ratio eſt, quia, ut quis mereatur vel demereatur, debet habere dominium ſuæ actionis, & de ea diſponere prout vult; atqui agens ex neceſſitate, etiam ſimplici, non habet dominium ſuæ actionis, nec de ea poteſt diſponere prout vult, tanquam Dominus; ergo, &c.

Objicies: Div. Auguſt. *lib.* 1. *operis imperfecti, cap.* 106. ait: *Non eſt igitur impunitatis ſecuritas in neceſſitate peccandi.* Ergo ad demeritum non eſt neceſſaria libertas a neceſſitate.

Reſpond. diſt. conſeq. Non requiritur libertas a neceſſitate morali, *conc.* a neceſſitate antecedenti phyſica, *nego conſeq.* Addit enim Div. Doctor: *Sed ut non obſit iſta neceſſitas, donat ille cui dicitur: De neceſſitatibus meis erue me.* Ergo loquitur de neceſſitate morali quæ vinci poteſt per gratiam Chriſti.

Quæres 3. *Utrum homo lapſus ſit liber ad bonum & malum, non ſolum libertate a coactione, ſed etiam a neceſſitate ſimplici antecedente?*

Reſpond. affirm. Idque conſtat ex Scriptura: Eccl. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te..... appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi:* Ad quæ verba Div. Auguſtinus, *lib. de grat. & lib. arbit. c.* 2. dicit: *Ecce, apertiſſime*

me videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Deut. 30. Moyſes Iſraelitas ſic alloquitur: *Teſtes invoco hodiè cælum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem; elige ergo vitam, ut & tu vivas & ſemen tuum*. Certe qui poteſt eligere vitam vel mortem, eſt liber ab omni neceſſitate antecedente, etiam ſimplici & voluntaria.

Objicies 1. Homo lapſus captivatur ſub lege peccati, nec facit quod vult, immo facit quod non vult, Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*. Et: *non quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago*; ergo, &c.

Reſpond. diſt. ant. Quoad ſenſum, *conc.* quoad conſenſum; *nego ant.* loquitur itaque Apoſtolus de motibus concupiſcentiæ indeliberatis, quos neceſſario quidem experimur; & ſic ſub eis captivamur, nec facimus quod volumus, ſed eis non neceſſario obſequimur, & ſic non neceſſario peccamus.

Objicies 2. D. Auguſt. *Enchiridii*, c. 30. ait: *Libero arbitrio male utens homo & ſe perdidit & ipſum*. Et in Epiſt. ad Vitalem, dicit: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*; ergo.

Reſp. diſt. conſeq. Per peccatum primi parentis amiſſum eſt liberum arbitrium, quoad plenam cum immortalitate juſtitiam, quam habuit in illo ſtatu felicitatis, & quæ conſiſtebat in dono integritatis, in immunitate a morte, a concupiſcentia inordinata, & ab ignorantia: *conc.* quoad ſubſtantiam, *nego*, ſeipſum explicat Divus Auguſtinus *lib.* 1. *ad Bonifacium*, *cap.* 2. dicens: *Quis noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano*

mano genere? libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia; ſcilicet, ut libertas aliquid boni ſupernaturalis elicere poſſit.

CAPUT III.

De moralitate actuum humanorum.

Quæres 1. **Q***Uid ſit actus moralis?*

Reſp. Eſt, *actus humanus conformis vel difformis regulis morum, vel ab eis permiſſus.* Unde morale, præter liberum, dicit ordinem & relationem ad regulas morum.

Agemus de ſpeciebus, principiis, affectionibus, & primaria regula moralitatis.

QUÆSTIO I.

De ſpeciebus moralitatis.

Quæres 1. **Q***Uot & quænam ſint ſpecies moralitatis?*

Reſp. Sunt tres, nimirum, *indifferentia*, quam lex permittit, *bonitas*, quam imperat; & *malitia*, quam prohibet.

Quæres 2. *Quotuplici modo conſiderari poſſit actus humanus?*

Reſp. Conſiderari poteſt *in ſpecie*; nimirum, quatenus dicit ordinem ad ſolum objectum, ad quod ex ſe tendit. Vel *in individuo*, nimirum quatenus dicit ordinem ad objectum, circumſtantias, & finem operantis.

Quæres 3. *Utrum dentur actus humani indifferentes in ſpecie?*

Reſp. affirm. Nam varia ſunt objecta quæ ex

ſe

ſe plane ſunt indifferentia ad bonitatem vel malitiam, ut ſunt; *ambulare*, *levare feſtucam*, &c. Ergo actus humani, ſpectati in ordine ad objecta illa ſola, ſunt indifferentes.

Quæres 4. *Utrum dentur actus indifferentes in individuo?*

Reſp. negat. Nam actus in individuo ſpectatus includit finem operantis; atqui nullus actus ſpectatus ſecundum finem, quem ſibi proponit operans, eſt indifferens: nam talis finis eſt bonum honeſtum vel jucundum, neque enim poteſt amari malum quatenus malum; ſi ſit bonum honeſtum, actus eſt bonus; ſi ſit bonum jucundum, actus eſt malus: neque enim licitum eſt homini in ſuis actibus deliberatis operari propter ſolam delectationem, ut definivit Innoc. XI. *Propoſ.* 8. & ideo tenetur referre actus ſuos deliberatos ad finem honeſtum.

Objicies 1. Actus, qui fiunt præciſe ad ſublevandam levem naturæ indigentiam, ut ambulare, ſpuere, &c. nullam, neque ex objecto, neque ex fine, contrahunt bonitatem vel malitiam; ergo.

Reſp. nego ant. Vel enim illi actus, qui ſunt media, fiunt propter ſolam voluptatem, & tunc ſunt venialiter mali, quia homo, utpote rationalis, operari tenetur propter finem excellentiorem quam bruta: vel fiunt ob ſanitatis conſervationem & rectam corporis conſiſtentiam, & tunc ſunt moraliter boni, quia ſunt conformes naturæ rationali, qua rationali.

Inſt. Sunt aliquæ operationes per ſe tantum ordinatæ ad oblectandum, v. g. viſio pulchri, ad oblectandos oculos; olfactio odoris, ad oblectandas nares, &c. Ergo ſaltem iſtæ poterunt propter ſolam voluptatem licite exerceri.

Reſp. nego ant. Nulla enim operatio ad ſolam delectationem, ut ad finem ultimum, ordina-

dinatur; ſed ultra tendit ad finem ulteriorem, v. g. olfactio odoris ordinatur finaliter ad cerebrum confortandum: viſio pulchri ad excitandos ſpiritus qui deſerviunt ad operationem humanam rite exercendam, &c.

Objicies 2. Nemo tenetur ad impoſſibile; atqui in ſtatu naturæ corruptæ impoſſibile eſt omnes actus noſtros deliberatos ad Deum referre tanquam ad finem ultimum; ergo.

Reſp. diſt. minor. Impoſſibile eſt actus noſtros ad Deum referre actualiter, *conced.* virtualiter, *nego min.* Neque enim opus eſt ut finem honeſtum actu intendamus in ſingulis actibus, ſed ſufficit ut illum intendamus virtualiter, qualiter cenſetur intendere ut plurimum qui ordinate & chriſtiane vivit.

Quæres 5. *Utrum actus externus augeat bonitatem, aut malitiam actus interni efficacis?*

Reſp. Non auget per ſe: nam voluntas efficax bene vel male agendi pro facto apud Deum reputatur: *Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi*, ait Deus Abrahamo mactare filium parato, licet ſacrificium opere non compleverit. Unde *Matth.* 5. dicitur: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Quæ verba expendens Divus Bernardus, *Epiſt.* 77. ait: *Quid planius quod voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit neceſſitas?*

Dixi: *Per ſe*; quia actus externus *per accidens* auget malitiam actus interni, nam experientia operis nonnunquam actum internum reddit intenſiorem aut diuturniorem: ſic v. g. voluptas actualis, quæ percipitur ex fornicatione, fornicationis affectum intenſiorem efficere ſolet; ergo.

Objicies: Actus internus & externus mali diver-

verſis prohibentur præceptis: nempe, *non mœchaberis*: *non concupiſces*: Ergo diverſa eſt utriuſque malitia.

Reſp. nego conſeq. Non enim ideo ponuntur diverſa præcepta, quod in externis actibus ſit diverſa malitia, cum propter idem motivum prohibeantur: ſed ideo ponuntur, quia periculum erat ne homines carnales legem obſervaſſe ſibi viderentur, ſi a ſolis actibus externis abſtinerent, quamvis internis præberent conſenſum, ſicut quidam ex Judæis aſſerebant, quos redarguit Chriſtus dicens: *Audiſtis quia dictum eſt, non mœchaberis: ego autem dico vobis: omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo.*

QUÆSTIO II.

De principiis moralitatis.

Quæres 1. *Quid intelligitur per principium moralitatis?*

Reſp. Intelligitur id unde actus humanus deſumit ſuam bonitatem aut malitiam.

Quæres 2. *Undenam actus humanus ſuam deſumat bonitatem aut malitiam?*

Reſp. Ex objecto, fine, & circumſtantiis.

Quæres 3. *Ex quonam objecto moralitas deſumitur?*

Reſp. Ex objecto ſpectato ſecundum ſuum *eſſe morale*: non ſecundum ſuum *eſſe phyſicum*, v. g. objectum, a quo adulterium ſuam deſumit malitiam, non eſt femina, præciſe ut eſt femina, cum ut ſic poſſit eſſe objectum adulterii & actus conjugalis; ſed eſt femina prout cognoſcitur contra prohibitionem rectæ rationis. Objectum ergo ſecundum *eſſe morale*, eſt objectum prout ab agente attingitur modo rectæ rationi conſentaneo, vel diſſentaneo.

Quæ-

Quæres 4. *Quamnam moralitatem actus humanus deſumat ab objecto?*

Reſpond. 1. Deſumit moralitatem ſpecificam: quia ratione objecti quædam virtutes & vitia a ſe invicem ſpecie differunt: ſic ratione objecti virtutes Theologicæ differunt ſpecie a virtutibus moralibus: ſic homicidium ſpecie differt ab adulterio, quia eorum objecta ſpecie differunt.

Reſpond. 2. Deſumit moralitatem primariam: quia actus humanus non poteſt concipi ſine moralitate ab objecto ſumpta, licet poſſit concipi ſine aliis, v. g. furtum in loco ſacro perpetratum, licet poſſit concipi ſine malitia ſacrilegii, non poteſt tamen concipi ſine malitia injuſtitiæ; ergo, &c.

Quæres 5. *Utrum moralitas actuum humanorum deſumatur etiam a fine extrinſeco, ſeu a fine operantis?*

Reſp. affirmat. Nam 1. Facit actum ex indifferente bonum, vel malum, ſic ſtudium ad vanam gloriam eſt malum, & ſtudium ad lucrum animarum eſt bonum. 2. Facit actum ex malo pejorem, v. g. ſi quis furetur ad mœchandum. 3. Facit actum ex bono malum, v. g. ſi quis det eleemoſynam ob vanam gloriam; ergo, &c.

Quæres 6. *Utrum moralitas, quæ deſumitur a fine extrinſeco, ſit ſpecifica & eſſentialis?*

Reſp. Si actus ſpectetur ut eſt imperatus a fine, ex cujus efficaci intentione procedit, deſumit ſpecificam moralitatem a fine, quia præcipue & eſſentialiter reſpicit finem operantis... ſi vero ſpectetur ut eſt elicitus a voluntate, tunc deſumit moralitatem ſpecificam ab objecto, quia præcipue & eſſentialiter reſpicit ſolum objectum. Sic actus eleemoſynæ ad ſatisfaciendum pro peccatis, ſi ſpectetur ut eſt elicitus

citus, ſuum ſpecificam bonitatem deſumit a miſericordia; ſi ſpectetur ut eſt imperatus a pœnitentia, ſuam ſpecificam bonitatem deſumit a virtute pœnitentiæ.

Quæres 7. *Quid ſit circumſtantia actus humani?*

Reſp. Definitur: *Accidens quoddam, moraliter afficiens actum humanum jam conſtitutum in ſuo eſſe, tam phyſico, quam morali.*

Dicitur: *Moraliter afficiens actum humanum*: id eſt, conferens ipſi aliquid bonitatis vel malitiæ accidentalis.

Quæres 8. *Utrum moralitas actuum humanorum deſumatur etiam a circumſtantiis?*

Reſp. affirm. Quia ſubjacent regulis morum: vel enim ab eis præcipiuntur, vel prohibentur; ergo, &c.

Quæres 9. *Quotuplicis generis ſint circumſtantiæ?*

Reſp. Duplicis: alia enim eſt *mutans ſpeciem*, quæ actum humanum trahit in ſpeciem diverſam ab ea quam ab objecto ſuo immediato deſumit; talis eſt circumſtantia loci ſacri in furto ..... alia eſt *aggravans, vel minuens ſpeciem*, quæ, ſcilicet minuit, vel auget bonitatem aut malitiam actus intra eandem ſpeciem, v. g. inceſtus in 1. vel 4. gradu.

Quæres 10. *Utrum circumſtantiæ conferant actui humano moralitatem ſpecie diverſam a moralitate quæ provenit ex objecto?*

Reſp. Hanc conferunt circumſtantiæ ſpeciem mutantes, non vero eæ quæ ſpeciem duntaxat aggravant: quia illæ, non vero iſtæ, important ordinem convenientiæ vel diſconvenientiæ ad rectam rationem, diverſum ab eo quem importat objectum: non enim ſolum eſt diſconveniens rectæ rationi furari, ſed etiam furari in loco ſacro; ergo, &c.

Quæ-

Quæres 11. *Quandonam circumſtantia ſpeciem mutet?*

Reſpond. 1. Mutat ſpeciem, quandò efficit ut actus opponatur alicui virtuti, cui alioquin non opponeretur, vel efficit ut ei ſit conformis: quia tunc ſunt plures conformitates aut difformitates ad rectam rationem.

2. Quando circumſtantia efficit, ut actus diverſo modo eidem virtuti ſit conformis, aut difformis: quia ubi eſt diverſus modus conformitatis vel oppoſitionis cum eadem virtute, tunc ſane diverſa eſt conformitas vel diſconvenientia cum recta ratione.

Quæres 12. *Utrum circumſtantiæ debeant eſſe cognitæ & volitæ ut ad peccatum imputentur?*

Reſp. Debent eſſe cognitæ & volitæ, ſaltem interpretative: hoc eſt, requiritur ut agens illas cognoſcere debuerit ac potuerit: ratio eſt, quia alias actus non eſſet voluntarius quoad circumſtantiam incognitam.

Quæres 13. *Quot ſint circumſtantiæ actuum humanorum?*

Reſpondeo Sunt ſeptem verſu ſequenti contentæ:

> *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Quis, deſignat qualitatem & conditionem accidentalem perſonæ operantis, v. g. quod ſit ſacerdos, conjugatus, voto obſtrictus, &c.

Quid, denotat qualitatem objecti, v. gr. an res furto ablata ſit ſacra, vel profana, gravis, aut levis.

Ubi, denotat qualitatem loci, v. gr. an ſit publicus, vel ſacer.

Quibus auxiliis, denotat media & inſtrumenta quibus operans uſus eſt ad operandum, v. g.

ſi quis ope dæmonis, expreſſe vel tacite invocati, aliquid conſequi voluerit.

Cur, denotat finem extrinſecum operantis.

Quomodo, denotat modum accidentalem quo fit actio, v. g. an ex malitia, aut ignorantia, aut infirmitate.

Quando, denotat durationem & qualitatem temporis accidentalem, v. g. an in die feſto quis inebriatus ſit.

QUÆSTIO III.

De affectionibus moralitatis.

Quæres 1. Quid *intelligatur per affectionem moralitatis?*

Reſp. Intelligitur ejus multiplicatio in eodem actu.

Quæres 2. *Utrum actus ex objecto malus, in finem bonum relatus, deſinat eſſe malus?*

Reſp. Hunc actum eſſe ſimpliciter malum, juxta illud Theologiæ effatum: *Bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu.* Ergo ubi medium malum eſt, actus eſt ſimpliciter malus: hinc peccat qui mentitur ad vitam innocentis conſervandam, nam Roman. 3. *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.*

Quæres 3. *Utrum ſaltem intentio boni finis minuat malitiam actus ex objecto mali.*

Reſp. Minuit per ſe: quia qui malum operatur ex intentione boni finis, minorem habet affectum ad peccatum; ergo minus peccat.

Quæres 4. *Utrum unus idemque actus*, (v. g. eleemoſyna ob vanam gloriam) *poſſit eſſe bonus ex objecto bono, & malus ex fine malo?*

Reſp. negative: Ita declaratur, Matth. 6. *Attendite ne juſtitiam veſtram*, id eſt, opera veſtra bona, *faciatis coram hominibus, ut videamini*

mini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cælis eſt. Atqui ſi illa opera remanerent bona, non forent abſque mercede; ergo, &c.

Quæres 5. *Utrum circumſtantia venialiter mala, quæ in decurſu operis boni, & in bonum finem directi, irrepit, totam ejus bonitatem auferat & meritum?*

Reſp. negative: Nam illa circumſtantia nullo modo influit in actum bonum, neque ut cauſa efficiens, neque ut cauſa finalis, ſed eum tantummodo extrinſece comitatur; ergo, &c.

QUÆSTIO IV.

De prima moralitatis regula.

Quæres 1. Q*Uænam ſit prima moralitatis regula?*

Reſpond. Pro prima moralitatis regula, alii aſſignant naturam rationalem, prout rationalis eſt, id eſt, prout eſt intellectiva & volitiva cum libertate: alii, lumen rationis ab æterna ratione nobis cælitus derivatum ad ſecernendum juſtum ab injuſto: alii, voluntatem divinam, & legem æternam, quæ eſt ratio Dei dirigens omnes creaturas in ſuum finem. Verum illa quæſtio eſt pure ſpeculativa, & ideo in ea diſcutienda non immorabimur, ut ad utiliora & practica progrediamur; ideo.

Quæres 2. *Quotuplici modo poſſimus voluntatem noſtram voluntati divinæ conformare?*

Reſp. Duplici, nempe, 1. *Poſitive*, per actum expreſſum; 2. *Negative*, per non repugnantiam, ſeu, per approbationem.

Quæres 3. *Quotuplex eſt volitum in Deo?*

Reſpond. Duplex, nempe, *materiale*, quod eſt objectum quod Deus vult; & *formale*,

quod eſt motivum quo Deus vult objectum materiale.

Quæres 4. *Quomodo voluntatem noſtram voluntati divinæ teneamur conformare, tum in volito materiali, tum in volito formali?*

Reſp. 1. Tenemur conformare *poſitive*, dum agitur de præcepto, quia tenemur adimplere præceptum divinum, hocque propter motivum quo Deus dedit præceptum.

Reſpond. 2. Tenemur negative tantum conformare voluntatem noſtram voluntati divinæ, dum agitur de conſilio: ſic non tenemur velle poſitive, ſeu amplecti virginitatem, quam Deus nobis tantum conſulit; ſed tenemur eam velle negative, id eſt, tenemur eam approbare, quia eſt bona; debemuſque eſſe diſpoſiti eam amplecti, ſi Deus vellet, & ſub motivo quo Deus vellet.

Quæres 5. *Utrum ſemper & in omnibus teneamur voluntatem noſtram voluntati divinæ negative conformare?*

Reſp. 1. Tenemur in volito formali, quia motivum agendi in Deo eſt æquiſſimum, nempe manifeſtatio ſuæ gloriæ, juſtitiæ, & aliorum attributorum.

Reſp. 2. Non tenemur in volito materiali, quia plura vult Deus quæ non vult nos velle, niſi ſaltem voluntate conditionata, nempe, ſi Deus voluerit, v. g. Deus, ut cauſa prima & univerſalis, vult bella, peſtes, mortem parentum, damnationem peccatorum, &c. quæ tamen non vult nos velle, & quæ ſunt mala reſpective ad nos, ad quos non pertinet ordo univerſi, aut divinæ juſtitiæ manifeſtatio; ergo.

TRA-

TRACTATUS VIII.

DE CONSCIENTIA.

Quæres 1. Q*Uid ſit conſcientia?*

Reſp. Eſt, *Actus intellectus practici dictantis quid hic & nunc, ſpectatis omnibus circumſtantiis, faciendum ſit ut bonum, vel omittendum ut malum.*

Dicitur 1. *Actus*; quia teſtificatur, accuſat, remordet, dirigit, &c.

Dicitur 2. *Intellectus*; quia ſolius intellectus eſt de agendis vel non agendis judicare.

Dicitur 3. *Intellectus practici*; quia verſatur circa actiones humanas, ut eas dirigat, non ſolum in genere, ut facit prudentia generalis, ſed in particulari. Unde ejus judicium vocatur *practice practicum*.

Dicitur 4. *Dictantis quid hic & nunc*, &c. per quod differt tum a ſynderesi, quæ verſatur circa prima morum principia; tum a prudentia generali, quæ ex primis principiis deducit tantum concluſiones generales, abſtrahentes ſcilicet a circumſtantiis: conſcientia vero prima principia applicat ad hoc vel illud in particulari; v. g. ſynderesis dictat: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*: ex quo prudentia generalis concludit generaliter; *Ergo non eſt retinendum id quod eſt alterius.* Unde conſcientia ſubſumit: *Atqui hæc pecunia, quam caſu inveni, eſt aliena*; deinde concludit: *Ergo eam retinere non debeo.*

Quæres 2. *Quomodo dividitur conſcientia?*

Reſp. Dividitur 1. In veram & erroneam; 2. In

2. In certam & dubiam; 3. In ſcrupuloſam & latam; 4. In probabilem & improbabilem.

CAPUT PRIMUM.

De conſcientia vera, & erronea.

Quæres 1. Quid *ſit conſcientia vera, ſeu recta?*

Reſp. Eſt ea, *quæ dictat aliquid eſſe licitum, vel illicitum, quod revera licitum vel illicitum eſt.* Hæc eſt certiſſima morum regula, cum ſit recta ſynderesis & legis applicatio ad actum particularem hic & nunc agendum.

Quæres 2. *Quid ſit conſcientia erronea, ſeu falſa?*

Reſp. Eſt ea, *quæ dictat aliquid eſſe licitum vel illicitum, quod revera non eſt tale.* Et duplex eſt, ſcilicet invincibiliter & vincibiliter erronea.

Conſcientia *invincibiliter* erronea, eſt ea, *cujus error, omni diligentia adhibita, depelli non potuit, aut non debuit.* Quocirca eſt inculpata.

Conſcientia *vincibiliter* erronea, eſt ea, *cujus error adhibita diligentia neceſſaria, depelli potuit ac debuit.* Et hæc vel eſt affectata, vel craſſa, pro ratione ignorantiæ ex qua naſcitur.

Quæres 3. *Utrum conſcientia erronea, ſit morum regula?*

Reſp. Non eſt *per ſe*, quia falſa eſt omnino; ergo debet deponi: eſt tamen morum regula *per accidens*, ſi ſit invincibiliter erronea; quia eſt judicium quod ſine formidine partis oppoſitæ exiſtimatur verum, quod nec debet, nec poteſt deponi.

Quæres 4. *Utrum peccet, qui agit contra conſcientiam erroneam?*

Reſp. Semper peccat, ſive error ſit vincibilis, ſive invincibilis; quia non agit ex fide, id eſt, ex perſuaſione quod liceat; atqui ex Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; ergo, &c. Ratio eſt, quia qui agit contra conſcientiam, vult peccatum; ergo peccat.

Quæres 5. *Utrum peccet qui operatur ſecundum conſcientiam erroneam, dictantem aliquid licitum eſſe, quod revera illicitum eſt?*

Reſp. Non peccat, ſi error ſit invincibilis; quia error invincibilis excuſat operantem ex eo, ſicut ignorantia invincibilis quam importat . . . . peccat vero, ſi error ſit invincibilis; quia talis error excuſare non poteſt operantem ex eo, ſicut nec ignorantia vincibilis ex qua oritur.

Objicies: Si laborans conſcientia vincibiliter erronea, peccet eam ſequendo, peccet etiam eam non ſequendo, neceſſario peccabit; abſurdum conſeq. ergo, &c.

Reſpond. diſt. ſeq. maj. Neceſſario peccabit, neceſſitate hypothetica, ſi nimirum conſcientiam non deponat, quam debet & poteſt deponere, utpote vincibilem, *conced.* neceſſitate ſimplici & abſoluta, *nego.* Tota ergo peccandi neceſſitas, quæ huic homini incumbere videtur, plane eſt voluntaria, quia rem ſedulius perpendere, doctiores conſulere ut errorem deponeret, minime dignatus eſt.

Quæres 6. *Utrum Confeſſarius teneatur monere pœnitentem, qui laborat conſcientia vincibiliter erronea?*

Reſp. Semper tenetur, etiamſi prævideat monitionem ſuam pœnitenti profuturam non eſſe, quia ſi pœnitens non moneatur, ſemper peccabit ex ignorantia vincibili, quæ a peccato non excuſat.

Hinc pœnitens debet moneri 1. Cum inter-

rogat Confeſſarium, quia tunc habet dubium de licitate ſuæ actionis. 2. Cum error verſatur circa prima juris naturalis principia, vel circa primas eorum conclusiones, quia circa illa ejus ignorantia eſt tantum vincibilis.

Quæres 7. *Utrum Confeſſarius teneatur monere pœnitentem qui laborat conſcientia invincibiliter erronea?*

Reſp. 1. Debet eum monere, 1. Si error in boni communis diſpendium vergat, quidquid ſit de monitionis ſucceſſu: hinc invalide ordinatus moneri debet .... 2. Si error ſit in præjudicium tertii particularis .... 3. Si error ſit de neceſſariis ad ſalutem neceſſitate medii ..... 4. Si ſpes emendationis affulgeat.

Reſp. 2. Non debet eum monere, ſi monitio nociva magis, quam utilis, futura prævideatur; quia nempe periculum eſt, ne pœnitens, qui hactenus materialiter tantum peccavit, formaliter poſtea ſit peccaturus, monitionem Confeſſarii ſpernendo.

CAPUT II.

De conſcientia ſcrupuloſa, & lata.

Quæres 1. QUid ſunt conſcientiæ ſcrupuloſa & lata?

Reſp. Scrupuloſa, eſt ea, *qua mens, levibus nixa fundamentis, cum anxietate judicat aliquid eſſe mali; vel timet ne aliquid mali ſubſit in actione bona, vel indifferenti.*

Lata, eſt ea, *qua mens, ex leviſſimis, & quidem cupiditati faventibus, rationibus, licitum eſſe putat quod malum eſſe facile deprehendi poteſt, aut pro levi peccato habet, quod grave communiter reputatur.* Utraque ad erroneam pertinet.

Quær-

Quæres 2. *Utrum illæ conſcientiæ ſint morum regula?*

Reſp. Non ſunt, quia ſunt improbabiles & imprudentes, cum vanis, & futilibus nitantur rationibus, quæ prudentes homines movere non poſſunt, hinc debent deponi.

Quæres 3. *Utrum ſcrupuloſus poſſit ac debeat contra ſcrupulos agere?*

Reſpond. Si ſcrupulus ſit verum judicium de malitia operis, non poteſt ſcrupuloſus contra ſcrupulum non depoſitum agere: quia ſcrupulus ſic ſumptus eſt conſcientia practice erronea, contra quam actu retentam non licet agere ..... ſi vero ſcrupulus ſit timor ne aliquid mali ſubſit in opere, junctus cum judicio abſoluto & practico de licitate actionis, tunc ſcrupuloſus debet contra ſcrupulos operari, ipſos contemnendo ac negligendo, ut obtemperet judicio vero & certo de licitate actionis.

CAPUT III.

De conſcientia certa, & dubia.

Quæres 1. Quid ſit conſcientia certa?

Reſp. Eſt, *judicium firmum & ſine formidine, ſaltem rationali, de bonitate aut malitia operis hic & nunc agendi.*

Quæres 2. *Quid ſit conſcientia dubia?*

Reſp. Eſt, *ſuſpenſio judicii circa bonitatem aut malitiam operis hic & nunc agendi*; vel quia pro neutra parte rationes occurrunt ſuadentes, in quo caſu conſcientia dicitur, *negative dubia*. Vel quia pro utraque parte occurrunt rationes æque ponderantes, tuncque dicitur, *dubia poſitive*.

Quæres 3. *Utrum conſcientia practice dubia ſit regula morum?*

 Reſp.

Reſp. Non eſt: nam regula morum debet determinare ad aſſenſum; atqui conſcientia dubia non determinat ad aſſenſum, ut conſtat ex ejus definitione; ergo, &c. Hinc qui agit cum conſcientia dubia non depoſita peccat, quia non agit ex fide; ergo debet deponi.

Quæres 4. *Quo principio conſcientia dubia poſſit deponi, & fieri moraliter certa?*

Reſpond. 1. In materia juſtitiæ poteſt deponi hoc juris principio: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*: quia merito præſumitur poſſeſſorem alicujus rei, quam apud ſe habet, eſſe verum illius Dominum: quatenus communius evenit, ut qui poſſidet, rem ſuam, juſque ſuum poſſideat, licet aliter aliquando evenire poſſit.

Reſp. 2. In aliis materiis deponi poteſt per hanc juris regulam: *Pro eo ſtandum eſt, pro quo ſtat præſumptio.* Quia qui in dubiis pro ea parte ſtat, pro qua ſtat præſumptio, prudenter agit; ergo licite agit; ergo, &c.

Quæres 5. *Si pro neutra parte præſumptio ſtare clare videatur, quomodo deponendum eſt dubium?*

Reſpond. Debet deponi hoc juris principio: *In dubiis tutior pars eſt eligenda.* Nam Eccl. 3. dicitur: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Et cap. 21. *Quaſi a facie colubri fuge peccata.* Sed qui in dubio, in quo pro nulla parte ſtat præſumptio, non eligit partem tutiorem, non fugit peccatum tanquam a facie colubri, item ſe exponit periculo peccandi; ergo peccat; ergo in dubiis tutior pars eſt eligenda; idque præcipiunt multi Canones.

Objicies 1. Canones qui dicunt in dubiis partem tutiorem eſſe amplectendam, ſunt tantum conſilii, non præcepti; ergo, &c.

Reſp. nego ant. Nam Canones illi his conſtant terminis præceptivis: *Via tutior eſt eligen-*

genda. Semitam debemus eligere tutiorem. Quod certius exiſtimamus, tenere debemus. Unde Clerus Gallicanus, ann. 1700. hinc interpretationem damnat his verbis: *Neque id conſilii, ſed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura:* qui amat periculum, in illo peribit.

Objicies 2. Lex dubia non poteſt certam parere obligationem; atqui ſi in dubio de licitate actionis, ab ea eſſet abſtinendum, lex dubia certam pareret obligationem; ergo, &c.

Reſp. diſt. major. Nam poteſt certam parere obligationem, petitam ex parte legis de qua dubitatur, *conc.* ex parte legis naturalis quæ vetat ne quis ſe exponat periculo peccandi, *nego.* Lex enim naturalis non ſolum præcipit ut obediamus ſuperioribus, ſed etiam vetat ne nos exponamus evidenti periculo ſuperiorum leges tranſgrediendi.

CAPUT IV.

De conſcientia probabili, & improbabili.

Quæres 1. QUid ſit conſcientia probabilis? *Reſp.* Eſt, *actus, quo intellectus, ob motivum grave, quamvis abſolute fallibile, judicat actionem hic & nunc exercendam, eſſe licitam vel illicitam.* Unde probabilitas eſt *veriſimilitudo.*

Dicitur 1. *Ob motivum grave*, quod ſi petatur a ratione, probabilitas dicitur *intrinſeca*; ſi ab auctoritate doctorum, vocatur *extrinſeca.*

Dicitur 2. *Quamvis abſolute fallibile*, quia licet illud motivum idoneum ſit ad viros pios & prudentes determinandos ad aſſenſum, illos tamen non determinat ſine formidine partis oppoſitæ.

Conſcientia improbabilis, eſt, *actus, quo intellectus ob motivum nullius vel levis momenti, judicat actionem hic & nunc exercendam, eſſe licitam, vel illicitam.*

Quæres 2. *Quid ſit opinio tuta, tutior, & minus tuta?*

Reſp. Opinio *tuta*, eſt ea quæ removet a periculo peccandi. *Tutior*, quæ magis removet. *Minus tuta*, quæ minus removet.

Quæres 3. *Utrum liceat ſequi opinionem probabilem hominis libertati faventem, in concurſu probabilioris quæ favet legi?*

Reſp. Non licet: Nam 1. *Apoſt.* 1. *ad Theſſal.* 5. ait: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete, ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Sed qui ſequitur opinionem minus probabilem faventem libertati, ſeu potius cupiditati: 1. *Non omnia probat*, quia non ſe determinat prudenter. 2. *Non tenet quod bonum eſt*; quia amplectitur quod ei malum apparet potius quam bonum. 3. *Non abſtinet ab omni ſpecie mala*; quia amplectitur quod probabilius malum eſſe judicat; ergo, &c.

2. Illa doctrina eſt nova, ut declaravit Clerus Gallicanus, anno 1700. *Quod ergo in praxi tam nobis liceat ſequi ſententiam, quam nec ipſi ut probabiliorem eligendam judicemus*, inquit, *hoc novum, hoc inauditum, hoc certis ac notis auctoribus poſtremo demum ſæculo proditum, & ab iiſdem pro morum regula poſitum, repugnat huic effato a Patribus celebrato:* quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus, *Nec habere poteſt chriſtiana regula ſecuritatem.*

3. Quia ille non agit licite; qui non agit prudenter; ſed qui eligit ſententiam minus probabilem faventem libertati in concurſu probabilioris quæ ſtat pro lege, non agit prudenter: nam non habet certitudinem moralem de honeſtate ſuæ actionis, de qua hoc habet ju-

di-

dicium; *Probabilius & veriſimilius eſt hanc actionem eſſe malam & illicitam*; ergo.

Objicies 1. Qui ſequitur opinionem probabilem in concurſu probabilioris, prudenter agit; nam agit ductus argumentis quæ viros pios & doctos ad aſſenſum determinare poſſunt; ergo.

Reſp. nego ant. & prob. Nam adveniente luce probabilioris ſententiæ, lux ſententiæ minus probabilis ſtatim evaneſcit; ergo non remanet vere probabilis; ergo viros doctos & pios non poteſt determinare ad aſſenſum.

Inſt. 1. Nullum comparativum deſtruit poſitivum; ergo major probabilitas non deſtruit minorem.

Reſpond. diſt. anteo. Nullum comparativum, *comparative* ſumptum, *conc.* comparativum *adverſative* ſumptum, quomodo hic *tò probabilius* ſumitur, *nego ant.* Sic Apoſt. 1. Cor. 7. ſumit *tò melius*, in hoc textu: *Melius eſt nubere, quam uri*, non quod bonum ſit uri, ſed quod ex his duobus inter ſe comparatis, unum ſit bonum, alterum malum.

Inſtab. 2. Opinio minus probabilis fundatur motivo gravi, alias non eſſet probabilis; ergo juxta illam licet operari.

Reſp. nego ant. Fundatur motivo gravi, ſuperato per motivum gravius in oppoſitum, *conc.* non ſuperato, *nego ant.* Porro motivum grave ſuperatum a graviori, fit leve, nec meretur aſſenſum.

Objicies 2. Licitum eſt ſequi opinionem minus tutam in concurſu tutioris; ergo a pari, &c.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod opinio tuta, etiam in concurſu tutioris, nulli exponat periculo peccandi, cum tuta ſupponatur: econtra vero probabilis in concurſu probabilioris exponit operantem periculo peccandi contra legem.

Inſt.

Inſt. Ergo non licet ſequi opinionem probabiliorem, immo nec probabiliſſimam: nam non excludit omnem incertitudinem; ergo habet ſecum periculum peccati.

Reſp. nego ſubſ. Ad prob. *diſt.* non excludit incertitudinem objectivam & metaphyſicam, *conc.* moralem, *nego*. Porro qui agit cum certitudine morali de licitate ſuæ actionis non peccat, quia facit totum quod in ſe eſt ad inquirendam veritatem: unde ſi forte eam non attingat, excuſatur a peccato ratione ignorantiæ invincibilis.

Quæres. 4. *Utrum liceat ſequi opinionem probabilem quæ favet hominis libertati, in concurſu æque probabilis quæ favet legi?*

Reſpond. Non licet, ſed tunc ea opinio eſt tenenda, quæ eſt tutior. Nam, *in dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem*, ex regula juris, ſed qui verſatur in æquali opinionum contrariarum probabilitate, verſatur in vero ac proprie dicto dubio, cum non ſit potior ratio cur intellectus judicet unam opinionem eſſe veram, quam alteram, & ſic in ſuſpenſo remaneat inter veritatem & falſitatem; ergo, &c.

Objicies 1. Qui habet opiniones utrinque probabiles, non eſt in dubio vero & proprie dicto; ergo non tenetur partem tutiorem ſequi.

Prob. antec. In veris dubiis intellectus neutri parti adhæret; in opiniones econtra uni realiter adhæret, licet cum formidine partis oppoſitæ; ergo, &c.

Reſpond. diſt. 2. *partem antec.* In opinione, quæ non concurrit cum contraria æqualiter probabili, intellectus uni parti realiter adhæret, *conc.* quæ concurrit, *nego*. Tunc enim intellectus inter utrumque anceps ac ſuſpenſus maneat, neceſſe eſt; ergo tutior pars eſt eligenda ut vitetur periculum peccati.

Inſt.

Inſt. Opinio probabilis non amittit gravitatem ſui motivi, ex eo quod concurrat cum opinione oppoſita æque probabili; ergo non reddit intellectum ancipitem & ſuſpenſum.

Reſp. nego antec. Nam gravitas unius opinionis eliditur per gravitatem opinionis contrariæ æque probabilis, & ſic neutra pars apparet magis vera quam falſa, unde intellectus debet ſuſpendere aſſenſum & diſſenſum, ac proinde manere dubius.

Objicies 2. In dubio tantummodo practico tutior pars eſt eligenda; atqui intellectus inter duas æquales probabilitates conſtitutus, licet dubius *ſpeculative*, non eſt tamen dubius *practice*; ergo.

Reſp. nego min. Nam intellectus *ſpeculative* dubius, eſt neceſſario dubius *practice*, cum in praxi nulla occurrit circumſtantia quæ dubium ſpeculativum tollat; atqui hic nulla eſt circumſtantia quæ minuat pondus rationum propter quas intellectus eſt *ſpeculative* dubius; ergo, &c.

Inſt. Intellectus ſpeculative dubitans, v. gr. utrum contractus *mohatra* ſit licitus, vel illicitus, poteſt ſe determinare per hunc actum reflexum, *Licitum eſt ſequi opinionem certo probabilem*; ergo.

Reſpond. nego antec. Quia ſupponit falſum, nempe opinionem probabilem in concurſu alterius æque probabilis retinere ſuam probabilitatem, quod falſum eſſe ſupra probavimus.

Quæres 5. *Utrum liceat ſequi opinionem probabiliorem quæ favet libertati, in concurſu minus probabilis quæ favet legi?*

Reſp. 1. Non licet in iis quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, vel quæ requiruntur ad validam adminiſtrationem, & receptionem Sacramentorum; quia in his ignorantia invincibilis, aut major probabilitas nihil juvat.

juvat ad obtinendum finem quem procurare tenemur, cum non poſſit ſalus obtineri, nec effectus Sacramenti haberi, niſi reipſa ponantur ea quæ Deus ad hunc finem exigit.

Reſp. 2. Licet, ubi agitur de licito actuum humanorum; nam ex D. Thoma, 2. 2. q. 70. art. 2. *Certitudo non eſt quærenda in omni materia; in actibus enim humanis, ſuper quibus conſtituuntur judicia, non poteſt haberi certitudo demonſtrativa, eo quod ſunt circa contingentia & variabilia: & ideo ſufficit probabilis certitudo quæ in pluribus veritatem attingat, etſi in paucioribus a veritate deficiat.* Atqui ſi non liceret ſequi opinionem minus tutam, quæ ſit tutiore notabiliter probabilior, non ſufficeret *probabilis certitudo*, ſed requireretur *certitudo demonſtrativa*, quæ non poteſt ſemper haberi; ergo, &c. Ratio eſt, quia opinio probabilior eſt verior, cum traditioni, quæ eſt morum regula, ſit conformior.

Hinc merito Alex. VIII. & poſt ipſum Clerus Gallic. anno 1700. hanc prop. damnarunt: *Non licet ſequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabiliſſimam.*

Objicies: Qui ſequitur opinionem minus tutam, licet probabiliorem, non eſt certus de bonitate ſuæ actionis; ergo, &c.

Reſp. diſt. antec. Non eſt certus metaphyſice, *conc.* moraliter, *nego.* Porro certitudo moralis ſufficit ut homo tute operetur: etſi enim *admittat formidinem de oppoſito, & ſcrupulos, non tamen advertendos, ſed contemnendos*, ait Gerſon, *lib.* 4. *de conſol. Theologica.*

Inſt. Qui judicat actionem minus tutam eſſe honeſtam, ſimul judicat eam forte eſſe illicitam; ergo non eſt certus moraliter.

Reſp. diſt. ant. Simul judicat eam forte eſſe illicitam, illicitate materiali invincibili, *conc.*

for-

formali, vel materiali vincibili, *nego min.* Formido ergo, quam admittit opinio probabilior, non impedit certitudinem moralem de licito actionis; unde eſt contemnenda, ut docet Gerſon.

TRACTATUS IX.

DE LEGIBUS.

Nota: AGendum eſt hic 1. De Legibus in communi; 2. De Lege æterna; 3. De Lege naturali; 4. De Lege poſitiva divina; 5. De Lege humana.

CAPUT PRIMUM.

De Legibus in communi.

Quæres 1. QUid ſit Lex? *Reſp.* Eſt, *Rationis ordinatio ſtabilis ad bonum publicum promulgata ab eo qui curam communitatis habet, cum intentione obligandi ſubditos.*

Dicitur 1. *Ordinatio*; id eſt, præceptum, quod tenet locum generis; omnis enim lex eſt præceptum, ſed non omne præceptum eſt lex.

Dicitur 2. *Ordinatio rationis*; id eſt, rationi conſentanea & juſta, tum ex parte objecti, quod debet eſſe bonum, honeſtum & moraliter poſſibile, tum ex parte Legislatoris, qui ſuam poteſtatem non debet excedere, tum ex parte ſubditorum, inter quos ſervari debet proportionis æqualitas in onerum diſtributione, quæ debet fieri pro cujuſcumque virium & facultatum proportione.

Dici-

Dicitur 3. *Stabilis;* id eſt, non ad tempus, ſed in perpetuum duratura, niſi abrogetur, vel niſi mutatis circumſtantiis noxia aut inutilis fiat.

Dicitur 4. *Ad bonum publicum;* quia eſt finis legis & poteſtatis legislativæ.

Dicitur 5. *Promulgata;* id eſt, intimata ſubditis, qui aliter non poſſent legem obſervare.

Dicitur 6. *Ab eo qui curam Communitatis habet;* id eſt, qui juriſdictionem exteriorem habet in communitatem perfectam; v. g. in Eccleſiam, Regnum, Provinciam, Diœceſim, &c.

Dicitur 7. *Cum intentione obligandi ſubditos;* per quod lex diſtinguitur a conſilio, quod per ſe non obligat, etſi ſit morum regula.

Quæres 2. *Quid ſit legis promulgatio?*

Reſpond. Eſt, *authentica illius notificatio eis facta, a quibus Legislator vult eam impleri.*

Quæres 3. *Utrum promulgatio ſit de eſſentia legis?*

Reſpond. Eſt complementum eſſentiale legis, prout actu & de facto obligantis, ratio eſt, quia voluntas Legislatoris per promulgationem conſtituitur formaliter in eſſe regulæ, cui ſubditus ſe conformare debet, juxta illud D. Auguſtini apud Gratianum, diſt. 4. cap. 3. *Leges inſtituuntur, cum promulgantur;* ergo ante promulgationem non habet completam rationem legis.

Objicies 1. Lex eſt regula, promulgatio vero eſt applicatio regulæ; atqui applicatio regulæ, non eſt de eſſentia regulæ; ergo, &c.

Reſp. diſt. major. Promulgatio eſt applicatio regulæ ſumptæ incomplete *conc.* ſumptæ complete, *nego major.* & ſic ad minorem. Itaque lex incomplete ſumpta, eſt voluntas interna Legislatoris; lex vero complete ſumpta, eſt eadem voluntas rite applicata per promulgatio-

tionem, & ideo promulgatio eſt complementum eſſentiale legis complete ſumptæ.

Objicies 2. Lex obligat non ſolum eos quibus jam innotuit, ſed & eos quibus eſt incognita; ergo promulgatio non eſt de eſſentia legis.

Reſpond. nego conſeq. Equidem divulgatio legis, qua cuilibet ſubdito in particulari innoteſcit, non eſt de eſſentia legis; bene vero promulgatio, ad quam ſufficit, ut cum requiſitis ſolemnitatibus facta, cuilibet particulari facile innoteſcere poſſit; qua poſita, omnes leges conſtringuntur, ſive qui eam norunt, ſive qui eam ignorant, etiam invincibiliter: licet enim ignorantia invincibilis eos excuſet a peccato, non tamen eos reddit habiles ad actus ad quos per legem ſunt inhabiles facti.

Quæres 4. *Utrum lex prioris legis revocatoria debeat promulgari?*

Nota: Lex alia eſt *favorabilis*, quæ eſt præter jus commune, & nulli affert præjudicium. Alia *odioſa*, quæ juri communi adverſatur, aut alteri nocet.

Reſp. 1. Lex, prioris legis favorabilis revocatoria, debet promulgari, nam vera lex debet promulgari, niſi jus aliter ſtatuat; atqui lex revocatoria eſt vera lex, nec jus ſtatuit eam non debere promulgari; ergo, &c. Hinc lex revocatoria privilegii audiendæ Miſſæ tempore interdicti debet promulgari.

Reſp. 2. Lex prioris legis odioſæ revocatoria, non debet promulgari; quia illa lex eſt favorabilis; atqui ex juris axiomate: *in favorabilibus neceſſaria non eſt promulgatio*; ergo &c.

Reſolves: Plurimas facultates, quæ in Concilio Tridentino Epiſcopis largiuntur, eſſe ubique terrarum validas, licet in ſingulis Provin-

ciis

ciis Concilium non ſit promulgatum; quia ſubſtractio harum facultatum, quæ jure communi Epiſcopis competunt, erat ipſis oneri.

CAPUT II.

De Lege æterna.

Quæres 1. Quid ſit lex æterna? *Reſp.* Definitur a Divo Auguſtino: *Ratio divina, vel voluntas, ordinem naturalem ſervari jubens, & perturbari vetans.*

Dicitur 1. *Ratio divina:* id eſt, in mente divina exiſtens.

Dicitur 2. *Vel voluntas:* quia lex in actu voluntatis formaliter exiſtit, *Pſalm.* 102. *Deus notas fecit vias ſuas Moyſi, & filiis Iſrael voluntates ſuas,* id eſt, leges & præcepta.

Dicitur 3. *Ordinem naturalem ſervari jubens,* &c. Id eſt, ordinem generalem ad quem res ſunt inſtitutæ, v. gr. quod ignis ſurſum inclinetur, lapis vero deorſum.

Quæres 2. *Utrum omnia ſubjiciantur legi æternæ?*

Reſpond. Omnia ſubjiciuntur: nam creaturæ rationales ipſi ſubjiciuntur ut præcipienti vel prohibenti; irrationales vero illi ſubjiciuntur ut ordinanti & moventi illas in ſuos fines, non vero ut præcipienti, quia non ſunt capaces præcepti & obedientiæ.

Quæres 3. *Utrum omnes leges a lege æterna deriventur?*

Reſp. affirmat. Nam de lege æterna dicitur, Prov. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Ratio eſt, quia in omnibus moventibus ordinatis, virtus ſecundi moventis derivatur a primo; ergo neceſſe eſt

quod

quod omnes rationes gubernationis, quæ ſunt in inferioribus gubernantibus a lege æterna deriventur.

Quæres 4. *Quomodo leges ab æterna derivantur?*

Reſp. Derivantur diverſimode: nam lex divina ab æterna immediate profluit; lex naturalis mediante lumine rationis; lex humana mediante poteſtate principibus communicata.

CAPUT III.

De lege naturali.

Quæres 1. QUid *ſit lex naturalis?*

Reſp. Definitur a D. Thoma, 1. 2. quæſt. 91. art. 2. *Participatio legis æternæ in rationali creatura.*

Dicitur 1. *Participatio legis æternæ*: quia illius eſt fulgor & radius, per quod convenit cum omnibus legibus poſitivis; omnes enim, ſi juſtæ ſint, ab æterna derivantur.

Dicitur 2. *In rationali creatura*: quia ejus menti ab auctore naturæ imprimitur: per quod differt a legibus poſitivis, quarum nullum veſtigium in cordibus noſtris reperitur, cum ſint prorſus extrinſecæ.

Quæres 2. *Quænam pertineant ad legem naturæ.*

Reſpond. Omnia præcepta, ad quæ ex natura rei, & independenter a quacumque lege poſitiva, obligamur: talia ſunt:

1. Univerſaliſſima principia practica cuilibet naturaliter nota, quale eſt iſtud: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

2. Ea præcepta quæ ex primis principiis per facilem & evidentem diſcurſum deducuntur; ſic ex hoc principio: *Quod tibi fieri non vis, alteri*

alteri ne feceris, iſta facile deducuntur: ergo *non eſt furandum*, *non eſt occidendum*, & alia Decalogi præcepta.

3. Ea præcepta quæ ex primis principiis non niſi difficili, nec ſtatim obvio diſcurſu deducuntur: quomodo ex hoc principio *quod tibi fieri non vis*, &c. Concluditur: *Ergo ne divitibus quidem pecunia danda eſt ad uſuram.*

Quæres 3. *Utrum omnes actus virtutum pertineant ad legem naturæ.*

Resp. Pertinent, ſi ſpectentur ſecundum rationem genericam qua ſunt virtuoſi, quia ad eos ſic ſpectatos natura inclinat. Non pertinent vero ſi ſpectentur ſecundum proprias ſuas ſpecies, verb. gr. ſi actus temperantiæ ſpectetur ut exercendus per abſtinentiam a carnibus, ſic non eſt de lege naturali, ſed poſitiva, pendet enim ex voluntate & præcepto Eccleſiæ.

Quæres 4. *Utrum pertineat ad legem naturalem, ut actus virtutis fiat ex motivo honeſto & virtuoſo?*

Resp. affirm. Quia lex naturalis præcipit ut actus hominis ſint ſemper rectæ rationi conſentanei; atqui actus virtutum facti ex motivo pravo non ſunt rectæ rationi conſentanei; ergo.

Quæres 5. *Utrum lex naturalis poſſit mutari?*

Resp. 1. Non poteſt mutari proprie: nam legem mutari proprie, eſt legem deſinere, vel *per ſe ipſam*, cum de juſta fit injuſta, vel per *abrogationem & irritationem*; atqui lex naturalis 1. De juſta non poteſt fieri injuſta, cum nihil præcipiat, niſi quod eſt intrinſece bonum, nihilque prohibeat, niſi quod eſt intrinſece malum. 2. Non poteſt abrogari, neque irritari, cum nihil aliud ſit quam legis æternæ radius, quæ eſt indefectibilis, & tam neceſſaria quam ipſe Deus, cui identificatur.

Resp. 2.

Reſp. 2. Poteſt mutari improprie, nimirum *per ſubſtractionem materiæ;* cum nempe id quod erat materia legis naturalis deſinit eſſe ejuſdem materia: verb. gr. alienum retinere invito Domino, eſt materia legis naturalis prohibentis, at per legitimam præſcriptionem deſinit eſſe materia illius legis, quia deſinit eſſe alienum, proindeque poteſt invito Domino retineri.

Quæres 6. *Utrum ſimplex interpretatio locum habeat in lege naturali?*

Reſp. affirm. Nam ſimplex interpretatio nihil aliud eſt quam ſimplex terminorum legis expoſitio; atqui legis naturalis termini quandoque exponi debent; ſic hoc præceptum: *Non occides:* exponi debet de occiſione facta *auctoritate privata*, vel, *extra caſum juſtæ defenſionis*, cum hi caſus in univerſalitate legis naturalis non comprehendantur.

Quæres 7. *Utrum epikeja locum habeat in lege naturali?*

Reſp. negat. Quia lex naturalis excipit omnes caſus excipiendos; ergo, &c.

Quæres 8. *Utrum Deus poſſit diſpenſare in lege naturali?*

Reſp. Non poteſt, quia non poteſt facere ut quod eſt intrinſece malum, ſit honeſtum & licitum.

Objicies: Deus non ſemel diſpenſavit in lege naturali; & quidem 1. Cum Abrahamo, ut ei liceret filium occidere. 2. Cum Iſraelitis, ut Ægyptiorum vaſa aurea furarentur. 3. Cum Oſea, ut fornicarie ad meretricem accederet. 4. Cum Patriarchis, ut plures haberent uxores. 5. Cum Judæis, ut ſecundas inirent nuptias. 6. Cum iiſdem, ut ab alienis ſumerent uſuras. 7. Cum obſtetricibus Ægyptiacis, ut mentirentur, 8. Cum primis homini-

bus

bus, ut proprias ſorores in uxores ſumerent; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Diſpenſavit, improprie, ſubſtrahendo nimirum materiam legis naturalis, *conc.* proprie, manente nimirum legis naturalis materia, *nego ant.* Et quidem:

1. Deus, ut ſupremus vitæ & necis Dominus, prius dedit Abrahamo jus in vitam filii, quam illi præceptum de eo occidendo imponeret, & ſic ſubſtracta eſt materia legis naturalis, quæ ſolum vetat homicidium auctoritate privata factum.

2. Deus, ut ſupremus rerum omnium Dominus, tranſtulit in Iſraelitas dominium eorum quæ abſtulerunt ab Ægypto; unde quod rapuerunt, non erat alienum, ſed ſuum.

3. Deus non conceſſit Oſee ut accederet ad mulierem meretricem ante matrimonium initum, ſed præcepit, ut eam, quæ prius fornicaria fuerat, duceret in uxorem, & ad eam affectu maritali accederet, in quo nihil eſt alienum a jure naturali.

4. Lex naturalis non prohibet matrimonium unius cum pluribus uxoribus, quando Deus, diſponens de jure matrimonii in bonum univerſi, dominium corporis viri ab una uxore in plures dividit, & impedit incommoda quæ ex uxorum pluralitate ſequi poſſent.

5. Deus non permiſit Judæis, ut ſecundas inirent nuptias, niſi poſt irritatum vinculum prioris matrimonii, quod non eſt amplius contrarium juri naturali.

6. Deus non conceſſit Judæis, ut ab omnibus alienis acciperent uſuras, ſed ab illis quibuſcum juſtum bellum gerebant, quibus non fortunas modo, ſed & vitam eripere potuiſſent; unde quod exigebant, erat ſuum jure belli, non alienum.

7. Deus

7. Deus cum obſtetricibus non diſpenſavit in mendacio; unde vere peccaverunt mentiendo: neque eas remuneravit propter mendacium, ſed propter bonam intentionem, qua volebant prodeſſe Hebræis mulieribus, licet medium fuerit vitioſum.

8. Matrimonium fratris cum ſorore inter filios Adami non fuit prohibitum jure naturæ *compellente neceſſitate* propagandi genus humanum, ait D. Auguſt. *lib. de civit. cap.* 16. cum enim unicus mas, & unica femina a Deo conditi fuiſſent, neceſſe fuit ut ſorores fratribus commiſcerentur.

Inſt. Deus per ſummum Pontificem diſpenſat in voto & juramento; ergo.

Reſp. diſt. ant. Diſpenſat proprie, *nego*; improprie, votum nempe & juramentum relaxando & tollendo, *conc.* Porro, ea relaxatione facta, tollitur obligatio juris naturalis de reddendo promiſſo.

CAPUT IV.

De lege poſitiva divina.

Quæres 1. *Quotuplex eſt lex divina poſitiva?*

Reſp. Duplex, vetus, ſeu moſaica; & nova, ſeu evangelica.

Quæres 2. *An lex vetus fuerit bona?*

Reſp. affirm. Juxta illud Apoſtoli, Roman. 7. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.* Nec mirum, nam fuit regula morum data a Deo; Chriſtus eam executioni mandavit; ergo.

Objicies 1. Ezech. cap. 20. dicit Deus: *Dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent;* ergo.

Reſp. diſt. ant. Dedi permiſſive; *conc.* poſitive, *neg. antec.* Scilicet textus ille debet intelligi de tyrannicis gentilium præceptis colendi Moloch per mactationem primogenitorum, quibus ſubdi Iſraelitas permiſit Deus in pœnam ſuæ idololatriæ, unde addit: *Et pollui eos*, id eſt, permiſi eos pollui, *in muneribus ſuis, cum afferrent omne quod aperit vulvam.*

Inſt. 1. Ex Apoſt. *Rom.* 8. lex culpa non vacavit; ergo.

Reſp. diſt. Non vacavit culpa, ſumpta pro infirmitate & imperfectione, *conc.* pro peccato, quaſi aliquid mali contineret, *nego.* In hoc autem fuit infirma, quod per ſe homines juſtificare non poterat, ſed tantum per fidem in Chriſtum venturum.

Inſt. 2. Rom. 5. dicitur: *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum*; ergo cupiditati fomenta præbuit.

Reſp. nego conſeq. Nam particula, *ut*, non ſignificat cauſam, ſed occaſionem, ita ut ſenſus ſit: *Lex ſubintravit, unde factum eſt* (propter depravationem naturæ nitentis in vetitum) *ut abundaret delictum*: ita interpretatur Cornelius a Lapide.

Objicies 2. *cum Queſnello*: Lex vetus carebat gratia ad ſui obſervationem neceſſaria; ergo.

Reſpond. nego ant. Licet enim gratia per legem non daretur, una tamen cum lege conferebatur: *ſcilicet, fides mediatoris, per quem juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam nos juſtificamur*, ait D. Thomas, 1. 2. quæſt. 98. art. 2. ad 4.

Quæres 3. *Quot genera præceptorum complectebatur lex vetus?*

Reſp. Tria; nempe, *Moralia*, quæ ordinantur

tur ad mores juxta rectæ rationis normam componendos, contineturque in Decalogo. *Caremonialia*, quibus certi ritus ad Dei cultum ordinati præſcribuntur. Tandem *Judicialia*, quibus præſcribitur modus juſtitiæ inter Judæos ſervandæ.

Quæres 4. *Quoſnam obligaverit lex vetus?*

Reſp. Solos obligavit Judæos, quibus ſolis data fuit, Pſalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Tamen gentiles præceptis moralibus fuerunt ſubditi, non tamen vi legis ſcriptæ, ſed vi ſolius legis naturalis.

Quæres 5. *Utrum lex vetus ſit abrogata?*

Reſp. affirm. Nam ex Apoſt. Hebr. 7. *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt ut legis translatio fiat.* Atqui Sacerdotium Aaronicum penitus & abſolute translatum fuit & abrogatum; ergo & lex Moſaica: unde, Apoſtol. *Roman.* 6. dicit abſolute: *Non eſtis ſub lege; ſed ſub gratia?*

Objicies 1. Baruch. 4. dicitur: *Lex quæ eſt in æternum;* ergo.

Reſp. nego conſeq. Eodem enim ſenſu lex dicitur eſſe *in æternum*, quo omnes leges dicuntur perpetuæ; nimirum, 1. Quia ſunt ad longum tempus; 2. Quia in earum promulgatione nullus apponitur determinatus terminus; unde ſemper durant donec abrogentur.

Objicies 2. Tenemur adhuc ſervare præcepta Decalogi; ergo lex vetus non fuit abrogata quoad præcepta moralia.

Reſp. diſt. antec. Tenemur vi legis naturalis & Evangelicæ, *conc.* vi legis Moſaicæ, *nego* Unde nego conſeq.

Quæres 6. *Quandonam lex vetus fuerit abrogata?*

Reſp. 1. Fuit abrogata ſecundum ſe in ipſa

Chriſti morte; nam Apoſtolus, *Hebr.* 7. ait: *Translato Sacerdotio, neceſſe eſt ut & Legis tranſlatio fiat*. Atqui Sacerdotium Aaronicum fuit translatum, & novum conditum, cum Chriſtus novus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, ſeipſum Patri in cruce obtulit, juxta illud Hebr. 10. *Aufert primum* (Sacerdotium) *ut ſequens ſtatuat;* ergo.

Reſp. 2. Non fuit abrogata quoad vim obligandi, niſi in feſto Pentecoſtes; quia non prius deſiit obligare, quam lex nova cœperit obligare, juxta illud Epheſ. 2. *Legem mandatorum decretis* (Evangelicis) *evacuans;* atqui lex nova non cœpit obligare, niſi in die Pentecoſtes, quo primum fuit ſufficienter promulgata; ergo.

Objicies: SS. Patres docent communiter legem veterem in ipſa Chriſti morte mortuam eſſe; ergo tunc deſiit obligare.

Reſp. diſt. ant. Docent mortuam fuiſſe, ſecundum ſe, *conc.* quoad obligationem & effectum, *nego*. Adhuc enim utiliter obſervabatur.

Quæres 7. *Utrum lex vetus, ſtatim atque inutilis ac mortua evaſit, quoad præcepta cæremonialia, evaſerit etiam mortifera*, ita ut non potuerint amplius abſque peccato obſervari?

Reſp. negat. Nam Apoſtoli, pro loco & tempore, œconomiæ cauſa, ſed non ex neceſſitate ſalutis, aliquos ritus cæremoniales uſurparunt. Sic D. Paulus, *Actor.* 16. Timotheum ex matre Judæa natum *circumcidit propter Judæos, qui erant in illis locis*. Item, de conſilio Jacobi & ſeniorum, ſeſe purificavit cum Judæis, & cum illis ingreſſus eſt Templum, juxta legis præſcriptum, &c. ergo.

Objicies: Apoſtoli ficte tantum & ſimulatorie uſurparunt legalia; ergo, &c.

Reſpond. nego ant. Nam illa ſimulatio fuiſſet verum mendacium, cultus ſuperſtitioſus, &

ſcan-

ſcandalum; alios enim ſuo exemplo induxiſſent ad peccandum; atqui nunquam illa licita eſſe poſſunt; ergo.

Inſt. Poſt Evangelium promulgatum, ritus legales erant falſi; ergo Apoſtoli non potuerunt illos ſerio obſervare.

Reſp. nego ant. Neque enim Apoſtoli ritus legales uſurpabant, ut Chriſtum præfigurarent; ſic enim fuiſſent falſi; ſed eos duntaxat uſurpabant, ut Sinagoga cum honore ſepeliretur, quod erat maxime licitum.

Quæres 8. *Quo præciſe tempore lex vetus evaſerit mortifera?*

Reſpond. Evaſit mortifera quadrageſimo circiter poſt Chriſti mortem anno, cum everſum fuit a Tito & Veſpaſiano Imperatoribus Romanis, Templum Jeroſolymitanum, quia tunc non erat amplius neceſſarium deferre honorem Sinagogæ penitus ſepultæ.

Quæres 9. *Quid ſit lex nova?*

Reſpond. Deſcribi poteſt, *Lex per ſe juſtificativa, a Chriſto condita, ab Apoſtolis die Pentecoſtes promulgata, & ad finem mundi duratura.*

Quæres 10. *Utrum lex Evangelica ſit vera lex?*

Reſp. affirm. Nam continet præcepta ad bonum Eccleſiæ ordinata, de quibus Chriſtus, *Joann.* 14. ait: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me.* Unde Chriſtus, *Iſaiæ* 33. dicitur, *Dominus legifer noſter.*

Objicies 1. Rom. 6. dicitur: *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Et 1. ad Timoth. 1. *Lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis:* ergo, &c.

Reſpond. nego conſeq. Primus enim textus intelligitur de lege Moſaica, quæ erat nuda lex, præcipiens, ſed non juvans interius ad præſtandum quod jubebat . . . . Secundus textus

intelligitur de lege pœnas intentante, quæ non eſt poſita juſto, qui ſponte facit bonum quod lex imperat.

Quæres 11. *Quotuplicis generis ſint præcepta novæ legis?*

Reſp. Triplicis; ſcilicet, 1. *Moralia*, quæ licet non ſint a Chriſto inſtituta, ab eo tamen ſunt confirmata, explicita, & ab erroribus, quibus ex malitia hominum obvoluta fuerant, vindicata. 2. *Præcepta fidei*, quæ ſunt a Chriſto clarius explicata, ita ut explicite teneamur credere, quæ in lege veteri ſolum implicite credebantur. 3. *Præcepta ſacramentalia*, quæ ſunt a Chriſto de novo inſtituta, ut ſint loco veterum quæ ſunt ab eo abrogata.

CAPUT V.

De lege humana in genere.

Quæres 1. **Q**Uid ſit lex humana?

Reſp. Eſt, *rationis ordinatio ſtabilis, ad bonum publicum condita & promulgata ab homine qui curam communitatis politicæ aut Eccleſiaſticæ habet, cum intentione obligandi ſubditos.*

Quæres 2. *Quinam poſſint ferre leges?*

Reſp. Poſſunt omnes, qui habent curam communitatis perfectæ, id eſt, quæ ſibi ſufficit ad aſſequendum finem, ad quem inſtituta eſt.

Hinc 1. omnes principes ſupremi, & regiones quæ ſunt ſui juris, poſſunt condere leges civiles pro ſuis ſubditis.

Hinc 2. Poſſunt condere leges eccleſiaſticas S. Pontifex & Concil. Oecumenicum, pro tota Eccleſia, Concilia nationalia, pro tota natione, Provincialia, pro Provincia; Epiſcopi, pro ſua Diœceſi, Legati ſummi Pontificis, pro territorio ſuæ Legationis, &c.

Quæ-

Quæres 3. *Quænam ſit materia legum humanarum?*

Reſpond. Materia legum civilium, eſt bonum communitatis temporale; propria vero legis canonicæ materia, eſt bonum communitatis ſpirituale.

Quæres 4. *Utrum lex civilis poſſit præcipere actus internos?*

Reſp. 1. Poteſt indirecte præcipere actus internos, qui per ſe conjuncti ſunt cum actibus externis: ſic poteſt præcipere juramenti præſtationem, bonorum venditionem; atqui neutrum poteſt ſubſiſtere abſque interno voluntatis conſenſu; ergo, &c. 2. Non poteſt præcipere actus mere internos, quia non ſunt neceſſarii ad finem ad quem inſtituta eſt, nempe ad conſervandam pacem & tranquillitatem reipublicæ.

Quæres 5. *Utrum lex Eccleſiaſtica poſſit præcipere actus internos?*

Reſp. Poteſt præcipere 1. actus internos qui *per ſe* conjuncti ſunt cum externis, unde Innocentius XI. hanc damnavit propoſ. *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam dominici corporis manducationem.* 2. Poteſt præcipere actus internos, qui *per accidens* conjuncti ſunt cum externis: ſic præcipit ut fideles Deum exorent ad pacem inter chriſtianos principes obtinendam; atqui hæc intentio eſt actus internus; ergo, &c. 3. Probabilius poteſt præcipere actus mere internos, quia maxime conducunt ad ſalutem æternam, quæ eſt finis proprius legis eccleſiaſticæ. Hinc Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. exponens doctrinam de juſtificatione, *diſtrictius inhibet, ne deinceps audeat quiſquam aliter credere, prædicare, aut docere*, &c.

Objicies: Nec poteſtas eccleſiaſtica, nec ci-

vilis judicant de actibus internis; ergo nec poſſunt eos præcipere.

Reſp. diſt. conſeq. Non poſſunt quoad vim coactivam, *conc.* quoad vim directivam, *nego conſeq.* Ut ergo lex poſſit aliquid præcipere, ſufficit ut homines ad id quod juſtum eſt poſſit dirigere, obligando eos ſub culpa a Deo punienda. Deinde Eccleſia non judicat de actibus exterioribus occultis, & tamen eos præcipit.

Quæres 6. *Utrum modus legis cadat ſub præcepto? ſeu quomodo debet impleri opus præceptum ut ſatisfiat legi?*

Reſp. Debet impleri, 1. *Voluntarie*, quia præcipitur actus humanus. 2. *Cum intentione*, ſaltem interpretativa, *adimplendæ legis*, quia actus hominis ultra intentionem ejus non operantur. 3. *Ex fine honeſto*, ſi ſit lex eccleſiaſtica, quia non præcipit niſi actus ad æternam ſalutem conducentes; ergo debent fieri propter finem honeſtum.

Quæres 7. *Utrum finis legis extrinſecus, ſeu a Legislatore intentus, cadat ſub præcepto?*

Reſp. Cadit, ſi præcipiatur a Legislatore, non cadit ſi non præcipiatur.

Quæres 8. *Utrum leges humanæ, etiam pontificiæ, non ante obligent, quam in ſingulis provinciis promulgatæ fuerint?*

Reſpond. Non ante obligant; id enim pro legibus civibus declaratur authentica, *ut factæ novæ conſtitutiones*: & pro Eccleſiaſticis conſtat ex Eccleſiæ praxi, quæ ſemper ſuarum legum promulgationem ſumma ſollicitudine fieri curavit. Unde etiam Romæ valida habentur matrimonia clandeſtina in iis locis contracta, ubi Concilium Tridentinum nondum eſt promulgatum.

Quæres 9. *Utrum requiratur conſenſus, ſeu acce-*

acceptatio populi, ut lex humana obliget?

Reſp. negat. Nam lex humana a Legislatore abſoluto abſolute lata ad ſui acceptionem obligat, juxta illud Apoſt. Rom. 13. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Unde hæc prop. *Populus non peccat etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem a principe promulgatam*, damnata eſt ab Alexandro VII. & Clero Gallicano anno 1700.

Quæres 10. *Quinam legibus humanis teneatur?*

Reſpond. 1. Certum eſt, quod omnes & ſoli ſubditi, rationis uſum habentes, ſubduntur legibus humanis: quia poteſtas legislativa ſubjectionem in aliis eſſentialiter connotat.... Hinc Legislator non tenetur ſuis, vel prædeceſſorum ſuorum legibus, neque quoad vim directivam, neque quoad vim coactivam: ſed tenetur tantum vi legis naturalis dictantis ut ſuperior ſuis ſubditis præeat exemplo: unde illa utriuſque juris axiomata: *Juſtum eſt principem legibus obtemperare ſuis*, cap. juſtum, diſt. 9. *digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri*, lege 4. Cod. de legibus.

Objicies: Vis directiva non neceſſario requirit ſuperioritatem in eum quem obligat; ergo Legislator tenetur legibus ſuis quoad vim directivam.

Reſpond. nego antec. Nam lex non dirigeret niſi per modum regulæ conſulentis, non obligantis.

Quæres 11. *Utrum Clerici, peregrini, advenæ, & vagi teneantur legibus?*

Reſp. 1. Clerici, ſalva eorum immunitate, tenentur legibus civilibus: quia ſunt partes communitatis politicæ, de quibus, ſicut de aliis dixit Apoſtolus, Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.*

Reſp. 2. Peregrini & advenæ non tenentur quidem patriis legibus, niſi abſint in fraudem, quia Legislatoris juriſdictio ita eſt affixa proprio territorio, ut extra illud non extendatur; ſed ipſi, ſicut & vagi, tenentur legibus locorum in quibus verſantur, vel per quæ tranſeunt: ibi enim lex ligat, ubi perſona forum ſortitur.

Quæres 12. *Utrum leges humanæ obligent in conſcientia?*

Reſp. Obligant, & quidem 1. Canonicæ, Matth. 18. *Quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, id eſt, publicus peccator. 2. Civiles, juxta illud, Rom. 13. *Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.*

Objicies: Poteſtas civilis eſt mere temporalis; ergo non obligat in foro conſcientiæ.

Reſp. diſt. ant. Eſt mere temporalis ratione objecti, nempe verſatur tantum circa res fluxæ ac labentis naturæ, *conced.* ratione debiti quod imponit, *nego antec.* Eſt enim poteſtas quæ a Dei poteſtate emanat, juxta illud Apoſtoli: *Non eſt poteſtas niſi a Deo.*

Quæres 13. *Quot requirantur, ut lex humana obliget ſub mortali?*

Reſp. Duo, 1. Ut materia ſit gravis, alias lex eſſet injuſta. 2. Ut intentio Legislatoris ſit graviter obligandi, quia legis humanæ obligatio tota pendet a libera Legislatoris voluntate. Dignoſcitur autem Legislatorem velle obligare ſub mortali. 1. Ex gravitate verborum quibus utitur, ut cum dicitur: *Sub indignatione Dei. In virtute ſanctæ obedientiæ*, &c. 2. Ex gravitate pœnæ quæ tranſgreſſoribus imponitur, qualis eſt pœna excommunicationis, mortis, confiſcationis bonorum, &c.

Quæ-

Quæres. 14. *Utrum lex humana obliget cum gravi periculo, etiam mortis?*

Resp. Non obligat ordinarie, quia nemo tenetur ad id quod eſt moraliter impoſſibile; obligat tamen aliquando, nempe 1. Cum id exigit reipublicæ conſervatio. 2. Cum violatio legis cederet in contemptum fidei, vel legitimæ auctoritatis, quia talis contemptus eſt intrinſece malus. 3. Cum lex violari non poteſt ſine ſcandalo.

Quæres. 15. *An peccet contra legem, qui non tollit, aut qui ponit impedimentum executioni legis?*

Resp. Peccat, quia qui præcipit finem, præcipit etiam media neceſſaria ad aſſecutionem illius finis: niſi tamen illud impedimentum ſit vel neceſſarium, vel tam utile, ut melius ſit illud non tolli, quam legem ſervari; qualis eſt neceſſitas opitulandi infirmo tempore Miſſæ: certum eſt enim legem humanam non adeo ſtricte obligare, ut ad eam implendam tolli debeant impedimenta neceſſaria, aut maxime utilia.

Quæres 16. *An qui non poteſt totum opus præceptum implere, teneatur ad partem quam poteſt?*

Resp. Tenetur ſi præceptum ſit de re diviſibili: unde Innoc. XI. damnavit hanc propoſ. *Qui non poteſt recitare matutinum & laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad ſe minorem.*

Quæres. 17. *Utrum eodem tempore duobus præceptis ſatisfieri poſſit per plures actus?*

Resp. Poteſt, modo unus actus non impediat alium, nec aliter mentem ſuam expreſſerit Legislator. Ratio eſt, quia facit id quod lege præcipitur. Sic qui tempore Miſſæ recitat Horas canonicas ſatisfacit utrique præcepto;

ſed non ſatisfacit qui tempore Miſſæ confitetur peccata, quia confeſſio impedit attentionem quæ auditioni Miſſæ debetur: nam Eccleſia præcipit aſſiſtere Miſſæ per modum orationis; ſed qui confitetur, non aſſiſtit per modum orantis; ergo, &c.

Quæres 18. *An per unum eundemque actum, poſſint impleri plura præcepta?*

Reſp. Poſſunt, quoties ſuperior prudenter exiſtimatur id concedere, quia obligatio legis non excedit voluntatem Legislatoris: ſic qui tenetur ad Horas canonicas ratione ordinis &, beneficii, unica recitatione utrique obligationi ſatisfacit.

Quæres 19. *Quænam ſit differentia inter obligationem legis affirmativæ & negativæ?*

Reſp. In hoc differunt, quod lex affirmativa obliget ſemper, ſed non pro ſemper; econtra lex negativa obligat ſemper, & pro ſemper: ſic nullo tempore licitum eſt furari, quia præceptum, *non furaberis*, eſt negativum.

CAPUT VI.

De variis ſpeciebus legum humanarum.

Quæres: QUotuplex ſit lex humana?

Reſp. Duplex, nempe ſcripta, & non ſcripta, ſeu conſuetudinaria. Et utraque, vel eſt mere præceptiva aut prohibitiva, vel pœnalis, vel favorabilis, vel irritans. De mere præceptiva vel prohibitiva huc uſque diſſeruimus, reſtat agendum 1. de lege ſcripta, & conſuetudinaria; 2. de lege pœnali; 3. de lege favorabili; 4. de lege irritante.

§. I.

§. I. *De lege ſcripta & conſuetudinaria.*

Quæres 1. *Quotuplex ſit lex ſcripta?*

Reſp. Duplex, *civilis*, quæ jus civile, & *eccleſiaſtica*, quæ jus Canonicum appellatur.

Quæres 2. *Quid ſit jus civile?*

Reſp. Eſt corpus juris quod conſtat quinque partibus, nimirum inſtitutionibus, digeſto, codice, novellis, ſeu authenticis, & libro feudorum.

Quæres 3. *Quid ſit jus canonicum?*

Reſp. Definitur: *Jus quod civium*, (chriſtianorum ſcilicet) *actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit*. Conſtat ſex partibus, nempe decreto, decretalibus, ſexto decretalium, clementinis, extravagantibus Joann. XXII. & extravagantibus communibus.

Quæres 4. *Quid ſit conſuetudo?*

Reſp. Definitur a D. Iſidoro: *Jus quoddam, moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur cum deficit lex*.

Dicitur 1. *Moribus inſtitutum*: id eſt frequentatione actuum ejuſdem rationis, a majori & ſaniori parte communitatis exercitorum, cum animo ſe obligandi.

Dicitur 2. *Cum deficit lex*: id eſt, cum circa aliquid lex non eſt lata, vel cum eſt inutilis, vel cum eſt dubia aut obſcura.

Quæres 5. *Quotuplex ſit conſuetudo?*

Reſp. Triplex, nimirum, alia eſt *ſecundum legem*, quæ interpretatur legem, aut quæ eſt legis exiſtentis executio. Alia eſt *præter legem*, quæ nec lege præcipitur, nec legi adverſatur. Alia *contra legem*, quæ legi adverſatur: talis eſt conſuetudo, quæ viget in quibuſdam Diœceſibus, veſcendi carnibus ſingulis ſabbatis a Nativitate Domini uſque ad feſtum Purificationis incluſive.

Quæ-

Quæres 6. *Quot ſint effectus conſuetudinis?*

Reſp. Tres; nempe, 1. legem dubiam interpretari; 2. legem novam inducere; 3. veterem abrogare.

Quæres 7. *Quot requirantur conditiones, ut conſuetudo vim legis habeat, aut legem abroget?*

Reſp. Requiritur, 1. *Ut ſit honeſta, & bono communi utilis*; alias eſſet corruptela. 2. *Ut adſit conſenſus Legislatoris, ſaltem tacitus*: id eſt, ut non contradicat, cum facile contradicere poſſet. 3. *Ut ſit legitime præſcripta*, id eſt, continuata toto tempore ad præſcribendum requiſito, quod eſt ſpatium 10. annorum pro legibus civilibus, & 40. annorum pro legibus Eccleſiaſticis: ratio eſt, quia leges ſunt jura; atqui ad præſcribenda jura civilia requiruntur 10. anni, & ad præſcribenda jura Eccleſiaſtica requiruntur 40. anni; ergo, &c.

§. II. *De lege favorabili, ſeu de privilegiis.*

Quæres 1. *Quid ſit privilegium?*

Reſp. Definitur ab Innocentio III. *Lex privata, aliquid ſpeciale concedens.* 1. Eſt *lex*, reſpectu communitatis, quæ tenetur non impedire uſum privilegii. 2. Eſt *privata*, quia, licet ejus motivum formale ſit bonum commune, tamen objectum ejus materiale reſpicit bonum alicujus, vel aliquorum particularium. 3. *Aliquid ſpeciale indulget*, præter, vel contra jus commune.

Quæres 2. *Quomodo dividatur privilegium?*

Reſp. Dividitur 1. In *reale*, quod immediate conceditur alicui rei; v. g. loco, dignitati, &c. hoc tranſit ad ſucceſſores: & *perſonale*, quod immediate conceditur perſonæ ratione ſui: hoc extinguitur cum perſona.

Divi-

Dividitur 2. In *favorabile*, quod privilegiato confert commodum, nullique affert incommodum; unde eſt latæ interpretationis: & *odioſum*, quod uni confert commodum, & alteri præjudicium; talis eſt exemptio a tributis, quæ alios onerat: unde eſt ſtrictæ interpretationis, quia *odia ſunt reſtringenda*. Porro privilegium datum *motu proprio*, ſemper cenſetur favorabile.

Quæres 3. *Utrum quis privilegio contra legem conceſſo uti poſſit extra territorium concedentis?*

Reſp. Non poteſt, ſi privilegium ſit locale, quia annexum eſt territorio concedentis; poteſt vero, ſi ſit perſonale, quia afficit perſonam, eamque ſequitur quocumque eat.

Quæres 4. *Quot modis privilegium amittatur?*

Reſpond. Amittitur 1. Lapſu temporis, ſi ſit temporale. 2. Per liberam renuntiationem privilegiati. 3. Per non uſum ſpatio ad præſcriptionem ſufficiente, ſi alios gravet, quia eſt tacita illius renuntiatio. 4. Per uſum privilegio formaliter contrarium, ſi gravet alios, eſt enim præſumpta renuntiatio. 5. Per abuſum, poſt ſententiam Judicis declaratoriam. 6. Per revocationem concedentis, vel ejus ſucceſſoris, privilegiato ſignificatam.

§. III. *De lege pœnali.*

Quæres 1. *Quid ſit lex pœnalis?*

Reſp. Eſt ea, quæ pœnam tranſgreſſoribus expreſſe conſtituit. Alia eſt *pure pœnalis*, quæ præcipit tantum disjunctive, vel ut fiat aliquid, vel ut certa pœna ſubeatur: unde unicum continet præceptum disjunctivum. Et alia *pœnalis mixta*, quæ præcipit aliquid faciendum vel

vel omittendum, & ſimul pœnam tranſgreſſoribus imponit. Unde duo præcepta continet, alterum abſolutum faciendi vel omittendi quod præcipitur aut prohibetur; alterum ſubeundæ pœnæ, ſi non fiat, aut omittatur quod præcipitur, aut prohibetur.

Quæres 2. *Utrum dentur leges pure pœnales?*

Reſp. Poſſunt dari: nam lex vim habet ex voluntate Legiſlatoris; ergo ſi Legiſlator nolit obligare ſubditos, niſi ad pœnam, ſubditi inobedientes non incurrent niſi reatum pœnæ.

Objicies: Ex D. Auguſt. *Omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt;* ergo nulla pœna poteſt juſte imponi abſque culpa.

Reſpond. diſt. ant. Omnis pœna proprie dicta, *conc.* impropriè dicta, *nego antec.* Pœna proprie dicta, eſt malum propter culpam inflictum: pœna impropriè dicta, eſt malum alia de cauſa impoſitum, puta ut illius metu impellamur ad faciendum aliquid, vel ut fiamus in poſterum cautiores ad vitandos communes defectus: talis eſt pœna, quæ per leges pure pœnales imponitur, quæ ſupponit pœnam juridicam, ſed non theologicam.

Quæres 3. *Utrum leges pœnales mixtæ obligent in conſcientia ad actum præceptum?*

Reſp. affirm. Nam lex præceptiva, ſeu quæ continet præceptum abſolutum abſque impoſitione pœnæ, obligat in conſcientia; ergo & lex præceptiva cum impoſitione pœnæ tranſgreſſoribus: nam impoſitio pœnæ non tollit obligationem ad culpam, ſed potius indicat & confirmat illam.

Quæres 4. *Utrum leges pœnales obligent ad ſubeundam pœnam, ante ſententiam Judicis declaratoriam?*

Reſp. Pœnæ, quæ executioni mandari poſſunt abſque actione rei, ut cenſuræ; vel cum

actio-

actione rei non valde difficili, ſuum ſortiuntur effectum ante ſententiam Judicis declaratoriam, quia leges, illas pœnas ipſo facto imponentes, ſunt moraliter poſſibiles. Econtra, ſi non poſſint executioni mandari ſine actione rei valde difficili, non ſortiuntur ſuum effectum ante ſententiam declaratoriam Judicis: quia ſunt moraliter impoſſibiles.

§. IV. *De lege irritante.*

Quæres 1. *Quid ſit lex irritans?*

Reſp. Eſt ea quæ actum aliquem, cui deſunt aliquæ conditiones, nullum & invalidum facit.

Quæres 2. *Quotuplex ſit irritatio?*

Reſp. Duplex, nempe, *pœnalis*, quæ fit in pœnam peccati; & *legalis*, quæ irritat actum ob bonum commune: talis eſt irritatio matrimoniorum clandeſtinorum, quæ fit propter periculum fraudis, &c.

Quæres 3. *An ignorantia invincibilis legis irritantis impediat irritationem?*

Reſp. Impedit irritationem pœnalem, quia pœna proprie dicta neceſſario ſupponit culpam; ſed non impedit irritationem legalem, quia non ſupponit culpam, ſed fundatur in præſumptione periculi fraudis, & aliorum incommodorum, atqui in actu, contra legem irritantem legalem celebrato, ſemper exiſtit periculum fraudis, &c. ergo &c.

CAPUT VII.

De ceſſatione legum humanarum.

Quæres 1. QUot modis ceſſare poſſit lex humana?

Reſp. Duobus, nempe 1. *ab intrinſeco*, quando.

do, ſcilicet, propter mutationem materiæ aut circumſtantiarum, fit inutilis bono communi. Item quando ceſſat, reſpectu totius communitatis, cauſa adæquata propter quam lex fuit lata, quia Legislator non cenſetur amplius velle obligare. 2. *Ceſſat ab extrinſeco*, per interpretationem, diſpenſationem, derogationem, abrogationem, & irritationem.

Quæres 2. *Quotuplex ſit interpretatio legis?*

Reſp. Duplex, nempe, *ſimplex*, &, *per epikejam*.

Interpretatio ſimplex, eſt terminorum legis, quæ obſcuritatem patiuntur, ſimplex expoſitio. Triplex eſt, *authentica*, quæ fit ab ipſo Legislatore; *uſualis*, quæ petitur ex conſuetudine; & *doctrinalis*, quæ fit per explicationem Doctorum.

Interpretatio per epikejam, eſt benigna & rationabilis declaratio, qua decernitur caſum aliquem particularem, ob ſuas circumſtantias, non comprehendi lege, quamvis lata per verba generalia.

Quæres 3. *Quandonam licitum ſit uti epikeja?*

Reſp. 1. Quando obſervatio legis fit peccaminoſa. 2. Quando cedit in damnum reipublicæ. 3. Quando adverſatur legi ſuperioris.

Quæres 4. *Quid ſit diſpenſatio?*

Reſp. Eſt relaxatio legis, legitima auctoritate ad tempus facta, in aliquo caſu, in quo alioqui lex obligaret.

Quæres 3. *Utrum diſpenſatio conceſſa ſine cauſa ſit licita?*

Reſp. Eſſe illicitam, quia non eſt in ædificationem, ſed in deſtructionem; pacem enim turbat, tranſgreſſionibus viam aperit, Superiorum auctoritatem deſpectui exponit, eſtque vitium acceptionis perſonarum.

Quæ-

Quæres 6. *An valida ſit diſpenſatio conceſſa ſine cauſa?*

Reſp. Eſt valida, ſi concedatur ab ipſo Legislatore, quia ſi lex ab eo pendet in fieri, ita etiam in conſervari: eſt autem invalida, ſi concedatur a delegato, quia ſuperior non cenſetur ſuam delegaſſe auctoritatem peccando; ſed non poteſt concedere poteſtatem diſpenſandi ſine cauſa, qui peccet; ergo, &c.

Objicies: Diſpenſatio a voto ſine cauſa eſt invalida; ergo a pari, &c.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod obligatio voti ſit juris divini; unde a voto non diſpenſat homo, niſi ut delegatus a Deo, qui non vult votum remitti abſque juſta cauſa; at obligatio legis humanæ tota pendet a libera voluntate Legislatoris, qui poteſt eam, etiam ſine cauſa, relaxare.

Quæres 7. *An diſpenſatio ſubreptitia*, quæ obtinetur per ſubticentiam veri, *vel obreptitia*, quæ obtinetur per narrationem falſi, *ſit valida?*

Reſp. Eſt prorſus invalida, quia ſuperior in hoc caſu non intendit diſpenſare, vel ſaltem cenſetur ſolum diſpenſare ſub hac conditione. *Si res ita eſt*, aut, *ſi preces veritate nitantur.*

Quæres 8. *Quid ſint irritatio, abrogatio, & derogatio legis?*

Reſp. 1. *Irritatio*, Eſt legis nondum perfecte obligantis abolitio, facta ab eo cujus eſt illam habere ratam; ſic Papa quando non approbat Concilia, ea irritat.

Abrogatio, eſt legis totius perfecte obligantis abolitio, vel per revocationem, vel per contrariam conſuetudinem, vel per legem poſteriorem univerſalem priori legi item univerſali repugnantem.

Derogatio, eſt legis adhuc vigentis ſecundum ali-

aliquam ſui partem imminutio, verbi gratia cum tollitur dies feſtus manente obligatione Miſſæ.

TRACTATUS X.

DE PRÆCIPUIS ECCLESIÆ PRÆCEPTIS.

Quæres: *Quot ſint præcepta Eccleſiæ?*

Reſp. Sunt ſex, 1. eſt de auditione Miſſæ diebus dominicis & feſtivis. 2. De annua Confeſſione. 3. De Communione Paſchali. 4. De celebratione Feſtorum. 5. De jejunio quatuor Temporum, Vigiliarum, & Quadrageſimæ, 6. De abſtinentia a carnibus feria ſexta & ſabbato obſervanda. De præceptis annuæ Confeſſionis & Communionis Paſchalis opportunius agemus in Diſſertatione de Euchariſtia & Pœnitentia; unde hic reſtat de aliis quatuor agendum.

§. I. *De præcepto auditionis Miſſæ.*

Quæres 1. *An extet præceptum Eccleſiaſticum audiendæ Miſſæ diebus dominicis & feſtivis?*

Reſp. Extare conſtat, tum ex praxi Eccleſiæ, tum ex Concilio Agathenſi, can. 47. *Miſſas die dominico a ſæcularibus audiri ſpeciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis populus egredi non præſumat; qui ſi fecerint, ab Epiſcopo publice confundantur.* Gravis autem pœna, gravem ſupponit culpam, a qua excuſare poteſt levitas materiæ .... Porro Miſſa ab eodem Sacerdote celebrata debet audiri, ut defini-

finivit Innocent. XI. & Clerus Gallicanus in damnatione hujus propoſit. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor ſimul a diverſis celebrantibus, audit.*

Quæres 2. *Quænam diſpoſitiones requirantur ad Miſſam debite audiendam?*

Reſp. 1. *Ex parte corporis*, requiritur modeſta conformatio in vultu & habitu.

Reſp. 2. *Ex parte animæ*, requiritur 1. *Moralis & humana præſentia*, ita ut, ſaltem aliquo ſenſu, percipi poſſit quod Miſſa celebretur. 2. *Intentio implendi præcepti*, ſaltem interpretativa, quæ nempe contineatur in voluntate Miſſam audiendi, quæ non excludat intentionem implendi præceptum Eccleſiæ. 3. *Pia ad Deum, divinaque myſteria attentio & affectio*, quia, *in ſpiritu & veritate oportet* Deum *adorare* . . . Porro ſufficit ut illa affectio profluat ex motivo cujuslibet virtutis chriſtianæ, nec requiritur ut oriatur ex charitate perfecta, ſive habituali, ſive actuali, alias ſoli juſti ad audiendam Miſſam admittendi eſſent, & excludendi peccatores, quod falſum eſt, & damnatum in Queſnello, propoſ. 89.

Quæres 3. *Quænam ſint cauſæ excuſantes ab auditione Miſſæ?*

Reſp. Generatim ſunt duæ, ſcilicet impotentia phyſica & moralis: quia nemo legem humanam, ſive phyſice, ſive moraliter impoſſibilem, obſervare tenetur.

Quæres 4. *Utrum qui Miſſam audire nequit, teneatur per aliud pium opus, vel per preces illam ſupplere?*

Reſp. 1. Tenetur diebus Dominicis, quia aliquem hebdomadæ diem cultui divino conſecrare, præceptum eſt juris naturalis & divini, quod non poteſt immutare audiendi ſacri impedimentum.

Reſp.

Reſp. 2. Probabilius etiam tenetur diebus feſtivis, tum quia diſtricte ab Eccleſia præcipitur, ut dies feſtus, quantum moraliter fieri poteſt, ſanctificetur; ergo ſi per indictam Miſſæ auditionem nequeat ſanctificari, per aliud pium opus ſanctificari debet. Tum quia hæc eſt praxis fidelium timoratorum, & confeſſariorum qui hanc praxim tanquam obligatoriam inculcant pœnitentibus.

§. II. *De præcepto ſanctificationis feſtorum.*

Quæres 1. *Quid intelligatur per ſanctificationem feſti?*

Reſpond. Intelligitur, *religioſa cujuſdam diei determinatæ ad Deum colendum obſervatio.* Obligat ſub mortali, ut conſtat tum ex omnium fidelium ſenſu, tum ex damnatione hujus prop. ab. Innocent. XI. *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.*

Quæres 2. *Quænam ſint opera diebus feſti exercenda?*

Reſp. Præter Miſſam, debent exerceri opera religionis & charitatis, quod ſic exponit Concilium Aquenſe, ann. 1585. *Doceantur populi.... præſertim ut præter Miſſam, quæ ſine graviſſimi peccati pœna prætermitti non poteſt: præter veſperas item, quibus fidelem quemque, niſi impeditum, intereſſe maxime convenit, in doctrinæ chriſtianæ redimentis omnes, tam viri quam feminæ, verſentur.*

Hinc, qui veſperis non intereſt, juxta Div. Anton. committit peccatum veniale, niſi ſuppleat per alia pietatis opera, quia hæc aſſiſtentia, licet ſæpius ab Eccleſia commendata tanquam medium cultui divino proportionatum, nullibi tamen videtur diſtricte præcepta.

Quæ-

Quæres 3. *Utrum opera ſervilia ſint prohibita diebus Dominicis & Feſtis?*

Reſp. affirm. Ut tradit D. Auguſt. *Epiſt.* 36. dicens: *Vacatio a ſervilibus operibus imperatur, unde illud eſt, quod lapidare Deus hominem juſſit, qui ligna collegerat.* Accedit communis praxis Eccleſiæ, & Doctorum conſenſus. Porro hoc præceptum obligat ſub mortali ex genere ſuo, & ideo a mortali excuſat materiæ parvitas: immo excuſat a toto peccato, ſi opera non ſint ita ſervilia, quin conveniant nobilibus perinde ac ſervis: ut ſunt piſcatio, venatio, &c. Modo iſtis operibus ita ſerviatur, ut nihil eorum prætermittatur, quæ ſunt ad piam Feſtorum celebrationem neceſſaria.

Quæres 4. *Quanam opera, non ſervilia, diebus Dominicis & Feſtivis, prohibeantur a jure?*

Reſp. Prohibentur, 1. *Placitum*, id eſt, omnis actus judicialis qui fit cum ſtrepitu. 2. *Juramentum*, enim extrajudiciale, *puta in inſtrumento contractus*, ait gloſſa. 3. *Mercatus*, id eſt, nundinæ, & omnes actus mercandi, qui fiunt maxime cum inſtrumento publico. Ratio prohibitionis eſt, quia illa omnia retrahunt a cultu divino.

Porro, in opere diebus Feſtis prohibito materiæ gravitas dijudicanda eſt judicio prudentis viri, cum ex duobus hominibus eidem labori per tempus unius horæ vacantibus, unus magis quam alter divertatur a cultu divino, & aliis pietatis operibus.

Quæres 5. *Quanam cauſa excuſant ab obligatione omittendi opera diebus Feſtis prohibita?*

Reſpond. Sunt quinque, nempe. 1. *Conſuetudo legitime introducta:* ſic permittuntur emptiones & venditiones rerum parvi momenti clauſa officina . . . 2. *Pietas erga Deum*, ſic licet altaria inſtruere, templa ornare, &c. . . . .

3. *Cha-*

3. *Charitas erga proximum*. Sic licet medicamenta parare infirmis tunc egentibus . . . .
4. *Utilitas publica*, ſic licet in ortu, aut adventu principis theatra perficere, &c. . . .
5. *Neceſſitas*, propria, vel aliena, ſpiritualis vel corporalis, quæ præveniri non potuit, dum ſcilicet ſine gravi damno opus aliquod omitti, aut differri nequit, nam *ſabbatum propter hominem factum eſt, non homo propter ſabbatum*, ait Chriſtus Marci 2.

Quæres 6. *Utrum per quodvis peccatum mortale, graviter violetur præceptum de ſanctificatione Feſtorum, ita ut circumſtantia Feſti addat novam ſpeciem malitiæ mortalis contra religionem, in confeſſione exprimendam?*

Reſp. Contra recentiores affirmat tota venerabilis antiquitas, DD. Auguſt. Thomas, Bonaventura, Antoninus, cujus hæc ſunt verba: *Peccatum mortale commiſſum die Feſto, eſt multo gravius, quam alia die. Nam ultra propriam deformitatem, habet ſpecialem deformitatem ex illa circumſtantia temporis ſacri, qua feſtum violatur; unde talis, ut dicit Nicolaus de Lyra, non ſolum agit contra unum præceptum, ſcilicet:* non mœchaberis: *aut illud:* non furtum facies: *ſed etiam contra illud de ſanctificatione ſabbati*. Eſt ergo doctrina a confeſſariis fideliter tenenda & vivide practicanda.

§. III. *De præceptis jejunii & abſtinentiæ.*

Quæres 1. *Quid ſit jejunium Eccleſiaſticum?*

Reſpond. Eſt, *abſtinentia a quibuſdam cibis, cum unica in die refectione, hora competenti ſumenda.*

Dicitur 1. *A quibuſdam cibis:* nempe. 1. *A carnibus animalium*, quæ a piſcibus vere diſtinguuntur, & ab eis quæ ad piſces reducuntur, ut

ut ſunt ranæ, gallinæ aquaticæ, lutræ, &c. 2. *Ab aliis cibis Eccleſiarum particularium conſuetudine prohibitis*, ut ſunt, ova, & laticinia.

Dicitur 2. *Cum unica refectione in die:* quæ debet eſſe ita continua, ut non ſit moraliter interrupta, alias non una, ſed multiplex eſſet refectio. Tamen huic refectioni, ex conſuetudine nunc temporis ubique recepta, additur veſpertina collatiuncula, in qua iis ſolum cibis uti licitum eſt, qui ipſa conſuetudine ſunt approbati, *cujuſmodi*, in his regionibus, *ſunt, uvæ, nuces, poma, & alia ex ſaccaro condita, immo & aliquid butyri, vel caſei, ubi ita conſuetudo obtinuit*, ait Sylvius.

Dicitur 3. *Hora competenti ſumenda*, nempe circa meridiem, ut fert uſus ab Eccleſia receptus: tamen propter juſtam cauſam, poteſt circa meridiem ſumi collatiuncula, & cœna differri ad veſperam, quia illa inverſio eſt tantum variatio circumſtantiæ jejunio non ſubſtantialis; ergo ex juſta cauſa poteſt fieri.

Quæres 2. *Utrum ſumptio potus extra tempus refectionis, noceat jejunio?*

Reſp. Sumptio potus de ſe nutritivi nocet jejunio; ſumptio vero potus, qui non ad nutritionem, ſed ad alterationem corporis ſedandam, & digeſtionem ciborum aſſumptorum, ſumitur, non nocet jejunio: ita D. Thomas, 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 6. *ad* 2.

Quæres 3. *Quot ſint cauſæ a jejunio excuſantes?*

Reſpond. Sunt duæ, impotentia, ſcilicet, & labor.

Ratione impotentiæ, excuſantur. 1. *Adoleſcentes*, qui 21. ætatis annum nondum expleverunt, quia ſunt in ſtatu augmenti, 2. *Senes*, non ratione ſenectutis, ſed ratione magnæ de-

bilitatis. 3. *Infirmi* & *convaleſcentes*, quos infirmitas extenuavit. 4. *Prægnantes* & *nutrices*, quia egent cibo pro ſe, & pro fœtu, vel prole. 5. *Pauperes*, cum ſimul habere nequeunt quod eis ſufficit ad unam refectionem.

Ratione laboris, excuſantur illi ſoli qui opus, vel iter pedibus conficiunt, quo adeo defatigantur, ut ſimul cum jejunio laborare, vel itinerari non poſſint, & quod pro tunc ſit ita neceſſarium, *ut abſque detrimento corporalis ſalutis, aut exterioris ſtatus, vel ſpiritualis vitæ, non poſſit differri*, ait D. Thom. 2. 2. *q*. 147. *art*. 4. *ad* 3.

Non excuſantur vero omnes, quorum labor non eſt gravis, quales ſunt, pictores, barbitonſores, ſartores, notarii, ſcribæ, &c. Item qui equo vel curru iter agunt, niſi forte ob extraordinarium curſum ac defatigationem, non poſſint ſine gravi incommodo jejunare. Hinc Alex. VII. ſequentes damnavit propoſitiones:

Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare an labor ſit compatibilis cum jejunio.

Excuſantur abſolute a præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

TRA-

TRACTATUS XI.

DE VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS.

Nota. PLurium ſtatuum obligationes ſatis per ſe patent: qui voluerit eas legere, conſulat noſtram Theologiam in hoc Tractat. hic ergo agemus tantum de obligationibus Clericorum beneficiatorum, religioſorum, & perſonarum judicialium, ideo ſit:

CAPUT I.

De Obligationibus beneficiatorum.

HIc agendum eſt 1. de Horis Canonicis. 2. De beneficiis: inde enim maxime pendent obligationes beneficiatorum.

QUÆSTIO I.

De Horis Canonicis.

Quæres 1. QUid ſint Horæ Canonicæ?

Reſp. Sunt preces vocales ab Eccleſia inſtitutæ, ejus nomine quotidie ſtatutis horis Deo perſolvendæ a perſonis ad id ſpecialiter deputatis.

Quæres 2. *Quinam ad Horas Canonicas teneantur?*

Reſp. Tenentur 1. Omnes Clerici ſacris ordinibus initiati. 2. Omnes religioſi & moniales profeſſi ad chorum deſtinati. 3. Omnes

Clerici (ſive ſacris ſint initiati, ſive non) beneficium eccleſiaſticum poſſidentes, ſive tenue ſit, ſive pingue, ſive poſſideatur in titulum, ſive in commendam, tenentur *regulariter* ad Horas perſolvendas ſub mortali, & reſtitutionis obligatione, etiam ante omnem ſententiam declaratoriam Judicis. Ita ſtatuit Concil. Lateran. V. & poſt ipſum Pius V. Bulla, *Ex proximo*.

Dixi 1. *Clerici beneficium poſſidentes*, ut excludatur tum Coadjutor, licet inſtituatur, quia nondum eſt beneficiarius, tum Penſionarius, quia penſio non eſt beneficium, tenetur tamen juxta Bullam Pii V. *Ad officium parvum Beatæ M. V.* ſub eadem pœna ſub qua beneficiarii tenentur ad Horas Canonicas.

Dixi 2. *Regulariter*, quia nonnulla extant beneficia, quæ ex ſua inſtitutione ad aliquas tantum preces obligant, verb. gr. ad recitationem officii B. M. Virginis, non vero ad officium divinum.

Dixi 3. *Sub mortali:* quia eſt gravis obligatio ad virtutem religionis & juſtitiæ pertinens: materia autem gravis cenſetur una parva Hora, v. g. Prima.

Dixi 4. *Sub reſtitutionis obligatione:* quia ſub hoc onere Eccleſia illis beneficium contulit, ut definivit ſupra dictus Pius V. qui, regulando reſtitutionem, ſtatuit, ut qui per unum diem officium omiſerit, teneatur reſtituere omnes fructus, qui illi diei reſponderent, ſi fructus beneficii dividerentur: qui Matutinum tantum omiſerit dimidiam partem, qui reliquas omnes Horas, reliquam dimidiam, qui harum ſingulas, ſextam partem, comprehenſis etiam diſtributionibus, quas non lucratur, non recitans, etiamſi choro interſit, ut expreſſe habet Bulla.

Di-

Dixi 5. *Ante omnem ſententiam*, prout definivit Alexand. VII. in damnatione propoſit. contrariæ.

Quæres 3. *Quibuſnam debentur diſtributiones quotidianæ?*

Reſp. Iis ſolis qui choro interſunt. *Diſtributiones, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis colluſione aut remiſſione excluſa, his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit*, conſuetudinem, inquit Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 12. deinde in decreto Bonifac. VIII. additur: *Non cenſetur præſens qui non attendit;* ergo ad lucrandas diſtributiones requiritur præſentia formalis & ad orandum ordinata.

Quæres 4. *In quibus caſibus abſens diſtributiones poſſit lucrari?*

Reſpond. In tribus, nempe, in caſu gravis infirmitatis, rationabilis corporis neceſſitatis, & utilitatis Eccleſiæ: *Exceptis*, ait Bonif. VIII. *illis quos infirmitas, ſeu juſta aut rationabilis corporis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret*. Hi enim fictione juris, cenſentur præſentes.

Quæres 5. *Quomodo Horæ ſint recitandæ?*

Reſpond. Hunc modum dat caput, *dolentes*, de celebratione Miſſarum, his verbis: *Diſtricte præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudioſe celebretur pariter & devote.*

Quæres 6. *Quænam requirantur, ut Horæ recitentur ſtudioſe?*

Reſpond. Quinque. 1. *Ut in debito recitentur Breviario*, juxta Bullam Pii V.

2. *Ut omnia diſtincte proferantur, ſine ſyncopa*, ait gloſſa, & voce per ſe audibili, ita ut recitans, ſecluſo impedimento, poſſit ſeipſum audire, quia Horæ ſunt orationes vocales.

3. *Ut recitentur debito tempore*, juxta conſuetudinem legitime introductam: juxta quam matutinum poteſt cum, vel ſine laudibus recitari pridie, ab eo circiter tempore, quo ſol eſt propior ad occaſum, quam ad meridiem.

4. *Ut recitentur ordine præſcripto:* v. g. matutinum ante laudes, &c. Qui tamen inverteret hunc ordinem, peccaret tantum venialiter, quia præceptum obſervaret quoad ſubſtantiam, omnes Horas recitando intra diem naturalem: immo non peccaret, ſi inverſio illa fieret ex oblivione, vel ex juſta cauſa, quia cum hic ordo non pertineat ad ſubſtantiam officii, Eccleſia cenſetur permittere eum mutari, cum adeſt rationabilis cauſa.

5. *Ut recitentur abſque interruptione, niſi adſit juſta cauſa:* illa tamen interruptio, eſt ſolum venialis, quia hic defectus non eſt in ſubſtantia, ſed ſolum in modo accidentario.

Quæres 7. *Quid requiratur, ut Horæ devote recitentur?*

Reſp. Requiritur 1. *Intentio* recitandi horas, & Deum orandi: ſufficit tamen interpretativa, qualem habet, qui, ut ſuæ obligationi ſatisfaciat, aſſumit Breviarium, vel debito tempore ad chorum convenit, recitandi officii gratia.

Requiritur 2. *Attentio interna*, ſive ad verba, quatenus continent laudes Dei, ſive ad ſenſum verborum, ſive ad Deum, non quidem *actualis*, quæ ſæpius non eſt in noſtra poteſtate, ſed *virtualis*, cum qua ſubſiſtit oratio & actus humanus. Porro attentio virtualis, eſt ipſa actualis initio orationis concepta, quæ virtualiter permanet quandiu non eſt revocata, vel expreſſe, per actum quo vult non intendere: vel tacite, per voluntariam diſtractionem. Unde Clerus Gallicanus hanc propoſitionem, *Præcepto ſatisfacit, qui voluntarie la-*

biis

Eiis tantum, non autem mente orat, damnavit, ut abſonam, & verbo Dei contrarium.

Quæres 8. *Quot ſint cauſæ excuſantes a recitatione Horarum, & reſtitutione?*

Reſpond. Sunt quatuor: 1. Eſt legitima Papæ diſpenſatio . . . 2. Eſt gravis infirmitas, qualem habere cenſetur qui ſine notabili nocumento, legere officium non poteſt . . . . . . 3. Eſt gravis occupatio honeſta & neceſſaria, quæ abſque gravi ſui, vel proximi detrimento tum ſpirituali, tum corporali, differri non poteſt, ſitque majus bonum quam officii recitatio . . . . . . 4. Eſt tum phyſica, tum moralis impotentia: qui tamen totum officium recitare non poteſt, tenetur ad partem quam poteſt. Unde Innocent. XI. hanc propoſit. damnavit: *Qui non poteſt matutinum & laudes recitare, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur.*

QUÆSTIO II.

De Beneficiis.

Quæres 1. QUid ſit beneficium?

Reſpond. Eſt, *jus perpetuum, competens Clerico, percipiendi fructus ex bonis eccleſiaſticis, propter officium ſpirituale, auctoritate Eccleſiæ conſtitutum.* Hoc eſt, auctoritate Papæ, vel Epiſcopi. Hinc Capellaniæ *non collativæ*, ſed a privatis, licet in perpetuum, dotatæ pro Miſſarum celebratione, non ſunt beneficia, nec debent conferri per canonicam inſtitutionem.

Quæres 2. *Utrum neceſſario requiratur titulus ad acquirendum beneficium?*

Reſp. Ita neceſſario requiritur, ut qui *mala fide* abſque titulo invadit beneficium, non ſolum illud amittat, ſed inſuper fiat inhabilis ad

 aliud.

aliud poſtea obtinendum, ita definivit Alexander III. cap. *ad aures*, de exceſſ. Prælator.... Quod ſi bona fide cum titulo colorato beneficium obtinuerit, fit legitimus illius poſſeſſor poſt triennalem poſſeſſionem pacificam, modo beneficium fuerit obtentum *abſque ſimoniaco ingreſſu*, nec ad illud fuerit inhabilis qui illud poſſidet. Ita habet *regula Cancellariæ; Rom. de triennali poſſeſſione.*

Agemus hic 1. De varis titulis, quibus beneficia acquiruntur. 2. De his quibus conferri debent, & de bonorum eccleſiaſticorum uſu. 3. De beneficiorum pluralitate & beneficiariorum reſidentia. 4. De ſimonia.

ARTICULUS I.

De variis titulis quibus beneficia acquiruntur.

Nota: ILli tituli ſunt ſeptem, ſcilicet 1. Collatio libera. 2. Præſentatio. 3. Electio. 4. Poſtulatio. 5. Reſignatio. 6. Permutatio. 7. Subrogatio: de quibus ſit

Quæres 1. *Quod ſit collatio libera?*

Reſpond. Eſt, *attributio beneficii facta à Prælato, jure pleno atque independenti.*

Dixi: *A Prælato:* id eſt, 1. a Papa in tota Eccleſia, qui quatuor modis confert beneficia, nempe 1. *Jure præventionis*, per gratiam expectativam. 2. *Jure reſervationis*, ſic in Gallia reſervantur in favorem graduatorum beneficia non patronata, vacantia menſibus Januario, Aprili, Julio, & Octobri. 3. *Jure concurſûs cum quolibet alio collatore eccleſiaſtico*, modo conferat beneficium ante ordinarium. 4. *Jure devolutionis.*

2. Ab

2. Ab Epiſcopo in ſua Diœceſi, niſi ex fundatione beneficii, aut legitima præſcriptione, alteri eccleſiaſtico competit.

Quæres 2. *Quid ſit præſentatio?*

Reſp. Eſt, *exhibitio perſonæ idoneæ, a patrono facta Prælato, ut ei beneficium vacans conferat per inſtitutionem*. Hinc præſentatio, dat jus ad rem; inſtitutio, jus in re.

Patronus, alius eſt Eccleſiaſticus, alius Laicus; inter utrumque hoc eſt diſcrimen; 1. Quod Patrono Laico concedantur tantum quatuor menſes a die vacationis ad præſentandum; ſex vero Patrono Eccleſiaſtico. 2. Quod Patronus Laicus variare poſſit, non Eccleſiaſticus, qui ſi indignum nominavit, jure ſuo pro hac vice excidit. 3. Quod beneficium Patronatus Laici, nec ſit obnoxium præventioni Papæ, juri indultariorum, aut graduatorum, aut gratiarum expectativarum; nec poſſit reſignari, permutari, aut penſione gravari abſque conſenſu Patroni, bene vero beneficium Patronatus Eccleſiaſtici.

Quæres 3. *Quid ſit electio?*

Reſp. Eſt, *perſonæ eligibilis præ aliis aſſumptio ad beneficium vacans*. Per eam acquiritur jus ad beneficium; nam jus in beneficio obtinetur ſola confirmatione, quæ definitur: *Conceſſio juris in beneficio facta a ſuperiore ei qui electus eſt*.

Ut ſit valida electio, requiritur a jure, 1. Ut omnes, qui jus electionis habent, rite vocentur. 2. Ut intra trimeſtre a die vacationis fiat electio, niſi adſit legitimum impedimentum. 3. Ut electores ſint ſaltem Subdiaconi, ſi agatur de electione vivorum. 4. Ut electorum pars major conſentiat.

Quæres 4. *Quid ſit poſtulatio?*

Reſp. Eſt, *obſecratio ab electoribus facta ſupe-*

riori, ut ad beneficium vacans r'aittere veliz aliquem, qui alias eligi non poterat ob impedimentum canonicum. Nullum dat jus ante admiſſionem & confirmationem.

Quæres 5. *Quid ſit reſignatio?*

Reſp. Eſt, *ſpontanea ſui beneficii dimiſſio coram legitimo Superiore eam acceptante*. Sine hac acceptatione reſignaris non perdit jus ſuum. Duplex eſt, nempe, *ſimplex*; quæ fit ſine ulla conditione & pacto; & *conditionata*, quæ fit, vel cum penſionis reſervatione, vel ea conditione ut alicui perſonæ deſignatæ conferatur beneficium: hæc a ſolo Papa poteſt admitti; cum in ea verſetur ſimonia, quam ſolus Papa purgare poteſt.

Ut reſignatio in favorem ſit valida, requiritur 1. Ut reſignans in infirmitate ſupervivat 20. dies poſt reſignationem. 2. Ut intra ſex menſes a die ſupplicationis, reſignatio publicetur in loco beneficii, ſi fiat in Curia Romana: intra menſem vero, ſi fiat extra Curiam. Ita ferunt Regulæ Cancellariæ, *de infirmis*, & Reg. *de publicandis*, in Gallia vigentes.

Quæres 6. *Quid ſit permutatio?*

Reſp. Eſt, *beneficii ad aliud beneficium facta mutua præſtatio*, ab Ordinario admiſſa, vel ab utriuſque Diœceſis Epiſcopis, ſi beneficia compermutanda ſita ſint in diverſis Diœceſibus.

Quæres 7. *Quid ſit regreſſus, & an ſit licitus?*

Reſp. ad 1. Eſt, jus reſumendi beneficium reſignatum aut permutatum, etiam poſt admiſſam a Prælato reſignationem aut permutationem.

Reſpond. ad 2. Licet jus regreſſus ſacris Canonibus, a Concilio Trident. confirmatis, ſit contrarium, tamen in Gallia vim & robur habet

bet in variis caſibus, quos expoſuimus in noſtra Theologia, Tomo II.

Quæres 8. *Quid ſit ſubrogatio?*

Reſpond. Eſt, *unius vocatio in jus & locum alterius*. Solummodo locum habet inter duos de beneficio litigantes, quorum ſi unus, lite pendente, e vivis excedat, ſuperſtes in jus & locum ipſius ſufficitur.

Quæres 9. *Quid ſit penſio clericalis?*

Reſpond. Eſt, *jus percipiendi fructus ex alterius beneficio*. Creari poteſt, 1. Ut tollatur beneficiorum magna inæqualitas in permutatione faciendi. 2. Ut lis inter duos de beneficio collitigantes componatur. 3. Ut indigenti Sacerdoti, qui beneficio inſervivit, ſubveniatur.... Requiritur, tamen, 1. Ut titulario ſuperſint neceſſaria ad victum & veſtitum. 2. Ut penſio non excedat tertiam partem fructuum. 3. Ut penſionarius per 15. annos beneficio inſervierit, juxta edictum Ludovici XIV. datum anno 1671.

ARTICULUS II.

De iis quibus conferri debent beneficia, ac de bonorum Eccleſiaſticorum uſu & dominio.

Quæres 1. **Q***Uinam ſint incapaces beneficii poſſidendi?*

Reſpond. Sunt incapaces, 1. Qui non receperunt primam Tonſuram. 2. Qui non habent Ordinem ſacrum quem beneficium ex ſua inſtitutione requirit, ſufficit tamen ut intra annum ſuſcipiatur ille Ordo. 3. Qui non habent ætatem idoneam, quæ varia eſt pro varietate beneficiorum. 4. Qui ſunt aliqua cenſura vel irregularitate irretiti.

Quæres 2. *Utrum digniores ſint promovendi ad beneficia, prætermiſſis minus dignis?*

Reſp. affirmat. Nam Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform.* hortatur Patronos, Electores, Collatores, *ut in primis meminerint eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles, ipſi judicaverint, præfici diligenter curaverint.* Ita etiam docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 63. artic. 2. ad 3. *Quantum ad conſcientiam eligentis*, inquit, *neceſſe eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune*: Ratio eſt, quia qui minus dignos eligunt, fidem, quam Eccleſiæ & fundatoribus debent, violant, & accipiunt perſonas in re gravi, quod eſt peccatum mortale . . . Tamen, cum id poſtulat charitas, vel majus Eccleſiæ bonum, poſſunt beneficia ſimplicia conferri dignis, relictis dignioribus.

Quæres 3. *Utrum beneficiarii ſint domini redituum ſuorum beneficiorum?*

Reſp. Sunt adminiſtratores tantum, & non domini; unde ſi in uſus ſuperfluos & profanos impendant partem, quæ eorum honeſtæ ſuſtentationi ſupereſt, tenentur eam reſtituere ex bonis patrimonialibus, aut quaſi patrimonialibus, quæ nimirum ipſis obveniunt ut ſtipendia quædam pro functionibus Eccleſiaſticis. Ita docent Canones, Patres ac Theologi, *Can.* fraternitatem, *de donat. Epiſcopus & quilibet Prælatus rerum Eccleſiaſticarum procurator eſt, non dominus.* D. Thom. *quodl.* 6. *artic.* 12. ait: *Bonorum vero Eccleſiaſticorum Clerici non ſunt veri domini, ſed diſpenſatores.* S. Raymundus, *lib.* 2. *tit.* 5. *de rapt. & præd.* §. 6. docet, *Clericos, qui conſanguineis conferunt bona Eccleſiaſtica pauperibus debita, eſſe raptores, & per conſequens teneri ad reſtitutionem omnium.* Unde

Joan-

Joannes Major, *in 4. diſt. 24. q. 6.* aſſerit ſe nullum ſcire, qui ante ſuam ætatem contrarium docuerit.

Objicies 1. Concil. Trident. ſtatuit beneficiarios, munus ſuum non implentes, *fructus ſuos* non facere; ergo, dum ipſum rite obeunt, *fructus ſuos* faciunt, & horum acquirunt dominium.

Reſp. diſt. conſeq. Acquirunt dominium reſtrictum & gravatum onere juſtitiæ impendendi ſuperflua in pios uſus, *conc.* dominium liberum, *nego conſeq.*

Inſt. Eccleſiaſtici de bonis mere Eccleſiaſticis teſtantur, non contradicente Eccleſia; ergo ſunt veri domini illorum bonorum.

Reſp. nego conſeq. Eccleſia enim non permittit hunc abuſum, cum illum damnet, *cap.* relatum, *de teſtam.* ſed illum tolerat ad vitandas perturbationes, & multas lites, quæ, ob difficultatem diſcernendi ſuperflua illa ab aliis bonis, neceſſario orirentur: unde hæredes tenentur bona illa pauperibus, vel aliis piis cauſis reſtituere.

ARTICULUS III.

De beneficiorum pluralitate, & beneficiariorum reſidentia.

Quæres 1. Q*Uotuplicis generis ſint beneficia?*

Reſp. Alia ſunt *compatibilia*, quæ perſonalem reſidentiam non exigunt, nec idem officium eodem tempore perſolvendum, & *incompatibilia*, quæ ſunt duplicis generis. *Primi generis*, ſunt ea, *quorum unum ipſo facto, abſque ulteriori ſententia, excludit alterum*, v.g. duo beneficia curata, duo canonicatus, aut duæ Capellæ ſub eodem tecto. *Secundi gene-*

generis, ſunt ea, *quæ*, *licet non ita pugnent*, *ut primum vacet ipſo facto*, *obtento ſecundo*, *tamen ſimul retineri non poſſunt abſque diſpenſatione*, v. g. duo canonicatus in diverſis Eccleſiis.

Quæres 2. *Utrum ſit licitum plura ſimul poſſidere beneficia?*

Reſp. Illicitum eſt, & juri naturali contrarium, niſi adſit juſta cauſa; nam, juxta Conciliorum decreta, SS. Pontificum & Patrum oracula, per pluralitatem beneficiorum 1. Ordo Eccleſiaſticus pervertitur. 2. Minuitur cultus divinus. 3. Juſtitia diſtributiva læditur. 4. Fraudatur voluntas fundatorum. 5. Defuncti injuſte precibus atque ſuffragiis ſibi debitis privantur, &c. Atqui hæc omnia juri ac æquitati naturali repugnant; ergo.

Dixi; *Niſi adſit juſta cauſa:* quæ juxta Conc. Trident. unica eſt, nempe *tenuitas beneficii* non ſufficientis ad honeſtam ſuſtentationem, cui adjungi poteſt aliud beneficium ſimplex, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat: huic tamen alias duas addunt Theologi, quarum 1. Eſt *neceſſitas Eccleſiæ*, nempe ſi deſint alii, vel idonei. 2. Eſt *utilitas Eccleſiæ*, v. g. ut Eccleſia adverſus hæreticos defendatur.

Hinc, qui, abſque juſta cauſa, plura beneficia obtinuit, per diſpenſationem Pontificiam, tenetur, uno retento, cætera reſignare, quia Pontifex non poteſt diſpenſare in iis quæ ſunt juris naturalis, niſi interveniat juſta cauſa quæ turpitudinem tollat.

Quæres 3. *Quid ſit reſidentia?*

Reſp. Eſt, *commoratio in loco beneficii*, *perſonaliſque muniorum Eccleſiaſticorum functio*.

Quæres 4. *Quinam teneantur ad reſidentiam?*

Reſp. 1. Jure divino tenentur illi quibus incumbit cura animarum, ut definit Conc. Trid.

ſeſſ. 23.

ſeſſ. 23. *cap.* 1. *de reform.* 2. Canonici, aliique Clerici, qui præbendas, vel dignitates in Eccleſiis cathedralibus aut collegiatis poſſident, Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. hocque ſub pœna reſtitutionis fructuum *ipſo facto* faciendæ pro rata temporis abſentiæ.

Quæres 5. *Quot ſint juſtæ cauſæ a reſidentia excuſantes?*

Reſp. Quatuor aſſignat Concil. Trid. modo *ita provideant ovibus, ut, ex ipſorum abſentia, nullum damnum accipiant.* 1. Eſt, *chriſtiana charitas.* 2. Eſt, *urgens neceſſitas.* 3. Eſt, *debita obedientia.* 4. Tandem, *evidens Eccleſiæ vel reipublicæ utilitas.* Extra has cauſas Conc. Trid. concedit Epiſcopis ex juſta cauſa tres menſes abſentiæ; Canonicis duos vel tres; ſed Parochis nullum tempus concedit.

ARTICULUS IV.

De Simonia.

Quæres 1. **Q***Uid ſit ſimonia?*

Reſp. Eſt, *ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.* Porro aliquid poteſt eſſe annexum ſpirituali tripliciter. 1. *Antecedenter*, ut vaſa ſacra, altaria, &c. quæ referuntur ad ſacrificium Miſſæ. 2. *Concomitanter*, ut labor intrinſecus in celebratione Miſſæ, &c. 3. *Conſequenter*, ut jus percipiendi proventus beneficiorum, quod ſupponit officium ſpirituale.

Quæres 2. *Quotuplex eſt pretium ſimoniæ?*

Reſp. Triplex, ſcilicet, *Munus a manu*, id eſt, pecunia, aut quid pecunia æſtimabile. *Munus a lingua*, id eſt, patrocinium, commendatio apud alium, &c. *Munus ab obſequio*, id eſt, obſequium alteri præſtitum, aut præ-

præſtandum ad rem ſpiritualem ab ipſo comparandam.

Quæres 3. *Quale ſit peccatum ſimonia?*

Reſp. Eſt graviſſimum peccatum, tum contra religionem; quia eſt quædam ſpecies ſacrilegii, tum contra juſtitiam, quia ſimoniacus uſurpat dominium rerum quod non habet, unde omnes actus ſimoniaci ſunt irriti, & obligant ad reſtitutionem.

Quæres 4. *Quotuplicis generis ſit ſimonia?*

Reſp. Duplicis; ſcilicet, alia eſt *juris divini*, & eſt, *rei temporalis commutatio pro re ſpirituali qua tali*. Alia eſt, *juris humani*, & eſt, *pactio qualibet, aut conventio, quæ ab Eccleſia ſub pœnis ſimoniæ inhibetur, quatenus labem redolet ſimoniacam*.

Quæres 5. *Quomodo dividatur ſimonia?*

Reſp. Dividitur in realem, mentalem, conventionalem, & confidentialem.

Simonia *realis*, eſt, *pactio ſimoniaca expreſſa, vel implicita, ex utraque parte completa, ſaltem inchoate*. Ut ſi pars pretii ſoluta fuerit, & res ſpiritualis tradita.

Simonia *mentalis*, eſt, *datio rei ſpiritualis pro temporali, vel temporalis pro ſpirituali, nullo interveniente pacto, etiam tacito*.

Simonia *conventionalis*, eſt, *pactio exterius ex una, vel utraque parte facta, dandi vel accipiendi rem temporalem pro ſpirituali*. Quod ſi pactum ex neutra parte executioni ſit mandatum, vocatur, *pure conventionalis*. Si vero ex una parte ſit executioni mandatum, vocatur, *conventionalis mixta*, ex conventionali nempe & reali.

Simonia *confidentiæ*, committi poteſt quatuor modis.

1. *Per exceſſum*, v. gr. cum Prælatus, volens alicui per ætatem incapaci procurare beneficium,

cium, illud confert alteri, eo pacto, ut quamprimum incapax factus fuerit capax, illud accipiat.

2. *Per ingreſſum*, v. g. cum quis beneficium ſibi collatum, alteri, ante captam ejus poſſeſſionem, reſignat, eo pacto ut illud poſtea ingrediatur, ſi iſte moriatur, vel beneficium dimittat.

3. *Per regreſſum*, ut cum quis beneficium a ſe poſſeſſum, alteri reſignat, eo pacto, ut iſte ſibi, vel alteri, idem beneficium reſignaturus ſit convenienti tempore.

4. *Per ſtipulationem penſionis*, ſibi vel alteri dandæ ex fructibus beneficii.

Quæres 6. *Quænam ſimoniæ ſpecies pœnis canonicis ſint obnoxiæ?*

Reſp. Sunt duæ duntaxat; realis ſcilicet, & confidentialis.

Quæres 7. *Quænam ſint pœnæ ſimoniæ realis?*

Reſp. Sunt tres. 1. Excommunicatio Papæ reſervata, quam ipſo facto incurrunt, qui rem ſpiritualem ſimoniace obtinuerunt, contulerunt, aut quovis modo procuraverunt. 2. Eſt privatio rei ſpiritualis ſimoniace acquiſitæ, & fructuum ex ea perceptorum. 3. Eſt inhabilitas ad idem beneficium, ſi ſimonia ſit commiſſa in beneficio.

Quæres 8. *Quænam ſint pœnæ ſimoniæ confidentialis?*

Reſpond. Ex Bulla Pii V. *deteſtabilis*, ſunt 1. Excommunicatio Papæ reſervata contra utrumque contrahentem. 2. Privatio beneficii per confidentiam obtenti. 3. Inhabilitas ad idem beneficium, & ad alia acquirenda. 4. Privatio beneficiorum antea legitime poſſeſſorum, & penſionum prius obtentarum, non tamen ante ſententiam judicis declaratoriam, cum juſto titulo poſſideantur. 5. Beneficia per confidentiam colla-

collata Papæ reſervantur. 6. Fructus illorum beneficiorum cameræ Apoſtolicæ addicuntur, ſed hæc additio locum non habet in Gallia.

CAPUT II.

De obligationibus religioſorum.

Quæres 1. Q*Uid ſit ſtatus religioſus?*

Reſp. Eſt, *ſtabile vitæ inſtitutum, ab Eccleſia approbatum, & tendens ad perfectionem per tria vota, paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis.*

Quæres 2. *Quid ſit obedientia religioſa?*

Reſpond. Eſt, *virtus moralis virum religioſum inclinans ad executionem præcepti ſuperioris, in omnibus quæ cadunt ſub virtute obedientiæ.* Qualia ſunt 1. Obſervatio regulæ ſecundum vim obligationis ejus in unaquaque religione receptam. 2. Præcepta ſuperiorum in omnibus quæ præcipiunt conſentanee ad regulam, conſtitutiones, & regularem obſervantiam. 3. Mandata Pontificia, nam votum obedientiæ per ſe primo & principaliter fit ſummo Pontifici tanquam ſupremo omnium religionum præpoſito generaliſſimo.

Quæres 3. *Quotuplex ſit inobedientia & quale peccatum?*

Reſpond. Duplex, nempe, *formalis*, eſtque, *violatio præcepti cum expreſſa intentione violandi præceptum, vel præcipientem contemnendi.* Hæc eſt ſemper mortalis, etiamſi præceptum ſit de re levi, juxta illud Chriſti: *Qui vos ſpernit, me ſpernit*, Luc. 10. ſed contemnere Deum in re levi, eſt grave peccatum; ergo, &c. ..... Et *materialis*, quæ eſt, *violatio præcepti, ſine expreſſa intentione violandi illud.* Hæc reperi-

tur

tur in omni peccato, eſtque mortalis in re gravi, & venialis in re levi.

Quæres 4. *Quid ſit caſtitas religioſa?*

Reſpond. Eſt, *votum ſolemne, quo religioſus promittit abſtinentiam perpetuam a voluptatibus carnalibus illicitis, & alias licitis.* Hinc peccatum contra caſtitatem in religioſo, eſt etiam ſacrilegium, ac proinde duplicem habet malitiam.

Quæres 5. *Quid ſit paupertas religioſa?*

Reſpond. Eſt, *votum ſolemne, quo religioſus promittit abdicationem omnis dominii, proprietatis, uſuſque independentis a voluntate ſuperioris.* Unde jure merito tanquam veri proprietarii damnantur a Concil. Trident. non ſolum ii qui abſque ſuperioris licentia de rebus mobilibus diſponunt, ſed etiam ii qui iiſdem utuntur.

Quæres 6. *Quænam licentia ſuperioris requiratur, ut religioſus poſſit uti rebus temporalibus?*

Nota; Quadruplex eſt licentia, nimirum *expreſſa*, quæ verbo, vel ſcripto, vel alio quovis ſigno conceditur. *Virtualis*, quæ expreſſæ æquivalet, continetur que in officio alicui commiſſo. *Tacita*, quæ ex circumſtantiis veriſimiliter creditur adeſſe, v. gr. cum prælatus videt ſubditos aliquid recipere, donare, nec prohibet, cum facile poſſit, tunc tacite conſentire videtur. Et tandem, *præſumpta*, quæ, juſta cauſa occurrente, concluditur, quod ſuperior vellet, ſi ſtatum rei ſciret. His notatis:

Reſpond. 1. Sufficit, ut licentia ſuperioris ſit virtualis, aut tacita, quia ſufficit, ut actus religioſi ſint dependentes. Requiritur tamen expreſſa, 1. Cum agitur de re gravi, nec urget neceſſitas. 2. Cum facilis ad ſuperiorem patet recurſus.

Reſp.

Reſp. 2. Licentia præſumpta non ſufficit, niſi cum cauſa urget, & ſuperior non poteſt tunc adiri: quia admiſſa univerſaliter hac præſumptione, inferiores fere ſemper pro libitu de rebus tanquam ſuis diſponerent cum gravi damno religioſæ diſciplinæ, quod ex officio tenetur impedire ſuperior.

Quæres 7. *Quænam ſumma requiratur ad peccatum mortale proprietatis?*

Reſp. Generaliter requiritur eadem ſumma quæ requiritur ad furtum mortale, cum appropriatio facta a religioſo ſit verum furtum.

Quæres 8. *Quænam ſint pœnæ proprietariorum?*

Reſp. Sunt tres. 1. Recluſio ad agendam pœnitentiam. 2. Privatio vocis activæ & paſſivæ ad biennium. 3. Privatio eccleſiaſticæ ſepulturæ. Quæ pœnæ non ſunt latæ, ſed ferendæ ſententiæ.

CAPUT III.

De obligationibus perſonarum judicialium.

Quæres 1. *Quot ſint præcipuæ obligationes Judicis?*

Reſpond. Sunt quinque; 1. Ut habeat juriſdictionem in perſonas judicandas, & in cauſam: alioquin ejus ſententia eſt irrita. 2. Ut habeat ſcientiam ſufficientem ad munus ſuum recte obeundum, juxta illud Pſalm. 2. *Erudimini qui judicatis terram.* 3. Ut habeat conſtantiam & virtutem ad munus Judicis exercendum, juxta illud Eccl. 7. *Noli quærere fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere in iniquitates, ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcan-*

ſcandalum in iniquitate tua. 4. Ut juſtitiam & integritatem in omnibus ſervet; porro ut illa integritas ſervetur, utrumque jus prohibet ne Judices munera accipiant. 5. Ut judicet ſecundum leges, tum quoad modum procedendi, ordinem & formam judicii; tum quoad ſententiam ferendam & exequendam; ad hoc enim a Republica vel Principe Judex eſt conſtitutus.

Quæres 2. *Utrum Judex poſſit eum, quem certo cognoſcit innocentem, capite damnare, ſi per teſtes legitime probetur reus?*

Reſp. negative: Quia intrinſece malum eſt aliquem occidere ſine auctoritate; atqui Judex nullam habet auctoritatem in vitam innocentis; hanc enim non potuit ei communicare Reſpublica, cum nec ipſa talem habeat, ſed ſolus Deus; ergo, &c.

Objicies: D. Ambroſ. *ſerm.* 20. *in Pſalm.* 118. ait: *Bonus Judex nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed juxta leges & jura pronuntiat*; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Juxta leges & jura pronuntiat, cum de facto pronuntiat, *conc.* cum non pronuntiat, *nego*. Porro in præſenti caſu non debet pronuntiare, ſed tenetur omnes inire vias quibus poſſit innocentem liberare: quod ſi non poſſit eum liberare, debet cauſam ad ſuperiorem Judicem remittere, & apud eum aſſumere officium teſtis, ut poſſit innocentis liberationem urgere.

Quæres 3. *Quænam ſint dotes accuſatoris?*

Reſp. Sunt duæ, nempe, *veritas*, qua deterreatur ab accuſatione & probationibus falſis aut dubiis. Et *juſtitia*, qua deterreatur ab injuſtis molitionibus, v. g. teſtes falſos adhibendo, judices corrumpendo, &c.

Quæres 4. *Quot ſint obligationes teſtium?*

Reſp. Duæ. 1. *Teſtificari, dum legitime interrogan-*

rogantur: excipiuntur 1. Qui delictum norunt ex confeſſione ſacramentali, vel ſub ſecreto naturali conſilii vel auxilii petendi gratia, ut *advocatus*, *medicus*, *obſtetrix*, &c. 2. Excipiuntur conſanguinei & affines delinquentis uſque ad 4. gradum.

2. *Verum abſque fuco teſtari:* alias eſſet perjurus, & teneretur omnia reſarcire damna ex ſua teſtificatione ſecuta.

Quæres 5. *Utrum reus a Judice interrogatus teneatur crimen ſuum fateri?*

Reſp. Tenetur ſub mortali ſi juridice interrogetur: quia Judex habet jus interrogandi & exigendi veritatem ob bonum publicum; ergo eſt in reo obligatio veritatis ipſi clare aperiendæ: jus enim præcipiendi & obligatio obediendi ſunt duo correlativa, quorum unum non poteſt eſſe ſine alio.

Quæres 6. *Utrum reus de complicibus interrogatus, teneatur ipſos detegere?*

Reſp. Tenetur 1. Dum de illis præceſſerunt infamia, vel indicia ſufficientia, vel ſemiprobatio. 2. Dum ejus crimen neceſſario complicem requirit. 3. Dum crimen, quod eſt Reip. valde noxium, vel etiam alicui innocenti, aliter impediri non poteſt.

Quæres 7. *Utrum licitum ſit reo fugere ad vitandam mortem, vel mutilationem?*

Reſp. affirm. Quia non conjicitur in carcerem, ut ibi ſponte maneat, ſed ut ibi detineatur.

Quæres 8. *Ad quid teneatur advocatus, referens, procurator, notarius, & apparitor?*

Reſp. Hi omnes tenentur ex juſtitia, 1. Habere competentem ſcientiam, qua unuſquiſque ſuum munus valeat debite exercere. Unde ſi defectu competentis peritiæ ſint cauſa damni, tenentur illud reſarcire. 2. Tenentur in omnibus juſtitiam ſectari, ſub reſtitutionis obligatione.

TRA-

TRACTATUS XII.

DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

Quæres 1. Quid *ſit virtus?*

Reſp. Definitur a D. Auguſtin. *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & nemo male utitur.* Nempe ſi quis ad pravum finem utatur virtute, deſinet ipſa eſſe virtus, eritque vitium, ut patet in eo qui ex vana gloria dat eleemoſynam.

Quæres 2. *Quomodo dividatur virtus?*

Reſp. Dividitur in intellectuales, morales, & theologicas.

Virtutes *intellectuales*, ſunt eæ quæ perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem veri; ſunt quinque, ſcilicet, *intelligentia*, *ſapientia*, *ſcientia*, *prudentia*, & *ars*.

Morales, ſunt eæ quæ perficiunt voluntatem in ordine ad bonum honeſtum, cujuſcumque ſit generis. Quatuor ſunt præcipuæ, quæ ideo dicuntur *Cardinales*; nimirum, *prudentia*, *fortitudo*, *temperantia*, & *juſtitia*.

Theologicæ, ſunt eæ quæ circa Deum immediate verſantur. Sunt tres, nempe, *fides*, *ſpes*, & *charitas*.

Quæres 3. *Quotuplex ſit medium virtutis?*

Reſp. Duplex, ſcilicet, *medium rei*, quod ita eſt ex natura rei determinatum & fixum, ut ſit ſemper unum & indiviſibile, nec varietur pro loco, tempore, & perſona. *Medium rationis*, eſt illud quod eſt diviſibile, variaturque pro loco, tempore, & perſona, juxta prudentis æſtimationem, quare *ratione definitur*.

Quæ-

Quæres 4. *Utrum ſint aliquæ virtutes quæ non conſiſtant in medio?*

Reſp. Virtutes theologicæ & intellectuales non conſiſtunt in medio per ſe & ex parte objecti, quia contra eas non poteſt peccari per exceſſum: ſed per accidens & ratione ſubjecti requirunt aliquod medium, quatenus exerceri debent cum moderamine, juxta cujuslibet naturam, genium, & conditionem.

Quæres 5. *Quænam virtutes conſiſtant in medio?*

Reſpond. Virtutes morales, cum hoc diſcrimine, quod juſtitia conſiſtat in medio *rei*, cæteræ, in medio *rationis*: ratio eſt, quia contra eas peccari poteſt per exceſſum, & per defectum.

Quæres 6. *Quotuplici modo ſpectari poteſt virtus moralis?*

Reſp. Spectari poteſt, 1. *In ſtatu perfecto*, & ea eſt quæ tam perfecte poſſidetur, ut omnibus contrariis facile poſſit reſiſtere. 2. *In ſtatu imperfecto*, & eſt ea quæ non eſt ita obfirmata, ut habeat plenam rationem habitus difficile mobilis, ſed ſimplicis tantum diſpoſitionis, quæ inclinat quidem ſubjectum ad bene operandum, ſed non adeo fortiter, ut omnem difficultatem vincere poſſit.

Quæres 7. *Utrum virtutes morales neceſſario ſint inter ſe connexæ?*

Reſpond. 1. Non ſunt, ſi ſpectentur in ſtatu imperfecto; nam experientia conſtat multos eſſe promptos ad opera miſericordiæ, qui non ſunt prompti ad opera caſtitatis.

Reſpond. 2. Sunt, ſi conſiderentur in ſtatu perfecto, quia virtus in ſtatu perfecto efficit, ut quis lubenter ſine mora operetur in propria illius virtutis materia; at nemo, qui vel una virtute deſtitutus fuerit, ſic ſe gerit, ut

patet

patet in muliere caſta, ſed avara, aut meticuloſa; ſi enim ingens illi offeratur pecuniæ quantitas, aut minæ mortis ei intententur, haud difficile patietur caſtitatis detrimentum.

TRACTATUS XIII.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Nota: Cum ſint tres virtutes Theologicæ, tres ſimiliter hujus Tractatus erunt Diſſertationes.

DISSERTATIO I.

De Fide.

Quæres I. Quid ſit fides? *Reſp.* Definitur ab Apoſt. Hebr. II. *Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.*

Dicitur I. *Subſtantia*, id eſt, baſis & fundamentum ſpei noſtræ.

Dicitur 2. *Rerum ſperandarum*; quia Deus, quem ſperamus, eſt præcipuum fidei objectum, ad quod cætera revelata deducuntur.

Dicitur 3. *Argumentum*; id eſt, convictio. Verum illa definitio non eſt eſſentialis, ſed deſcriptiva tantum, unde alia magis evoluta traditur a Theologis; nempe.

Fides eſt, *virtus Theologica, divinitus in-*

fuſa, qua firmiter aſſentimur iis quæ a Deo revelata ſunt, propter auctoritatem revelantis.

Quæres 2. *Quomodo dividatur fides?*

Reſp. Dividitur in actualem & habitualem; in explicitam & implicitam; in vivam & mortuam; in formatam & informem.

Fides *actualis*, eſt actus, quo intellectus, ex imperio voluntatis per gratiam excitatæ, firmiter aſſentitur rebus a Deo revelatis, propter auctoritatem Dei revelantis. *Habitualis* vero, eſt habitus nobis a Deo infuſus, actuum fidei elicitivus cum auxilio gratiæ actualis.

Fides *explicita*, eſt ea, qua alicui ſpeciali & determinato fidei articulo aſſentimur: puta Trinitati perſonarum. *Implicita* vero, eſt ea, qua generatim omnibus a Deo revelatis, & ab Eccleſia propoſitis, aſſentimur, nulla determinatione facta ad aliquem particularem articulum.

Fides *viva*, eſt ea, quam obſervatio mandatorum comitatur, ſeu, *quæ per charitatem operatur*, ut ait Apoſt. Galat. 5. *Mortua* vero, eſt ea, quam mandatorum obſervatio non comitatur, Jacobi 2. *Fides ſine operibus mortua eſt*.

Fides *formata*, eſt ea, quæ in homine adjunctam habet charitatem, qua, tanquam extrinſeca ſui forma, perficitur. *Informis* vero, eſt ea, quæ charitate deſtituta manet.

De fidei objecto, proprietatibus, actibus, & vitiis ipſi oppoſitis nobis eſt agendum.

§. I. *De objecto fidei.*

Quæres 1. *Quodnam ſit objectum materiale fidei?*

Reſp. Objectum materiale adæquatum, ſunt res omnes quæ a Deo revelatæ ſunt, ita tamen ut Deus ſit objectum *primarium*, cætera vero revelata, ſint objectum *ſecundarium*.

Quæ-

Quæres 2. *Quomodo dividatur objectum materiale fidei?*

Reſp. Dividitur in articulos, & puncta fidei. *Articulus fidei* definitur, *propoſitio catholica habens rationem principii in fide, ſpecialemque ab aliis articulis ad credendum difficultatem, ab omnibus explicite credenda.* Econtra, *punctum fidei*, eſt veritas ſecundaria, cujus fides implicita ſufficit ad ſalutem.

Quæres 3. *Utrum articuli fidei ſucceſſu temporis creverint?*

Reſp. Non creverunt ſecundum ſubſtantiam quia Eccleſiæ non fit nova revelatio, omnia enim credenda, Apoſtolis revelata ſunt, juxta illud Chriſti, Joann. 15. *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Et cap. 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Dixi, *Secundum ſubſtantiam;* quia certum eſt quod creverint quoad majorem explicationem: Eccleſia enim, occaſione inſurgentium hæreſum, varias propoſitiones definivit, expliciteque credendas fidelibus exhibuit, quæ in Scriptura aut traditione implicite tantum & quoad ſubſtantiam continebantur.

Quæres 4. *Ubinam continentur præcipui articuli fidei?*

Reſp. In Symbolo, quod definitur: *Summa quorumdam præcipuorum fidei articulorum, omnibus fidelibus ad expreſſe credendum propoſita, diſtinguens illos ab infidelibus.*

Quæres 5. *Quotuplex ſit fidei Symbolum?*

Reſp. Triplex, ſcilicet, *Apoſtolicum*, quod ab Apoſtolis conditum a cunctis fidelibus in oratione quotidiana recitatur. *Nicænum*, quod in Conc. Nicæno I. contra impietatem Arii, divinitatem Filii negantis, conditum eſt, & in Conc. Conſtantinop. I. actum, contra impieta-

rem Macedonii, negantis divinitatem Spiritus ſancti: unde quandoque vocatur, *Nicæno Conſtantinopolitanum*. Tandem Symbolum *Athanaſianum*, quod incipit, *Quicumque vult ſalvus eſſe*, quod eſt receptum ab Eccleſia, quæ ſua auctoritate ſancivit illud eſſe legendum in Officio divino.

Quæres 6. *Quodnam ſit objectum formale fidei?*

Reſpond. Eſt prima veritas in dicendo, ſeu eſt revelatio Dei ſumme veracis: quia eſt motivum immediatum, propter quod aſſentimur veritatibus a Deo revelatis: non enim aſſentimur Deo loquenti, niſi quia verax eſt, nec nos fallere poteſt: ex quo

Sequitur 1. Quod omnia objecta fidei ſupernaturalis, cujuſcumque conditionis illa ſint, æque pertineant ad fidem, quia æque participant rationem formalem, ſeu motivum fidei noſtræ ſupernaturalis, nempe divinam veracitatem revelantem, quæ una & eadem, ſicut unus eſt Deus, & ipſa eodem modo applicatur ſingulis veritatibus fidei ..... *Ergo* errant hæretici, docendo eſſe aliquos articulos fidei *non fundamentales*, quibus, non obſtante Eccleſiæ definitione cognita, liberum eſt diſſentire abſque ſalutis diſpendio, & diſruptione unitatis catholicæ fidei.

Sequitur 2. Eum totam fidem amittere, qui unicum, vel minimum fidei articulum rejicit; quia fides eſt indiviſibilis, cum, licet plures veritates credat, illas tamen credat ſub uno atque indiviſibili motivo, ſcilicet Dei veritate in revelando. Unde Div. Thom. *quæſt.* 5. *art.* 3. ait: *Manifeſtum eſt, quod talis hæreticus circa unum articulum, fidem non habet de aliis articulis.*

§. II.

§. II. *De proprietatibus fidei.*

Nota: Quatuor recenſeri poſſunt proprietates fidei, nempe ſupernaturalitas, certitudo, obſcuritas, & credibilitas.

Quæres 1. *Utrum actus fidei ſit ſupernaturalis?*

Reſp. affirm. Nam 1. Ejus motivum, (nempe divina revelatio) eſt ſupernaturale. 2. Ejus principium productivum eſt ſupernaturale, eſt enim auxilium gratiæ, Joann. 6. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum.* Ergo, &c.

Objicies: Aſſenſus fidei eſt actus potentiarum naturalium; ergo eſt naturalis.

Reſp. diſt. anteced. Eſt actus potentiarum naturalium cum auxilio gratiæ & ex motivo ſupernaturali operantium, *conc.* naturaliter operantium, *nego.* Porro, ut actus ſit ſupernaturalis, ſufficit ut unum ex ejus comprincipiis omnino ſit ſupernaturale, licet aliud ſit naturale.

Quæres 2. *Utrum aſſenſus fidei ſit certior quolibet aſſenſu ſcientifico?*

Reſp. Eſt ſimpliciter & abſolute. Nam certitudo formalis deſumitur a ſuo motivo cui eſt proportionata; atqui divina revelatio, quæ eſt motivum aſſenſus fidei, certitudine longe ſuperat lumen naturale rationis, quod eſt motivum cujuſcumque aſſenſus ſcientifici; ergo, &c. Hinc D. Thom. 2. 2. *q.* 4. *art.* 8. *ad* 2. ait: *Multo magis homo certior eſt de eo quod audit a Deo, qui falli non poteſt, quam de eo quod videt propria ratione, quo falli poteſt.*

Quæres 3. *Utrum fides debeat eſſe obſcura?*

Reſpond. Debet eſſe obſcura ex parte rei revelatæ, hoc eſt, non debet clare & evidenter oſtendere rem revelatam prout eſt in ſe a parte rei. Nam ex Apoſt. *Fides eſt argumentum*

non apparentium, id eſt, res quæ creduntur per fidem, non videntur, ſaltem per motivum, quo cognoſcuntur, ſcilicet per revelationem.

Quæres 4. *Utrum quod evidenter ſcitur aut videtur, poſſit eſſe objectum fidei divinæ?*

Reſp. affirm. Nam ex Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportèt credere quia eſt*. Et in Symbolo *credimus unum Deum Patrem omnipotentem;* atqui exiſtentia, unitas, & omnipotentia Dei demonſtrantur a Theologis & Philoſophis; ergo.

Objicies: Fides eſt argumentum non apparentium; ergo.

Reſp. diſt. Eſt argumentum non apparentium, per motivum cognoſcendi, quod eſt revelatio divina, *conc.* per diſcurſum, *ſubdiſt.* utplurimum, *conc.* ſemper, *nego*. Alias ſibi contradiceret Apoſt. cum doceat debere credi Dei exiſtentiam, quam, *Rom.* 1. docet abſtractive cognoſci *per ea quæ facta ſunt*.

Quæres 5. *Utrum myſteria fidei ſint evidenter credibilia?*

Reſp. affirm. Nam probantur argumentis, ſeu motivis evidentibus & irrefragabilibus; ergo, &c. Quare Clerus Gallic. *ann.* 1700. ſequentem damnavit prop. *Evidens non eſt, evidentia morali proprie dicta & phyſica, religionem catholicam eſſe veram*.

Quæres 6. *Quot ſint motiva credibilitatis?*

Reſp. Octo numerantur, 1. Sanctitas Chriſti auctoris fidei noſtræ. 2. Sanctitas doctrinæ quam tradit religio chriſtiana. 3. Stupendus modus quo doctrina chriſtiana propagata eſt. 4. Admiranda totius fere orbis ad Chriſtum converſio. 5. Invicta & nunquam interrupta religionis perſeverantia inter tot perſecutiones, quibus fuit agitata. 6. Sanguis fuſus Martyrum. 7. Vaticinia, non ſolum Prophetarum, ſed &

Sy-

Sybillarum. 8. Tandem innumera miracula quæ a viris ſanctiſſimis in veræ fidei confirmationem edita fuerunt.

§. III. *De neceſſitate fidei.*

Quæres 1. *Quotuplex ſit actus fidei?*

Reſp. Duplex, nempe, *internus*, qui eſt, *firmus mentis aſſenſus veritatibus a Deo revelatis, & ab Eccleſia propoſitis, propter ſummam Dei veritatem in dicendo.* Et actus *externus*, qui eſt, *exterior fidei profeſſio, ore, vel opere, vel quolibet alio ſigno facta.*

Quæres 2. *Utrum actus internus fidei fuerit ſemper neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem?*

Reſp. Fuit omnibus adultis: nam ex Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Et Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. *Sine fide nulli unquam contingit juſtificatio.*

Quæres 3. *Quænam ſint neceſſitate medii credenda explicite?*

Reſp. 1. Omni tempore fuit neceſſaria neceſſitate medii fides explicita Dei exiſtentia, & Dei remuneratoris: *Accedentem enim ad Deum:* inquit Apoſt. Hebr. 11. *Oportet credere quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.* Ideo hæc prop. *Non niſi fides unius Dei neceſſaria eſt, non autem explicita remuneratoris*, damnata eſt ab Innoc. XI. & Clero Gallic. *ann.* 1700.

Reſp. 2. Poſt Evangelii promulgationem inſuper neceſſaria eſt neceſſitate medii fides explicita 1. Incarnationis, juxta illud Joann. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* 2. SS. Trinitatis, nam myſterium Incarnationis explicite credi non poteſt, ſine fide explicita Trinitatis: nec proinde abſolutionis capaces ſint

qui illa myſteria ignorant, ut definivit Innocent. XI.

Quæres 4. *Quænam chriſtiani credere & ſcire teneantur vi præcepti?*

Reſp. Tenentur credere & ſcire 1. Ea quæ neceſſaria ſunt neceſſitate medii. 2. Quæ continentur in Symbolo. 3. Sacramenta quæ tenentur & volunt recipere. 4. Præcepta Dei & Eccleſiæ. 5. Orationem Dominicam, quæ præſcripta eſt a Chriſto; Matth. 6. *Sic orabitis: Pater noſter*, &c.

Quæres 5. *Quoſnam & quandonam actus fidei obliget?*

Reſpond. 1. Obligat *per ſe*, 1. Infideles & hæreticos, cum eis ſufficienter fides eſt propoſita. 2. Filios infidelium, ubi primum ſunt ſufficienter inſtructi. 3. Eos qui ſunt in probabili mortis periculo. 4. Eos qui in hæreſim lapſi ſunt. 5. Eos qui gravem, contra fidem, tentationem experiuntur.

Reſp. 2. Obligat *per accidens*, 1. Dum nos ad juſtificationem præparamus. 2. Dum ad aliquod Sacramentum, maxime Euchariſtiæ, accedimus. 3. Dum occurrit occaſio fidem externe profitendi. 4. Dum præcipua anni feſta celebrantur, quia ex Aug. Enchiridii 3. *Fide, ſpe, & charitate, Deus eſt colendus.*

Quæres 6. *An teneamur aliquando exterius fidem profiteri?*

Reſpond. affirm. Nam Rom. 10: dicit Apoſt. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.*

Quæres 7. *Quandonam obliget præceptum exterius profitendi fidem?*

Reſpond. Obligat 1. Cum id exigit honor Deo debitus; 2. Cum utilitas proximi id poſtulat, ita D. Thom. 2. 2. *q.* 3. *art.* 2.

Quæres 8. *Utrum aliquando liceat fidem exterius*

rius.

rius negare, ſive ex animo, ſive ex ſimulatione?

Reſpond. 1. Fidem exterius negare nullo unquam caſu licitum eſt: *Qui negaverit me coram hominibus*, ait Chriſtus, Matth. 10. *negabo & ego eum coram Patre meo.*

Reſpond. Nunquam licet fidem exterius negare ex ſimulatione, quia eſſet mendacium deteſtabile, utpote Dei maxime inhonorativum; ergo nullo unquam caſu, etiam mortis acerbiſſimæ, poteſt eſſe licitum: unde Chriſtus ait: *Qui me erubuerit coram hominibus, hunc & filius hominis erubeſcet.*

§. IV. *De vitiis fidei oppoſitis.*

Quæres 1. *Quot ſint vitia fidei oppoſita?*

Reſp. Sunt duo: *infidelitas*, quæ actui interno fidei; & *blaſphemia*, quæ fidei profeſſioni opponuntur.

Quæres 2. *Quid ſit infidelitas?*

Reſp. Eſt, *carentia fidei in ſubjecto apto.*

Quæres 3. *Quotuplex ſit infidelitas?*

Reſp. Triplex, nempe, 1. *Pure negativa*, quæ eſt carentia fidei in eo cui fides nullo modo eſt annuntiata: hæc, cum non ſit voluntaria, nec in ſe, nec in alio, non eſt peccatum, ut definierunt SS. Pontifices Pius V. & Greg. XIII. contra Bajum. 2. *Privativa*, quæ eſt carentia fidei in eo cui fides ſufficienter eſt annuntiata, qui tamen omittit credere: hæc eſt peccatum mortale ex genere ſuo, quia omittit credere cum poſſit & debeat. 3. *Poſitiva*, quæ eſt carentia fidei in eo qui veritatem fidei ſufficienter propoſitam negat, vel errorem fidei contrarium aſſerit.

Quæres 4. *Quid ſit hæreſis?*

Reſp. Eſt, error voluntarius & pertinax contra

tra aliquam fidei catholicæ veritatem in eo qui ſe chriſtianum profitetur.

Quæres 5. *Quid ſit blaſphemia?*

Reſp. Eſt, *contumelioſa in Deum locutio*, ſive immediate in ſe, ſive mediate in creaturis, quatenus in eis aliquod Dei attributum relucet, ut ſunt ſancti, cælum, &c.

Quæres 6. *Quale ſit peccatum Blaſphemia?*

Reſpond. Eſt per ſe peccatum mortale, nec ullam admittit parvitatem materiæ, quia majeſtatem Dei poſitive deprimit; ergo gravem Deo infert injuriam.

DISSERTATIO II.

De Spe theologica.

Quæres 1. QUid ſit ſpes?

Reſp. Eſt, *virtus theologica, per quam certa cum fiducia beatitudinem æternam, & media illius conſequendæ a Deo expectamus.* Alia eſt habitualis, alia actualis: alia formata, alia informis. Vide quæ de ſimilibus fidei diviſionibus dicta ſunt diſſertatione 1. *pag.* 410.

Quæres 2. *Quotuplex ſit objectum ſpei?*

Reſp. Duplex, materiale & formale. *Materiale*, eſt res quæ ſperatur. *Formale*, eſt motivum propter quod ſperatur.

Quæres 3. *Quodnam ſit objectum materiale ſpei?*

Reſp. Objectum materiale *primarium*, eſt Deus poſſidendus: quia Deus poſſidendus primario & per ſe a ſpe expectatur, & cætera media ſalutis non niſi propter Deum poſſidendum expectantur. *Secundarium* vero ſunt omnia media ad Deum poſſidendum neceſſaria,

quia

quia eodem actu, quo finis efficaciter appetitur, media etiam, ſaltem implicite, appetuntur.

Quæres 4. *Quodnam ſit objectum formale quod ſpei?*

Reſp. Objectum formale quod ſpei, *ſpectatæ prout eſt amor noſtræ beatitudinis*, eſt bonitas Dei relative ad nos, quia illa bonitas eſt id quo movemur & excitamur ad amandum Deum amore ſpei: ſperans enim amat Deum, quatenus eſt ſuum bonum, finiſque ſuus ultimus. *Spectata vero ut eſt tendentia in beatitudinem*, eſt omnipotentia Dei auxiliatrix nobis propter merita Chriſti promiſſa, quia eſt id quo movemur & excitamur ad Deum, ut ſummum noſtrum bonum, certa cum fiducia expectandum: ita D. Thom.

Quæres 5. *In quibus ſpes non reperiatur?*

Reſp. 1. *Non reperitur in damnatis*, Prov. 8. *mortuo homine impio, nulla erit ultra ſpes:* ſunt enim certi de ſua æterna damnatione. 2. *Non eſt in beatis*, quia gloriam eſſentialem poſſident, *ſpes* autem *quæ videtur non eſt ſpes*, Roman. 8. 3. *Non eſt in hæreticis*, quia non habent fidem, quæ eſt fundamentum ſpei.

Quæres 6. *In quibus ſpes reperiatur?*

Reſp. Reperitur 1. *In animabus Purgatorii*, quia in eis remanet fides, quæ eſt fundamentum ſpei. 2. *Remanet in catholicis impiis:* quia quodlibet peccatum non opponitur ſpei, ſed ſola deſperatio.

Quæres 7. *Utrum ſpes locum habeat in juſtis perfecta charitate præditis?*

Reſp. affirm. Ut contra Quietiſtas definivit Innoc. XI. & contra Semiquietiſtas Innocent. XII. nam 1. Perfectiſſimus quiſque tenetur recitare orationem dominicam & Deo dicere: *Adveniat regnum tuum*. 2. In quolibet, etiam

perfectiſſimo, eſt fiducialis expectatio poſſidendi Deum, ſic Moyſes, Hebr. 11. *Aſpiciebat in remunerationem*. David de ſeipſo dicit: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem*. D. Paulus de æterna beatitudine loquens, *Rom.* 8. ait: *Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus*. 3. Omnibus juſtificatis vita æterna, tanquam merces, proponi debet, ut definivit Conc. Trident. *ſeſſ. 6. cap. 16. de ref.*

Objicies: In actu ſpei reperitur *proprium intereſſe creaturæ*; ergo repugnat ſtatui juſtorum perfectorum.

Reſp. diſt. ant. Reperitur proprium intereſſe creaturæ, quod ad Dei gloriam ultimo referatur, *conc.* quod ad Dei gloriam ultimo non referatur, *nego*.

Inſt. Homo per actum ſpei, Deum ad ſe refert; ergo actus ſpei eſt vitioſus, proindeque repugnat ſtatui perfectorum.

Reſp. diſt. antec. Deum ad ſe refert, ut ad objectum cui poſſeſſionem Dei optat, *conc.* ut ad finem ultimum, *nego*. Homo enim, dum Deo frui deſiderat, refert ſe ad Deum, ut ad finem ſuum ultimum, quo obtento nihil amplius deſiderat.

Quæres 8. *Utrum ſpes ſit certa?*

Reſp. Eſt certa ex parte Dei, Eccl. 2. *Scitote quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt*. Sed eſt incerta ex parte noſtri, quia pendet ex conditione cuſtodiæ mandatorum Dei uſque in finem, de qua certi eſſe non poſſumus, abſque ſpeciali Dei revelatione: unde Apoſt. *Philipp.* 2. monet: *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini*.

Quæres 9. *Utrum actus ſpei ſit neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem?*

Reſpond. affirmat. Nam, Roman. 8. dicitur:

Spe

Spe ſalvi facti ſumus. Hinc Concil. Trident. inter actus ad juſtificationem adultorum ſimpliciter prærequiſitos, actum ſpei recenſet.

Quæres 10. *Utrum actus ſpei ſit neceſſarius neceſſitate præcepti divini?*

Reſp. affirmat. Nam 1. ad Tim. 6. *Divitibus hujus ſeculi præcipe . . . neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo*. Hinc Alex. VII. & Clerus Gallic. *ann.* 1700. hanc prop. damnarunt: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore, tenetur elicere actum fidei, ſpei & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Quæres 11. *Quænam peccata ſint ſpei oppoſita?*

Reſp. Duo, nempe, *deſperatio*, quæ eſt, *voluntaria diffidentia aſſequendi beatitudinem, & obtinendi media ad illam aſſequendam neceſſaria*. Et *præſumptio*, quæ eſt, *temeraria beatitudinis, & mediorum ad eam aſſequendam neceſſariorum, expectatio*. Poteſt autem oriri, aut ex hæretica opinione, vel Pelagianorum, docentium quod per ſolas naturæ vires vitam æternam promereri poſſimus; vel Lutheranorum, aſſerentium quod fide ſola ſine operibus juſtificentur & ſalventur. Aut ex deſidia malorum Chriſtianorum, qui inani ſpe miſericordiæ Dei peccant, vel pœnitentiam ad finem vitæ differunt.

DISSERTATIO III.

De Charitate.

Quæres 1. QUid ſit charitas?

Reſp. Eſt, *virtus theologica infuſa, qua Deum ſuper omnia diligimus propter ſe & pro-*

& proximum ſicut nos propter Deum .... Dicitur 1. *Super omnia*, non quidem *intenſive*, ita ut voluntas ſummo ardore & conatu in Deum tendat: ſed *appretiative*, ita ut homo Deum rebus omnibus anteponat ...... Dicitur 2. *Et proximum*, quo nomine intelligitur, quicumque nobiſcum capax eſt gratiæ & gloriæ ... Dicitur 3. *Propter Deum*, ita ut Deus in proximo ametur.

Ergo objectum *materiale* charitatis adæquatum, eſt Deus, nos ipſi, & proximus: objectum vero *formale*, eſt bonitas & amabilitas Dei, quia eſt motivum propter quod charitas tendit in objectum ſuum materiale.

Agemus 1. De præcepto & ordine charitatis. 2. De officiis ejus. 3. De vitiis charitati oppoſitis.

§. I. *De præcepto & ordine charitatis.*

Quæres 1. *Utrum præceptum charitatis ergà Deum, ſit ſpeciale, & ab aliis diſtinctum?*

Reſp. Eſt ſpeciale; nam 1. *Deuteron.* 6. traditur ſeorſim ab aliis præceptis, 2. Reſpectu aliorum mandatorum dicitur *maximum & primum*, Matth. 22. Item, *Joann.* 14. dicitur: *In his duobus præceptis* (dilectionis Dei & proximi) *univerſa Lex pendet & Prophetæ*: ſed nihil reſpectu ſui ipſius poteſt eſſe primum, nec a ſeipſo pendere; ergo. Hinc Clerus Gallic. *ann.* 1700. damnavit hanc prop. *Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi non eſt ſpeciale, ſed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem ſatisfit.*

Quæres 2. *Utrum ſemper & pro ſemper obliget præceptum charitatis, ita ut teneamur omnia prorſus opera noſtra ad Deum ex motivo proprie dicta charitatis referre?*

Reſp.

Reſp. negative: Alias omnes noſtræ actiones, quæ non referrentur ad Deum ex motivo charitatis proprie dictæ, eſſent peccata, quod eſt falſum, ut conſtat tum ex Conc. Trid. *ſeſſ. 6. can. 31.* definiente, *Juſtificatum non peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur.* Et ex Alex. VIII. qui hanc propoſ. damnavit: *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu, Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.* Sic etiam damnata eſt propoſ. 14. Queſnelli.

Objicies: Tenemur omnes actus noſtros ad Deum referre ex præcepto charitatis & ex motivo charitatis.

Reſp. nego conſeq. Nam ex præcepto charitatis tenemur per actus fidei & ſpei nos diſponere ad charitatem, nec tamen tenemur hoſce actus elicere ex motivo charitatis: ſufficit ergo ut actus noſtros referamus ad Deum ex fine honeſto & rationabili, faciendo opus, quod ex natura ſua referibile ſit ad charitatem, ait D. Thom. *2. 2. q. 19. art. 6.*

Quæres 3. *Quandonam obliget præceptum charitatis?*

Reſpond. Obligat 1. Cum quis, moraliter loquendo, uſum rationis attigit; ita docet Div. Thom. 2. In probabili mortis periculo: tunc enim tuto quiſque ſaluti ſuæ conſulere debet. 3. Cum neceſſarius judicatur ad vitandum peccatum, aut vincendam gravem tentationem. 4. Sæpiſſime in decurſu vitæ: nam, *Deut. 6.* præceptum dilectionis Dei nocte & die, in domo & in itinere, debet eſſe in corde noſtro; ergo crebro eſt implendum. Hinc Alex. VII. & Clem. XI. damnarunt propoſitiones ſequentes.

1. *Præceptum amoris Dei, per ſe tantum obligat in articulo mortis.* 2. *An peccet mortaliter.*

ter qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus. 3. Probabile eſt ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis, per ſe obligare præceptum charitatis in Deum. 4. Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam qua juſtificari poſſimus.

Quoties autem per annum obliget, *per ſe*, non poteſt facile determinari: non tamen infundata eſt opinio Scoti aſſerentis obligare ſingulis dominicis diebus ac feſtis, juxta illud D. Auguſt. lib. 12. de Trinit. capit. 14. *Quis vero eſt cultus ejus, niſi amor ejus?*

Quæres. 4. *Quomodo debemus diligere proximum?*

Reſpond. Actu benevolentiæ interno: nam debemus illum diligere ſicut nos ipſos; atqui haud dubie nos ipſos diligimus affectu interno; ergo. Hinc Innoc. XI. hanc prop. damnavit. *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

Quæres. 5. *Quandonam obliget præceptum dilectionis proximi?*

Reſp. 1. Obligat *per ſe* ſæpius in vita, quia ſimile eſt præcepto dilectionis Dei, Matth. 22. *Secundum autem*, mandatum, *ſimile eſt huic*; atqui præceptum dilectionis Dei obligat *per ſe* ſæpius in vita.

Reſp. 2. Obligat *per accidens*. 1. Dum urget gravis tentatio odii, quæ abſque actu dilectionis ſuperari non poteſt. 2. Dum videmus proximum gravi injuria affici. 3. Dum ex præcepto charitatis debemus proximo ſuccurrere.

Quæres. 6. *An illud præceptum ſe extendat ad inimicos?*

Reſp. affirm. Matth. 5. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros; benefacite his qui oderunt vos*, &c. Hinc inimicis debemus 1. Ex cor-

corde remittere offenſam. 2. Ex interno affectu exhibere *communia* dilectionis *ſigna*. 3. Opitulari in neceſſitate. 4. Damnum ipſis imminens avertere, dum ſine gravi noſtro incommodo poſſumus. 5. Dare condonationis ſigna ubi primum veniam petunt, niſi offenſus ſit ſuperior, qui, correptionis & aliorum exempli cauſa, poteſt externa condonationis ſigna differre, modo in corde dimittat, & charitatem ſervet. 6. Non tenetur tamen læſus remittere actionem injuriarum, quia ſolus appetitus vindictæ, non ordo juſtitiæ repugnat charitati.

Quæres 7: *An, & quotuplex ſit ordo in charitate?*

Reſp. Eſt aliquis ordo in charitate Cant. 2. *Ordinavit in me charitatem*. Ille autem ordo duplex eſt, *dilectionis* nimirum, & *beneficii*. Primus petitur ex dignitate objecti, unde meliora magis amari debent. Secundus petitur ex indigentia perſonæ cui ſubvenitur, ita ut illi, qui nobis ſunt conjunctiores, præferantur cæteris. Hic:

1. *Ordine dilectionis*, Deus eſt ſuper omnia diligendus, quia eſt infinite bonus. 2. Creaturæ ſanctiores præ cæteris ſunt diligendæ, quia ſunt Deo conjunctiores. 3. Anima noſtra præ corpore, quia eſt dignior.

2. *Ordine beneficii*, tenemur magis nos diligere quam proximum in eodem genere bonorum: quia dilectio noſtri eſt regula dilectionis proximi; atqui regula eſt prior regulato... Dixi: *In eodem genere bonorum*, quia tenemur propriam vitam corporalem exponere pro æterna proximi ſalute, ſi ſit in extrema ſalutis neceſſitate. 1. Joann. 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*.

3. *Eodem ordine beneficii*, cum omnibus in pari.

pari neceſſitate conſtitutis non poſſumus ſuccurrere, ii ſunt præferendi, qui nobis ſanguine vel amicitia ſunt conjuncti, juxta gradum & rationem conjunctionis: quia hoc dictat natura rationalis quam charitas non deſtruit, ſed perficit.

§. II. *De Officiis Charitatis.*

Quæres 1. *Quanam ſint officia charitatis?*
Reſpond. Sunt opera miſericordiæ, tum corporalia, tum ſpiritualia.

Quæres 2. *Quot ſint opera miſericordiæ?*
Reſp. Sunt 14. quorum ſeptem priora ſunt corporalia, ſeptem poſteriora ſunt ſpiritualia quæ comprehenduntur his verſibus:

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Conſule, carpe, doce, ſolare, remitte, fer, ora.

Quæres 3. *Utrum correptio fraterna cadat ſub præcepto?*
Reſp. Cadit ſub præcepto, tum *naturali*, eſt enim eleemoſyna ſpiritualis, quæ cadit ſub præcepto dilectionis proximi. Tum *poſitivo divino*, Eccl. 19. *corripe amicum . . . ne forte iteret.* Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Porro præceptum illud eſt univerſale: unde 1. Nemo, correptioni faciendæ idoneus, ab ea facienda immunis eſt, Eccl. 17. *Mandavit unicuique de proximo ſuo.* 2. Non ſolum æquales, ſed & ſuperiores ſunt corripiendi, magis tamen obſecrando, quam arguendo, juxta illud

1. ad Tim. 5. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra, ut Patrem.*

Quæres 1. *Quænam conditiones requirantur, ut quis ad fraternam correptionem obligetur?*

Reſp. Sex. 1. Ut conſtet de peccato proximi, præſertim mortali. 2. Ut conſtet proximum nondum reſipuiſſe. 3. Ut ſit probabilis ſpes emendationis, quia nemo ad actum inutilem tenetur. 4. Ut nullus adſit magis idoneus, v. g. dignior vel ſuperior, qui poſſit & velit corripere, nam ſi nollet, perinde eſſet ac ſi nullus adeſſet. 5. Ut non ſperetur tempus correptionis magis opportunum; in hoc enim caſu eſſet differenda. 6. Ut materia correptionis ſit neceſſaria, qualis eſt reſpectu privati peccatum mortale.

Quæres 5. *Quis ordo ſervandus ſit in correptione fraterna?*

Reſpond. Sub gravi peccato, debet, per ſe loquendo, ſervari ordo a Chriſto præſcriptus, *Matth.* 18. Unde ſi ſufficiat ſecreta admonitio, non ſunt adhibendi teſtes; ſi teſtis unus ſufficiat, non ſunt plures adhibendi; ſi teſtes non ſufficiant, deferendum eſt peccatum ad Superiorem, ut illud pro ſua auctoritate compeſcat.... Dixi *per ſe loquendo*; quia excipiuntur quatuor caſus, in quibus peccatum proximi immediate deferendum eſt Superiori: 1. Quando crimen eſt publicum, 2. Quando vergit in grave aliorum detrimentum ſpirituale vel corporale. 3. Quando prudenter judicatur privatam monitionem non profuturam, quia tunc delinquens eget correptione Superioris. 4. Quando proximus ceſſit juri ſuo ad propriam famam, quomodo fit in Societate Jeſu.

Quæres 6. *Utrum detur præceptum eleemoſynæ?*

Reſpond. affirmat. 1. Joann. 3. *Qui habuerit ſub-*

ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Ergo facienda eſt eleemoſyna eis qui ſunt in neceſſitate,

Quæres 7. *Quotuplex ſit neceſſitas?*

Reſp. Triplex, nempe, *Extrema*, quando proximus eſt in periculo mortis. *Gravis*, quando proximus e ſuo ſtatu caderet, niſi ei ſubveniretur. *Communis*, qualis eſt pauperum ordinariorum. 1. Pauperibus extremam neceſſitatem patientibus ſubveniendum eſt ex bonis ſuperfluis ad vitam, licet neceſſariis ad ſtatus decentiam. 2. Pauperibus in gravi neceſſitate conſtitutis ſubveniendum eſt ex bonis ad integram ſtatus decentiam aliqualiter neceſſariis, alias non amaret proximum ſicut ſeipſum. 3. Pauperibus in communi tantum neceſſitate conſtitutis, ſubveniendum eſt ex ſuperfluis ſtatus & conditionis: unde D. Thom. 2. 2. *qu.* 87. *artic.* 1. *ad* 4. ait: *Dominus omnia ſuperflua pauperibus jubet exhiberi, juxta illud Lucæ* 11. Quod ſupereſt, date eleemoſynam.

§. III. *De vitiis charitati oppoſitis.*

Quæres 1. *Quot ſint peccata charitati ſpecialiter oppoſita?*

Reſpond. Decem a D. Thom. a quæſt. 34. ad quæſtionem 44. recenſentur; nempe 1. *Odium* Dei & proximi, quod opponitur amori Dei & proximi. 2. *Acedia*, quæ opponitur gaudio de bono Dei. *Invidia*, quæ gaudio de bono proximi adverſatur; *diſcordia*, *contentio*, *ſchiſma*, *bellum injuſtum*, *rixa*, *ſeditio*, quæ paci & charitati opponuntur; & tandem, *ſcandalum*, quod correptioni fraternæ adverſatur.

Quæres 2. *Quid ſit ſcandalum?*

Reſp.

Reſp. Definitur a D. Thom. q. 43. artic. 1. *Dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis*. Non ergo requiritur ut dictum vel factum, ſit malum ſed ſufficit ut habeat ſpeciem mali, nec requiritur ut ruina ſequatur, ſed ſufficit ut occaſio ruinæ præbeatur.

Quæres 3. *Quotuplex ſit ſcandalum?*

Reſp. Duplex, nempe, *activum*, ſeu, *datum*, quod mox definivimus; & *paſſivum*, ſeu *acceptum*, & eſt ipſa ruina ſequens ex ſcandalo dato.

Quæres 4. *Quotuplex ſit ſcandalum activum?*

Reſp. Duplex, nempe, *directum*, quo quis dictis vel factis proximum in ruinam inducere intendit; v. g. in fornicationem; & *indirectum*, quo licet quis non intendat expreſſe proximum ad peccatum inducere, nonnulla dicit vel facit quæ aliis ſunt occaſio peccandi.

Quæres 5. *Quotuplex ſit ſcandalum paſſivum?*

Reſpond. Duplex, nempe, *phariſaicum*, quod oritur ex ſola malitia accipientis, propter dictum vel factum alterius rectum; & *ſcandalum puſillorum*, quod oritur ex ignorantia aut infirmitate accipientis, propter dictum vel factum alterius rectum, vel indifferens.

Quæres 6. *Utrum ſcandalum datum, ſit peccatum?*

Reſp. Scandalum etiam indirecte datum, eſt peccatum mortale ex genere ſuo, & quidem diſtinctum a mala actione, quæ occaſionem ruinæ ſpiritualis præbet; quia graviter peccat contra charitatem proximi, cui eſt occaſio ruinæ ... Hinc peccant mortaliter contra caſtitatem & charitatem proximi, qui imagines nudas faciunt, aut palam exponunt. Qui agunt comœdias obſcenas, &c.

Quæ-

Quæres 7. *Utrum ad vitandum ſcandalum phariſaicum, dimittenda ſint bona temporalia, aut etiam ſpiritualia?*

Reſp. negat. Quia Chriſtus, *Matth.* 15. docet ſcandalum phariſaicum eſſe contemnendum; *Sine illos, cæci ſunt.*

Quæres 8. *Quid debeat omitti ad vitandum ſcandalum infirmorum?*

Reſpond. Debent omitti 1. Actiones indifferentes, *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem*, ait Apoſtol. 2. Opera conſilii, quia, cum non ſint neceſſaria ad ſalutem, poſſumus illa omittere ſine gravi noſtro incommodo; atqui lex charitatis exigit, ut fratri, in neceſſitate ſpirituali conſtituto, ſubveniamus, cum ſine gravi noſtro incommodo poſſumus; ergo. 3. Etiam probabilius debent omitti præcepta affirmativa, quia ea deſerviunt charitati; ergo non obligant in circumſtantiis, in quibus charitas dictat eſſe omittendam hic & nunc eorum obſervantiam, ut ſuccurratur ſpirituali proximorum neceſſitati. Sic mulier quæ prævidet ſe turpiter concupiſcendam ſi eat ad Sacrum tali die feſto, debet illud omittere, ſaltem ſemel & iterum: non poteſt tamen longo tempore abeſſe, quia inde oriretur ſcandalum, & grave damnum ſpirituale, quod non tenetur ſubire ad vitandum peccatum alterius.

Quæres 9. *Utrum liceat alteri vendere aut dare rem de ſe licitam, qua prævidetur male uſurus?*

Reſpond. Non licet; quia quiſque tenetur ex charitate impedire peccatum proximi, ſaltem cum poteſt ſine gravi ſuo incommodo.

Quæres 10. *Utrum ex gravi cauſa liceat alteri dare rem, aut operam ex ſe licitam aut indifferentem, quæ tamen ſpectatis circumſtantiis ad peccatum ordinatur?*

Reſ-

Reſpond. Si proxime ad peccatum ordinentur, non licet, ut definivit Innoc. XI. propoſ. 51. quia eſt moraliter & proxime cooperari peccato alieno. Si remote tantum ordinentur ad peccatum, licet, quia tunc non eſt moraliter cooperari peccato alieno, ſed ſolum illud permittere ex gravi cauſa, ob quam non tenetur illud impedire, niſi ſit contra bonum commune, aut Eccleſiæ: quia bonum commune præponderat bono privati.

TRACTATUS XIV.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Quæres 1. QUid ſit Religio?

Reſp. Eſt, *virtus moralis, per quam Deo, tanquam primo rerum omnium principio, cultus exhibetur.* Non eſt ergo virtus Theologica, quia pro objecto immediato non habet Deum, ſed cultum Deo debitum.

Quæres 2. *Quinam ſint actus Religionis?*

Reſp. Interni, ſunt divotio & oratio: externi, ſunt votum & juramentum, de quibus, ſicut & de vitiis Religioni oppoſitis, agemus.

§. I. *De devotione & oratione.*

Quæres 1. *Quid ſit devotio?*

Reſp. Eſt, *volitio efficax tradendi ſe prompte ad ea quæ pertinent ad cultum Dei.* Unde eſt generalis actus religionis, a quo cæteri omnes informari debent.

Quæres 2. *Quid ſit oratio?*

Reſp.

Reſp. Eſt, *actus religionis, quo res decentes a Deo poſtulamus*, ſive immediate, ſive mediante ſanctorum interceſſione.

Quæres 3. *Quotuplex ſit oratio?*

Reſp. Duplex, nempe, *mentalis*, quæ ſola mente funditur. Et *vocalis*, quæ non ſola mente, ſed etiam ore exprimitur; ergo ut ſit vera oratio, mentalem neceſſario includit.

Quæres 4. *Quotuplex ſit oratio vocalis?*

Reſp. Duplex, nempe, *privata*, quæ fit a perſona privata & privato nomine: & *publica*, quæ fit a communitate, vel a miniſtro Eccleſiæ, nomine communitatis: hæc eſt præſtantior & præferenda, quia Chriſtus, *Matth.* 18. promittit ſpecialem aſſiſtentiam iis, qui, ad orandum, in unum conveniunt.

Quæres 5. *Quot ſint neceſſaria, ut oratio pie fiat?*

Reſp. Tria. 1. *Præparatio*, tum *remota*, quæ conſiſtit in accurata legis obſervantia, tum *proxima*, quæ in hoc conſiſtit ut oraturus imploret divinum auxilium, & curam aliorum operum, quantum fieri poteſt, deponat, foreſque diligenter occludat alienis cogitationibus. 2. *Attentio*, ſive ad ſenſum orationis, ſive ad Deum: porro debet ſaltem eſſe virtualis, ut dictum eſt Tract. de Horis canonicis. 3. *Perſeverantia*, juxta illud Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere.*

Quæres 6. *Utrum oratio ſit neceſſaria?*

Reſp. Eſt neceſſaria, neceſſitate tum præcepti, tum medii, Matth. 7. *Petite, & accipietis*: dicendo, *petite*, præceptum imponit, ait D. Thom. & addendo: *Accipietis*, medium neceſſarium, ad obtinenda auxilia ad ſalutem neceſſaria, demonſtrat.

Quæres 7. *Pro quibus ſit orandum?*

Reſp. Pro omnibus qui nondum ſunt in termino,

mino, 1. ad Tim. 2. *Obſecro fieri orationes pro omnibus hominibus.*

§. II. *De Voto.*

Quæres 1. *Quid ſit votum?*

Reſp. Definitur: *Promiſſio deliberata & ſpontanea, Deo facta, de bono meliori ac poſſibili.* ..... promiſſio ergo debet eſſe 1. *Deliberata*, id eſt, facta cum ea rationis advertentia quæ ad peccatum mortale neceſſaria eſt. 2. *Spontanea*, id eſt, abſque errore & metu gravi injuſte incuſſo ad extorquendum votum. 3. *Deo facta*, quia eſt cultus latriæ, qui ſoli Deo exhiberi poteſt. 4. *De meliori bono*, id eſt; quod non ſit impeditivum majoris boni. 5. *Et poſſibili*, quia nemo ad impoſſibile obligari poteſt.

Quæres 2. *Quomodo dividitur votum?*

Reſp. Dividitur, in *reale*, quo promittitur res aliqua, v. g. eleemoſyna: vel actio exercenda per alium, v. g. peregrinatio exercenda per alium. *Perſonale*, quo promittitur actio voventis propria, v. g. jejunium. Et *mixtum*, quo promittitur propria actio & res aliqua, v. gr. diſtributio bonorum ſuorum cum ingreſſu religionis ..... votum *perſonale* ſolum voventem obligat, nec per alium impleri poteſt & debet; *reale* ad hæredes tranſit, ſicut & *mixtum* qua parte eſt reale.

Quæres 3. *Quomodo dividitur votum perſonale?*

Reſp. Dividitur in *ſolemne*, quod ab Eccleſia approbatum ac in perpetuum acceptatum eſt. Et *ſimplex*, quod emittitur abſque acceptatione Eccleſiæ, ſaltem in perpetuum: ſic vota ſcholarium Societatis Jeſu ex Greg. XIII. ſunt ſimplicia, quia non ſunt in perpetuum acceptata.

Quæres 4. *Qumodo dividitur votum ſimplex?*

Reſp. In *abſolutum*, quod ſine ulla conditio-

ne; & *conditionatum*, quod ſub aliqua conditione emittitur, v. g. voveo talem eleemoſynam, ſi pater convaluerit.

Quæres 5. *An ſit obligatio adimplendi voti?*

Reſp. affirm. Juxta illud Pſ. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro*. Illa autem obligatio eſt gravis in re gravi, & levis in re levi. Porro materia voti cenſetur gravis, quæ, ſi præciperetur ab Eccleſia, obligaret ſub mortali.

Quæres 6. *Quot modis poſſit ceſſare voti obligatio?*

Reſp. Tribus, irritatione, diſpenſatione, & commutatione.

Quæres 7. *Quid ſit irritatio voti?*

Reſp. Eſt, *Annullatio facta ab eo, cujus poteſtati dominativa ſubjecta eſt perſona vovens*, & tunc irritatio eſt directa, *vel materia voti*, & tunc eſt indirecta: ſeu potius eſt ſuſpenſio voti.

Quæres 8. *Quænam vota irritari poſſint?*

Reſp. Ea quæ ſunt in præjudicium tertii.

Quæres 9. *Quinam poſſint irritare vota directe?*

Reſp. Poſſunt irritare vota tum realia, tum perſonalia. 1. *Superior*, reſpectu ſuorum ſubditorum. 2. *Pater*, (& in ejus defectum avus, tutor) reſpectu filiorum impuberum, quia, ex diſpoſitione juris, illorum vota includunt hanc conditionem: *Niſi ſuperior, vel pater contradixerit*.

Quæres 10. *Quinam poſſint irritare vota indirecte?*

Reſp. 1. *Pater*, poteſt irritare vota filiorum puberum, quæ obſunt gubernationi familiæ. 2. *Herus*, vota famulorum quæ impediunt, vel minuunt debitum obſequium. 3. *Maritus*, vota uxoris, etiam ante matrimonium emiſſa, quæ officiunt uſui matrimonii, proli educandæ, & gubernationi familiæ; & viciſſim, *uxor* po-

poteſt irritare vota mariti in his, quæ thorum ſpectant.

Quæres 11. *An irritatio voti, facta ſine cauſa, ſit valida?*

Reſpond. affirm. Quia Deus non acceptat quæ ipſi offeruntur cum alterius injuria; illicita tamen eſt, cum ſit abuſus poteſtatis contra bonum proximi & honorem Dei.

Quæres 12. *Quinam poſſint diſpenſare a votis?*

Reſp. Soli qui habent juriſdictionem ſpiritualem in foro externo, quia hæc poteſtas pertinet ad externam Eccleſiæ gubernationem: tales ſunt Papa reſpectu omnium fidelium; Epiſcopus, & alii qui habent juriſdictionem Quaſi Epiſcopalem reſpectu ſuorum ſubditorum..... ſunt tamen 5. Vota ex conſuetudine Papæ reſervata, nempe, *votum caſtitatis perpetuæ; religionis approbatæ, & triplicis peregrinationis, Jeroſolymitanæ, Compoſtellæ, & Romanæ ad limina Apoſtolorum.* In his tamen poteſt Epiſcopus diſpenſare quando eſt neceſſitas, nec patet facilis ad Papam recurſus.

Quæres 13. *Quinam poſſint commutare vota?*

Reſp. Ipſe vovens poteſt commutare ſuum votum in aliud certo melius & ſuæ ſaluti utilius: ſed requiritur auctoritas ſuperioris ut commutetur in bonum minus, quia tunc intercedit partialis diſpenſatio; vel in bonum æquale, quia res fuit promiſſa in ſpecie; ergo alia, niſi ſit melior, ſolvi nequit ſine conſenſu creditoris, nempe Dei, cujus vices gerit prælatus.

Quæres 14. *Utrum ad valorem diſpenſationis, & commutationis in aliud bonum minus aut æquale, requiratur juſta cauſa?*

Reſp. affirm. Quia prælati nihil poſſunt circa jura Dei, niſi ſecundum ejus voluntatem rationabiliter præſumptam, quæ eſt ut non

concedatur diſpenſatio, nec commutatio ſine cauſa, cum ſit contra fidem datam, honorem Dei, & bonum animarum. Cauſæ autem juſtæ diſpenſandi, ſunt neceſſitas, aut major utilitas ſpiritualis voventi, & utilitas Eccleſiæ, vel reipublicæ.

§. III. *De juramento.*

Quæres 1. *Quid ſit Juramentum?*

Reſp. Eſt, *Atteſtatio divini nominis ad fidem faciendam, aut promiſſionem firmandam* . . . invocari autem poteſt divinum nomen 1. Explicite & in ſe, v. g. *Deum teſtor. Per Deum ita eſt.* 2. Implicite, jurando per creaturas, cælum, templum, &c. Quatenus Deus in eis relucet ac præſidet.

Quæres 2. *Quomodo dividatur juramentum?*

Reſpond. Dividitur in *aſſertorium*, quo res aliqua præſens aut præterita affirmatur, vel negatur. *Promiſſorium*, quo firmatur promiſſio rei præſtandæ, &, *Execratorium*, quo Deus invocatur in teſtem ſimul & vindicem, ſi falſa ſit aſſertio, vel promiſſio: v. gr. *Auferat me diabolus*, vel *puniat me Deus, ſi res non ita ſit, &c.*

Ergo jurat qui dicit: *Coram Deo loquor: Deus ſcit quod non mentior: Deus videt*, &c. Ordinarie vero non jurat qui dicit: *Per meam fidem. Fide viri probi. Fide Sacerdotis*, &c. Nam ordinarie ſumuntur pro fide humana quam vir probus, Sacerdos, in verbis, vel promiſſis adhibere debet. Dixi: *Ordinarie;* quia ſi quis per illas formulas intendit jurare, de facto jurat: unde intentio loquentis eſt attendenda.

Quæres 3. *Utrum juramentum ſit licitum?*

Reſpond. Eſt licitum, ſi debitis fiat conditionibus,

nibus, quia eſt actus religionis, quo jurans implicite teſtatur Deum eſſe omniſcium.

Objicies: Chriſtus, *Matth.* 5. damnat omne juramentum: *Ego autem dico vobis non jurare omnino;* ergo, &c.

Reſp. nego ant. Particula *omnino*, ſumitur pro ſine cauſa, ſine neceſſitate, *illud quod dictum eſt*, omnino, inquit D. Auguſt. lib. de mendacio, cap. 5. *Intelligendum eſt, ut, quantum in te eſt, non ames jusjurandum.*

Inſtab. Chriſtus addit: *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non; quod autem abundantius eſt, a malo eſt;* ergo.

Reſp. diſt. ant. A malo eſt illius cui juratur, *conc.* a malo eſt jurantis, *nego.* Ita D. Auguſt. in Serm. Domini in monte, cap. 30. *Itaque*, inquit, *non dixit:* quod amplius eſt, malum eſt, *ſed* a malo eſt: *Tu enim non malum facis, qui bene uteris juramento ut alteri perſuadeas quod utiliter perſuades, ſed a malo eſt illius, cujus infirmitate cogeris jurare.*

Quæres 4. *Quot requirantur conditiones, ut juramentum ſit licitum?*

Reſp. Tres, ex Jerem. 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia.*

Ad veritatem requiritur in juramento aſſertorio, ut jurans prudenter judicet verum eſſe quod jurat, licet forſan ſit falſum: & in juramento promiſſorio, ut jurans ſincere facere intendat quod jurat. Qui jurat ſine veritate eſt perjurus, & peccat mortaliter, etiamſi res aſſerta aut promiſſa ſit levis: nam invocare Deum in teſtem falſitatis, eſt gravis injuria ... item perjurium eſt, jurare cum reſtrictione mentali, aut æquivocatione, prout definivit Innoc. XI. prop. 26.

Ad juſtitiam requiritur, ut juramentum ſit de re licita, ita ut mortaliter peccaret, qui aſ-

ſumeret Deum in teſtem alicujus peccati, etiam venialis. Talis enim committeret graviſſimam irreverentiam, ut definivit Innoc. XI. prop. 24.

Ad judicium requiritur, ut non juretur ſine neceſſitate. Defectus tamen judicii, eſt tantum peccatum veniale, modo abſit ſcandalum, & pejerandi periculum, quod vix abeſſe poteſt in jurandi conſuetudine; hinc qui in ea verſantur, non ſunt abſolvendi, quin prius emendaverint ſuam pravam conſuetudinem.

Quæres 5. *Quandonam non obliget juramentum promiſſorium?*

Reſp. Non obligat, 1. Cum eſt de re illicita, aut impoſſibili, aut indifferenti, 2. Cum eſt factum per errorem vel dolum circa rei ſubſtantiam, vel circa cauſam finalem & motivam, quia deeſt verus conſenſus. 3. Cum materia jurata facta eſt illicita, vel impoſſibilis, vel notabiliter mutata, ut qui juravit ducere puellam quæ poſtea fornicatur.

Quæres 6. *An obliget juramentum promiſſorium, vi, vel metu extortum?*

Reſp. affirm. Quia licet ſit ſecundum quid involuntarium, eſt tamen ſimpliciter voluntarium, unde naturaliter obligat, nec a jure irritatur, ſicut votum.

Quæres 7. *Utrum quis ex juramento ficto & doloſo obligetur?*

Reſp. 1. Si juret abſque animo jurandi, non obligatur vi juramenti, quia revera non jurat, ſed fingit ſe jurare; peccat tamen mortaliter, quia graviter abutitur nomine Dei. 2. Si juret intentione ſeria jurandi, ſed ſine animo ſe obligandi, eſt perjurus, ſed obligatur vi juramenti, quia obligatio eſt omnino inſeparabilis a juramento promiſſorio.

Quæres 8. *Quomodo tollatur juramenti promiſſorii obligatio?*

Reſp.

Reſp. Tollitur 1. Per remiſſionem illius in cujus favorem præſtitum fuit juramentum, quia ſubſtrahit materiam juramenti. 2. Per irritationem, commutationem & diſpenſationem, eodem modo quo votum, cum hac ſola exceptione quod non poſſit diſpenſari in juramento præſtito, in favorem alicujus, & ab eo acceptato, niſi bonum commune id exigat, vel niſi promiſſarius per injuriam extorſerit juramentum.

Quæres 9. *Utrum liceat exigere juramentum ab eo qui prævidetur pejeraturus?*

Reſp. Non licet, quia exigens nullum emolumentum referret ex eo juramento, utpote contra eum, qui illud exigit, præſtando... Ab ea tamen lege excipitur Judex, qui ad inſtantiam partis juramentum exigit, quia tenetur ex officio adhibere omnia media, quibus ſolet elici veritas, alioquin videbitur prævaricari.

Quæres 10. *Utrum liceat exigere juramentum ab eo qui per falſos deos juraturus eſt?*

Reſp. Licet in gravi neceſſitate, quia non poſtulatur ut per ſua idola juret, ſed ſimpliciter ut juret, quod poteſt licite præſtare: illudque juramentum valet ad faciendam fidem, vel firmandum contractum.

§. IV. *De vitiis religioni oppoſitis.*

Quæres 1. *Quænam vitia religioni opponuntur?*

Reſp. Religioni opponitur per exceſſum ſuperſtitio, & per defectum irreligioſitas.

Quæres 1. *Quid ſit ſuperſtitio?*

Reſpond. Eſt, *cultus falſi numinis, vel veri quidem, ſed indebitus.*

Quæres 3. *Quot ſint ſpecies ſuperſtitionis?*

Reſp. Sunt quinque præcipuæ, ſcilicet, idololatria, divinatio, vana obſervantia, magia, & maleficium.

Quæres 4. *Quid ſit idololatria?*

Reſpond. Eſt, *cultus divinus creaturæ exhibitus*. Eſt graviſſimum læſæ majeſtatis divinæ peccatum.

Quæres 5. *Quid ſit divinatio?*

Reſp. Eſt, *notitiæ divinæ uſurpatio ope dæmonis ad hoc invocati:* ſive, *expreſſe* aliquid videlicet uſurpando cum expreſſa intentione ut dæmon cooperetur. Sive *implicite*, utendo ſcilicet mediis nullam vim ad occultorum notitiam habentibus, neque naturaliter, neque ex inſtituto divino, aut eccleſiaſtico.

Si divinatio fiat *per manes*, id eſt, per mortuos in ſpeciem reſuſcitatos, dicitur *Necromantia*. Si fiat per aſtra, dicitur *aſtrologia judiciaria*. Si fiat *per ſortes*, dicitur *ſors divinatoria*, ſeu ſortilegium, a quo ſortiarii. Si per inſpecta manus delineamenta, dicitur *chiromantia*.

Quæres 6. *Quale ſit peccatum divinatio?*

Reſp. Necromantia eſt peccatum mortale graviſſimum, quia continet expreſſum pactum cum dæmone: aliæ ſpecies divinationis, ſunt peccatum mortale ex genere ſuo, propter tacitum commercium cum dæmone; ergo a mortali excuſat ignorantia & ſimplicitas.

Quæres 7. *Quid ſit vana obſervantia?*

Reſp. Eſt, *ſuperſtitio, qua ad effectum aliquem obtinendum, adhibentur media vana, inutilia, & improportionata*. Si aſſumantur ad ſcientiam repente acquirendam, dicitur, *ars notoria*. Si ad præcavendos funeſtos effectus ex fortuito eventu, dicitur, *obſervantia eventuum*. Si ad ſanitatem obtinendam, vulnera curanda, dicitur *obſervantia ſanitatum*. Si adhibeantur res ſacræ, v. g. preces, verba Scripturæ, reliquiæ, &c. cum certa perſuaſione aliquem effectum extraordinarium obtinendi, puta extinguendi incendium, dicitur, *obſervantia ſacrorum*.

Quær.

Quær. 8. *Quale ſit peccatum vana obſervantia?*

Reſp. Eſt peccatum mortale ex genere ſuo, quia in ea dæmon invocatur, ſaltem tacite & implicite.

Quæres 9. *Quid ſit magia?*

Reſp. Eſt, *ratio operandi mira ope dæmonis*, ad hoc expreſſe vel implicite invocati. Eſt peccatum mortale ex genere ſuo.

Quæres 10. *Quid ſit maleficium?*

Reſp. Eſt, *ratio nocendi aliis ope dæmonis*. Unde peccatum grave contra religionem & juſtitiam. Si magus noceat alicui in propria perſona, aut in animalibus, vocatur *maleficium veneficum*; ſi eum flectat ad amorem carnalem, vel odium, vocatur *philtrum*.

Quæres 11. *Utrum liceat recurrere ad magum, ut maleficium tollat?*

Reſp. Non licet, ſi non poſſit tollere niſi per aliud maleficium, vel ſuperſtitionem, cum ſit intrinſece malum invocare dæmonem: licet vero, ſi tollat per meram deſtructionem prioris maleficii, quia honeſtum eſt deſtruere opera diaboli.

Quæres 12. *Quid ſit cultus indebitus?*

Reſp. Eſt tum, *cultus falſus*, ſive, *in ſe*, v. g. falſarum reliquiarum expoſitio, ſive in ſua ſignificatione, v. g. hodierna uſurpatio Judaicarum cæremoniarum ſignificantium Meſſiam venturum. Tum *cultus ſuperfluus*, a Dei inſtituto alienus, indebitis circumſtantiis cumulatus, v. g. oratio facta tali tempore, loco, ſitu, &c. Eſt ſolum peccatum veniale.

Quæres 13. *Quid ſit irreligioſitas?*

Reſp. Eſt, *peccatum quo Deus in ſe, vel in rebus, vel in perſonis ſacris inhonoratur*. 5. Eſt, nempe tentatio Dei, ſacrilegium, blaſphemia, perjurium, & ſimonia: De perjurio & ſimonia jam egimus.

Quæres 14. *Quid ſit tentatio Dei?*

Reſp. Eſt, *dictum vel factum ad capiendum de Deo experimentum per extraordinarium effectum ab eo temere expectatum*. Eſt peccatum mortale ex genere ſuo, quia gravem erga Deum importat irreverentiam: poteſt tamen eſſe veniale in eo qui non advertit actionem ſuam eſſe tentationem Dei, vel quia res non eſt valde extraordinaria, vel quia periculum eſt parvum.

Quæres 15. *Quid ſit ſacrilegium?*

Reſp. Eſt, *violatio rei ſacræ*. Porro cum triplex ſit ſpecies rei ſacræ, nempe, locus, res, & perſona, triplex eſt ſacrilegium, nimirum locale, reale, & perſonale ..... ſacrilegium eſt peccatum mortale ex genere ſuo, tanto gravius, quanto res, quæ violatur, eſt ſacratior. Poteſt tamen eſſe veniale ob levitatem materiæ, v. g. furtum unius aſſis in Eccleſia.

Quæres 16. *Quid ſit blaſphemia?*

Reſp. Eſt, *contumelioſa in Deum locutio*. Sive immediate, ſive mediate in rebus vel perſonis ſacris, in quibus ſicut laudatur Deus, ſic & contumelia afficitur .... ſi blaſphemia procedat ex infirmitate, eſt *in Patrem*. Si ex ignorantia, eſt *in Filium*. Si ex malitia, eſt *in Spiritum ſanctum*.

Quæres 17. *quotuplex ſit blaſphemia?*

Reſp. Quadruplex, nempe hæreticalis, imprecativa, juratoria, & dehoneſtativa.

Hæreticalis, eſt ea, qua de Deo aliquid contumelioſe affirmatur, v. g. quod ſit injuſtus, crudelis, &c. Vel negatur, v. g. quod ſit omnipotens, providus, &c. Duplicem continet malitiam ſpecificam.

Imprecativa, eſt ea, qua quis Deo malum imprecatur, v. g. *Pereat Deus; utinam Deus non eſſet* &c.

Jura-

Juratoria, eſt ea, qua quis jurando blaſphemat, v. g. *Hoc ita verum eſt, ac verum eſt Deum exiſtere.*

Dehoneſtativa, eſt indecens nominatio membrorum Chriſti, v. g. capitis, ventris, &c.

Quæres 18. *Quale peccatum ſit blaſphemia?*

Reſp. Eſt omnium peccatorum mortalium graviſſimum, nec admittit levitatem materiæ: unde ob ſolam actus imperfectionem poteſt excuſari a mortali.

TRACTATUS XV.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

Quæres 1. QUot ſint virtutes Cardinales *Reſp.* Sunt quatuor: prudentia, fortitudo, temperantia, & juſtitia, de quibus agemus duabus diſſertationibus.

DISSERTATIO I.

De prudentia, fortitudine, & temperantia.

§. I. *De prudentia.*

Quæres 1. QUid ſit prudentia?

Reſp. Eſt, *virtus moralis, qua dignoſcitur quid in quolibet negotio agendum ſit, vel fugiendum.* Unde in alias omnes virtutes generalem habet influxum.

Quæres 2. *Quodnam ſit objectum prudentiæ?*

Reſp. Objectum *materiale*, ſunt actiones humanæ particulares, de quibus judicat an honeſtæ ſint, an turpes, ex quo judicio voluntatem inclinat ad eas amplectendas, vel fugiendas. Objectum *formale* vero, eſt conformitas actionum humanarum cum veritate hic & nunc practica.

Quæres 3. *Quot ſint officia prudentiæ?*

Reſp. Tria, nempe, *bene conſultare*, de honeſtate & inhoneſtate agendorum: *bene judicare*, de mediis pro loco & tempore adhibendis, & *bene imperare* executionem.

Quæres 4. *Quotuplex ſit prudentia?*

Reſp. Duplex, *perſonalis*, quæ ſolum bonum operantis attendit. Et *gubernatrix*, quæ attendit bonum communitatis, vel perfectæ, & dicitur *politica*; vel imperfectæ, & dicitur *œconomica*, qua pater recte regit ſuam familiam.

Quæres 5. *Quænam ſint vitia oppoſita prudentiæ?*

Reſp. Prudentiæ *per defectum* opponuntur *præcipitatio*, *inconſideratio*, *inconſtantia*, & *negligentia*. Per *exceſſum* vero, *prudentia carnis*, *aſtutia*, *ſollicitudo temporalium*, & *ſollicitudo futurorum*.

§. II. *De Fortitudine.*

Quæres 1. *Quid ſit fortitudo?*

Reſp. Eſt, *virtus Cardinalis inclinans voluntatem hominis ad pericula mortis tempore & loco debito aggredienda, & ad labores perferendos pro conſecutione boni neceſſarios.*

Ergo ſubjectum immediatum fortitudinis eſt voluntas, prout eſt appetitus ſenſitivus iraſcibilis.

Ergo duo ſunt actus fortitudinis, nempe, *ardui aggreſſio*, &, *incommodi perpeſſio*.

Ergo objectum materiale fortitudinis ſunt *pericula & labores*: objectum vero *formale* eſt

hone-

honeſtas, quæ in hoc conſiſtit, ut homo circa labores & terribilia moderate ſe gerat, neque timori nimium credendo, neque ultra modum ſe dando audaciæ.

Quæres 2. *Quænam ſint vitia fortitudini oppoſita?*

Reſp. Sunt *temeritas* per exceſſum, & *ignavia* per defectum.

Temeritas, eſt vitium, *quo quis periculis contra rectæ rationis dictamen ſe committit*: ſcilicet quando, ubi, & quomodo non oportet.

Ignavia, eſt vitium, *quo quis ab iis deterretur periculis, quibus ſeſe, pro tempore & loco exponere poteſt & debet*. Utraque ſæpius eſt peccatum mortale.

Quæres. 3. *Quænam ſint virtutes fortitudini annexæ?*

Reſpond. Sunt quatuor, nimirum, *Magnanimitas*, quæ inclinat ad actus heroicos in omni genere virtutum. *Magnificentia*, quæ inclinat ad magna opera magnis ſumptibus efficienda. *Potentia*, quæ firmat animum in tolerantia afflictionum. Et *Perſeverantia*, qua homo, non obſtantibus quibuſcumque malis, in opere incepto firmiter perſeverat.

§. III. *De temperantia*.

Quæres 1. *Quid ſit temperantia?*

Reſp. Eſt, *virtus Cardinalis, qua, juxta rectæ rationis dictamen, moderatur affectum uſumque voluptatum guſtus & tactus*. Hinc ſequitur, objectum *materiale* temperantiæ, eſſe delectationes corporeas; *formale* vero eſſe earumdem uſum honeſtum.

Quæres 2. *Quot ſint vitia temperantiæ oppoſita?*

Reſp. Sunt duo, ſcilicet, *inſenſibilitas* per defectum; & *intemperantia* per exceſſum.

Inſen-

Inſenſibilitas, eſt vitium, *quo quis omnes corporis delectationes, etiam neceſſarias, refugit & averſatur*. Eſt peccatum veniale ex genere ſuo: eſſet tamen mortale, ſi quis per eam refugeret id ad quod graviter obligatur; v. g. ſi quis negaret debitum conjugi exigenti.

Intemperantia, eſt vitium, quo quis voluptates guſtus & venereorum immoderate appetit, rationiſque ac legis divinæ regulam in earum uſu excedit: eſt peccatum mortale ex genere ſuo, ut probabimus ex dicendis de gula & luxuria.

Quæres 3. *Quot ſint ſpecies temperantiæ?*

Reſp. Sunt quatuor, nempe *Abſtinentia*, quæ moderatur affectum, uſumque cibi. *Sobrietas*, quæ moderatur affectum uſumque potus inebriare valentis. *Caſtitas*, quæ cohibet, vel moderatur, appetitum & uſum venereorum. *Pudicitia*, quæ cohibet, vel moderatur oſcula, tactus, amplexus, eorumque delectationem.

Quæres 4. *Quot ſint virtutes temperantiæ annexæ?*

Reſp. Præcipuæ ſunt, manſuetudo, clementia, modeſtia, & eutrapelia.

Manſuetudo, eſt virtus, quæ iram coercet, ne exurgat, niſi quando, quantum, & quomodo oportet.

Clementia, eſt virtus, quæ vindictam coercet, ne ultra debitos fines exiliat.

Modeſtia, eſt virtus, quæ affectus humanos, geſtuſque, & ornatum corporis moderatur ſecundum præſcriptum rectæ rationis.

Eutrapelia, eſt virtus, quæ in recreationibus modum ſervat honeſtum.

DISSERTATIO II.

De Juſtitia.

Quæres 1. QUid *ſit juſtitia?*

Reſp. Definitur a Juriſconſultis, *conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.* Clarius definiri poteſt, *virtus moralis firmans voluntatem ad perpetuo reddendum alteris jus ſuum ad æqualitatem.*

Quæres 2. *Quomodo dividatur juſtitia?*

Reſp. Dividitur in legalem, diſtributivam, & commutativam.

Juſtitia *legalis*, eſt virtus firmans voluntatem privati ad tribuendum reipublicæ debitum, ratione juris alti quod habet in perſonas privatas & eorum bona.

Juſtitia *diſtributiva*, eſt virtus moralis inclinans eum, qui communitati præeſt, ad diſtribuenda officia & bona communitatis juxta cujuſque meritum, ſi ſit remuneratoria, vel ad irrogandas pœnas juxta modum culpæ, ſi ſit vindicativa.

Juſtitia *commutativa*, eſt *virtus inclinans privatum ad reddendum alteri privato debitum rigoroſum ſecundum proportionem arithmeticam;* id eſt, ſecundum æqualitatem rei ad rem, ſolutionis ad debitum, nullo habito reſpectu ad conditionem perſonæ cui fit ſolutio, per quod differt a juſtitia diſtributiva quæ ſervat proportionem *geometricam*, quæ eſt adæquatio proportionis rerum diſtribuendarum cum proportione conditionis & meriti perſonarum, quibus res diſtribui debent.

Quæres 3. *Quænam ſit juſtitia ſtricte ſumpta?*

Reſpond. Sola *commutativa* quæ reddit alteri quod ei ſtricto jure debetur. Unde ex ea ſola or-

ſa oritur obligatio reſtitutionis, non autem ex diſtributiva, niſi quatenùs commutativæ ſocia-tur, quod plerumque contingit.

Quæres 4. *Quodnam eſt objectum juſtitiæ?*

Reſp. Objectum *materiale*, eſt res aut actio alteri debita & reddenda; quia circa illam ita verſatur juſtitia, ut circa eam aliæ quoque virtutes verſari poſſint, cum religio & pietas verſentur circa res Deo & parentibus debitas. *Formale* vero, eſt eadem res prout ſtricte debita & ad æqualitatem reddenda, quia ſub hoc reſpectu ſpeciali ita ſpectatur a juſtitia, ut ſub eodem ab aliis virtutibus non attingatur.

Quæres 5. *Quodnam ſit fundamentum juſtitiæ?*

Reſp. Eſt *jus*. Unde agemus 1. De jure; 2. De contractibus in genere; 3. De contractibus in particulari; 4. De injuſtitia & reſtitutione in genere; 5. De injuria & reſtitutione in particulari.

CAPUT I.

De Jure.

Quæres 1. QUid ſit jus?

Reſp. Eſt legitima facultas ad aliquid faciendum, vel prohibendum, vel obtinendum, vel retinendum, vel eo utendum, vel de eo diſponendum, cujus violatio injuriam conſtituit. Hæc deſcriptio continet omnes juris ſpecies.

Quæres 2. *Quomodo dividatur jus?*

Reſp. Dividitur in *jus in re*, quod quis habet in re jam ſua & obtenta per legitimum titulum, & rei traditionem; & in *jus ad rem*, quod quis habet ut res fiat ſua. *Jus in re* dat actionem realem; *jus ad rem* dat actionem perſonalem.

Quæres 3. *Quot ſint ſpecies juris?*

Reſp.

Reſp. Sex, nempe, uſus, uſufructus, ſervitus, habitatio, ſuperficies, & dominium.

Quæres 4. *Quid ſit uſus?*

Reſp. Eſt jus utendi tantum re aliena, ſalva ejus ſubſtantia. Unde ſimplex uſuarius poteſt quidem uti re aliena pro ſe & ſua familia, quantum quotidiana requirit neceſſitas; ſed non poteſt ipſos fructus vendere, locare, dare, &c.

Quæres 5. *Quid ſit uſufructus?*

Reſp. Eſt jus utendi fruendi re aliena, ſalva ejus ſubſtantia: Unde, uſufructuarius non habet tantum jus utendi re aliena, ſed & *fruendi*, id eſt, percipiendi omnes fructus, quos poteſt vendere, locare, donare, manente apud eum uſufructu, quem non poteſt vendere aut donare abſque conſenſu proprietarii.

Quæres 6. *Quid ſit ſervitus?*

Reſp. Servitus *active* ſumpta, eſt jus quod quis habet in re aliena, ut ſibi ſerviat. *Paſſive* ſumpta, eſt ſubjectio rei alienæ, ut aliquid in ea fiat, vel non fiat in commodum alterius, ſalva rei ſubſtantia.

Quæres 7. *Quid ſint habitatio & ſuperficies?*

Reſp. 1. *Habitatio*, eſt jus habitandi in alienis ædibus, ſalva earum ſubſtantia. 2. *Superficies*, eſt jus quo quis alieni fundi ſuperficiem poſſidet & in eo ædificare poteſt. Habitatio & ſuperficies comprehendi poſſunt ſub uſufructu late ſumpto.

Quæres 8. *Quid ſit dominium?*

Reſp. Eſt, *jus diſponendi de re tanquam ſua, niſi lex, vel pactum obſiſtat.* Sic licet pupillus ſit ſuorum bonorum Dominus, ea tamen non poteſt alienare; unde licet habeat jus de iis diſponendi, illud jus eſt ligatum a lege, & ideo non habet actum diſponendi.

Quæ-

Quæres 9. *Quomodo dividatur dominium?*

Reſp. In *plenum* ſeu perfectum; & *non plenum* ſeu imperfectum.

Dominium *plenum*, eſt jus diſponendi de re, illiuſque fructibus tanquam ſuis.

Dominium *non plenum*, eſt jus diſponendi vel de re ſola, & dicitur *dominium directum*: vel de ſolis fructibus rei, & dicitur *dominium utile*.

Quæres 10. *Quænam requirantur ad acquiſitionem dominii?*

Reſp. Tria, ſcilicet, titulus, traditio rei, & aditio poſſeſſionis.

Quæres 11. *Quid ſit titulus?*

Reſp. Eſt radix unde dominium oritur: Triplex eſt, nempe, *verus*, qui a parte rei ſubſiſtit, talis eſt venditio facta a vero rei Domino. *Coloratus*, qui bona fide creditur verus, licet, ob latentem aliquem defectum, talis non ſit, talis eſt venditio ab eo facta qui rei venditæ merito credebatur Dominus, licet talis non eſſet. *Et præſumptus*, quem jus, ob temporis diuturnitatem, præſumit, cum tamen forte non intervenerit.

Quæres 12. *Quotuplex ſit poſſeſſio?*

Reſp. Duplex, nempe, facti & juris.

Quæres 13. *Quid ſit poſſeſſio facti?*

Reſp. Definitur: *Apprehenſio rei, corporis, animi, & juris adminiculo.*

Dicitur 1. *Adminiculo corporis*: quia ut res aliqua incipiat poſſideri, debet corporaliter apprehendi, vel in ſe; verb. gr. manibus, pedibus, &c. Vel in aliquo inſtrumento in quo cenſeatur contineri, verb. gr. clavium traditione. 2. *Animi*, quia debet apprehendi animo poſſidendi, unde depoſitarius non dicitur poſſidere depoſitum. 3. *Juris*, quia neceſſe eſt ut jus non impediat talem apprehenſionem,

ſicut

ſicut impedit ne Laicus apprehendat rem ſacram.

Quæres 14. *Quid ſit poſſeſſio juris?*

Reſp. Definitur: *Jus inſiſtendi rei tanquam ſuæ, non prohibitâ poſſideri.* Hoc jus oritur ex poſſeſſione facti.

Quæres 15. *Quomodo dividatur poſſeſſio juris?*

Reſpond. Dividitur in *civilem*, qua res, corpore & animo apprehenſa, ſolo animo retinetur: ſic poſſidet res ſuas qui ab eis abeſt. Et *naturalem*, qua res corpore & animo occupatur: ſic poſſidet qui rem de facto occupat per ſe, vel per alium, cum animo eam retinendi, diciturque naturaliter & civiliter poſſidere, & hæc poſſeſſio eſt firmiſſima; aliquando poſſeſſio *naturalis* ſeparatur *a civili*, v. gr. quando fur occupat rem meam, tunc ille *naturaliter* poſſidet, ego *civiliter*.

Quæres 16. *Utrum homo habeat dominium ſuæ famæ?*

Reſp. affirmat. Quia ei competunt primarii actus dominii circa famam, nempe poteſt eam ſibi acquirere, ablatam in judicio repetere, reſtitutionem ejus condonare, *niſi id vergat in alterius detrimentum*, ait D. Thom. *quæſt.* 73. *art.* 4. *ad* 1.

Quæres 17. *An homo habeat dominium vitæ & membrorum?*

Reſp. Habet dominium *utile*, ſed non habet dominium *directum*; ſolus enim Deus *vitæ & necis habet poteſtatem*, Sap. 16. hinc homo non poteſt ſe mutilare, niſi ad conſervationem totius.

Quæres 18. *Quarum rerum filiifamilias, nondum emancipati, habent dominium?*

Nota: Bona filiorum familias, alia ſunt *caſtrenſia*, quæ acquirit in militia, vel obſequio

Prin-

Principis. Alia *quaſi caſtrenſia*, quæ acquirit ex beneficio eccleſiaſtico, vel profeſſione ſcientiæ, aut artis liberalis. Alia *adventitia*, quæ ei, neque a patre, neque intuitu patris obveniunt. Alia *profectitia*, quæ acquirit filius ex bonis patris, vel intuitu patris.

Reſp. 1. Bonorum *caſtrenſium*, & *quaſicaſtrenſium*, habent dominium plenum & perfectum. 2. *Adventitiorum*, habent quidem dominium directum, ſed pater habet uſum fructum & adminiſtrationem. 3. *Profectitiorum*, pater habet dominium plenum & perfectum. Ratio horum omnium, eſt diſpoſitio juris.

Quæres 19. *Quorum bonorum uxores habeant dominium?*

Nota: Bona uxoris, alia ſunt *paraphernalia*, quæ in contractu dotali ſibi reſervavit, vel quæ, contracto matrimonio, acquiſivit, v. gr. donatione, legato, &c. Alia *dotalia*, quæ tradidit marito ad onera matrimonii ſuſtinenda. Alia *communia*, quæ tempore matrimonii communi labore ſunt acquiſita.

Reſp. Jure communi, habent. 1. Bonorum *paraphernalium* dominium plenum. 2. *Dotalium*, habent dominium directum, adminiſtratione & uſufructu remanente penes maritum. 3. *Communium*, habent dominium directum pro dimidia parte, ſed adminiſtratio & uſuſfructus ſunt mariti. Hinc non poſſunt ea ſurripere aut impendere, marito rationabiliter invito.

Quæres 20. *Quomodo acquiratur dominium rerum quæ ſub nullius ſunt dominio?*

Reſp. Vel nunquam habuerunt, aut cenſentur nunquam habuiſſe dominum, vel habuerunt.

Si primum, acquiruntur occupatione. Hinc ſunt

ſunt *primo occupantis*. 1. Animalia omnino fera, in loco publico, & non circumſepto vagantia. 2. Animalia fera, uſu manuſuefacta, ſi amiſerint conſuetudinem ex libera vagatione redeundi in poteſtatem domini, quia naturalem libertatem recuperarunt. 3. Lapilli, gemmæ, ambrarum, coralium, quæ in litore maris inveniuntur.

Si ſecundum, acquiruntur inventione; ſic ſecundum jus naturale & gentium acquiruntur theſaurus & bona derelicta. Dixi, *ſecundum jus naturale & gentium*, quia circa iſta ſunt variæ diſpoſitiones juris civilis Romani & Gallici, quæ obſervandæ ſunt, & quas retulimus in noſtra Theologia.

Quoad rem inventam, certum eſt, quod domino ſit reſtituenda, ſi inveniri poſſit, quia res ſemper clamat pro domino, qui in hunc effectum diligenter inquiri debet. Quod ſi, poſt ſufficientem inquiſitionem, dominus non reperiatur, tunc res inventa pauperibus eſt eroganda, vel in pios uſus conſumenda, ex authent. *Omnes peregrini*.

Quæres 21. *Quomodo acquiratur dominium rerum, quæ ſunt ſub alicujus dominio?*

Resp. Acquiruntur, *volente domino*, per contractus, ut videbimus capite ſequenti; *invito domino*, acquiruntur per præſcriptionem.

Quæres 22. *Quid ſit præſcriptio?*

Reſp. Eſt, *acquiſitio dominii per poſſeſſionem bonæ fidei continuatam tempore per legem definito.*

Quæres 23. *Quænam conditiones requirantur ad legitimam præſcriptionem?*

Reſp. Quatuor. 1. *Poſſeſſio*, rei non prohibitæ poſſideri, ex Reg. 3. juris in 6. *Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit*.

2. *Bona fides*, ex Reg. 2. juris in 6. *Poſſeſ-*

ſor

ſor mala fidei ullo tempore non præſcribit. Porro non eſt in bona fide qui incepit poſſidere cum dubitatione num res eſſet ſua, quia in dubio favendum eſt poſſeſſori. Quod ſi dubitatio ſuperveniat poſſeſſioni bona fide inchoatæ, & moralis adhibita fuerit diligentia ad veritatem indagandam, non officit bonæ fidei & præſcriptioni, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis.

3. *Titulus*, coloratus, aut præſumptus, ſi præſcriptio ſit longiſſimi temporis; quia ſine titulo non potuit eſſe bona fides initio poſſeſſionis.

4. Eſt, *tempus a lege definitum*, quod diverſum eſt pro diverſitate rerum præſcribendarum. Nam,

1. Ad res *mobiles* præſcribendas cum titulo requiruntur tres anni inter præſentes, & quatuor inter abſentes. Sine titulo requiruntur 30. anni, quæ præſcriptio dicitur longiſſimi temporis.

2. Ad præſcribenda immobilia privatorum cum titulo requiruntur decem anni inter præſentes, & 20. inter abſentes. Sine titulo requiruntur 30. ... Dixi, *privatorum:* nam ad præſcribendum contra Eccleſiam Romanam requiruntur 100. anni; contra alias Eccleſias vel pias cauſas, 40.

Quæres 24. *Quinam cenſeantur præſentes?*

Reſp. Juxta jus commune, ſunt qui in eadem Provincia & ſub eodem regimine commorantur. Juxta jus Gallicum, ſunt qui commorantur ſub unius Ballivi aut Seneſchalli juriſdictione, licet bona ſint alibi ſita.

Quæres 25. *Utrum præſcriptio dominium transferat in foro etiam conſcientiæ, ita ut completa præſcriptione non teneatur qui præſcripſit reſtituere, etiamſi cognoſcat rem fuiſſe alienam?*

Reſpond.

Reſpond. affirm. Quia dominium illius rei legitima auctoritate fuit translatum propter bonum commune, ne ſcilicet dominia eſſent incerta, lites multiplicarentur, &c. ergo.

CAPUT II.

De Contractibus in genere.

Quæres 1. *Quid ſit contractus?*

Reſp. Eſt, *pactum altro citroque, vel alterutro tantum obligationem pariens.* Si ultro citroque obliget, dicitur contractus *perfectus*, & *oneroſus*, quia aliquid datur, & aliud rependitur, tales ſunt, venditio, locatio, &c. Si alterutro tantum obliget, dicitur *imperfectus*, & *gratioſus*; quia aliquid recipitur, & nihil rependitur. Talis eſt donatio, commodatum, &c.

Quæres 2. *Quomodo dividatur contractus?*

Reſp. 1. Dividitur in *nominatum*, qui habet nomen ſpeciale, ut venditio; & *innominatum*, qui non habet nomen ſpeciale, ſed retinet nomen genericum pacti; v. g. *Do ut des; do ut facias; facio ut des; facio ut facias.*

2. Dividitur in *nudum*, qui caret omni firmamento, quod actionem civilem parere poſſit; & *veſtitum*, qui tali firmamento innititur. Porro *firmamenta juris*, ſunt, ſcriptura, ſtipulatio, teſtes, juramentum, &c.

3. Dividitur in *contractum bonæ fidei*, in quo Judex ex æquo & bono multa moderari poteſt, quæ, licet a contrahentibus expreſſa non fuerint, cenſentur tamen, ſecundum bonam fidem contractui ineſſe. Et *contractum ſtricti juris*, in quo Judex ad verba contrahentium adſtringitur.

Quæres 3. *Quinam contrahere poſſint?*

Reſpond.

Reſpond. Omnes & ſoli qui liberam ſuorum bonorum adminiſtrationem habent, niſi a jure impediantur. Sic tutor, *inſtit. de auctor. tutor.* impeditur contrahere cum pupillo.

Quæres 4. *Qualis debeat eſſe conſenſus ut valeat contractus?*

Reſp. 1. Debet eſſe *verus & internus*; hinc 1. Contractus cum errore vel dolo circa ſubſtantiam rei, aut circa qualitatem redundantem in rei ſubſtantiam initus, eſt jure naturæ nullus, etiamſi error fuerit tantum concomitans, quia deeſt conſenſus verus & ſubſtantialis. 2. Initus vero cum errore & dolo circa qualitatem rei accidentalem, eſt validus, etiamſi error dederit cauſam contractui, quia tunc adeſt conſenſus verus & abſolutus circa rem ipſam. 3. Tamen ſi dolus, qui dedit cauſam contractui, provenerit ab altera parte contrahente, contractus, etſi validus, poteſt reſcindi pro arbitrio decepti, ratione injuriæ ipſi illatæ, niſi contractus ſit indiſſolubilis, ut ſunt matrimonium & profeſſio religioſa.

2. *Debet eſſe omnino voluntarius.* Hinc contractus initus ex metu gravi, injuſte, ab extrinſeco libero, ad extorquendum conſenſum incuſſo, eſt validus, *niſi jure poſitivo irritetur*, quia eſt ſimpliciter & abſolute voluntarius: poteſt tamen reſcindi ad arbitrium vexati, qui per contractus reſciſſionem ſe poteſt indemnem reddere.

Dixi: *Niſi jure poſitivo irritetur:* ſic irritantur, matrimonium; contractus dotalis; profeſſio religioſa; promiſſio & traditio rerum Eccleſiæ; & juriſdictio metu gravi extorta.

Quæres 5. *Quam obligationem pariat contractus?*

Nota: Obligatio triplex eſt, nempe, *mere naturalis*, quæ obligat in conſcientia, quamvis

in fo-

in foro externo non det actionem. *Mere civilis*, quæ dat actionem in foro externo, ob aliquam præſumptionem falſam, quamvis non obliget in conſcientia; Et *mixta*, quæ ligat tam in foro conſcientiæ, quam in foro civili.

Reſpond. Omnis contractus validus etiam nudus, parit obligationem in conſcientia, licet in foro externo non det actionem, niſi juramento firmetur: quia jure naturæ quiſque tenetur ſervare fidem datam, cum eam fallere, intrinſece malum ſit ... *Niſi firmetur juramento:* quia contractus nudus per juramentum fit veſtitus.

Quæres 6. *An contractus ſine ſolemnitatibus a jure requiſitis factus, liget conſcientiam?*

Reſpond. negat. Patet ex praxi, v. g. in matrimonio clandeſtino, in contractu pupilli ſine tutoris auctoritate, qui jure naturæ eſſent validi niſi jus poſitivum eis reſiſteret. Ratio eſt, quia voluntates & bona ſubditorum ſubjiciuntur reipublicæ in ordine ad bonum commune & rectam ſubditorum gubernationem; ergo poteſt ſtatuere certas conditiones, ſine quibus contractus ſubditorum non ſunt validi, nec obligant in conſcientia.

Objicies: Lex quæ contractus ſine quibuſdam ſolemnitatibus factos irritat, fundatur in præſumptione fraudis; ergo quando non intervenit fraus, contractus eſt validus.

Reſpond. nego antec. Non enim fundatur in præſumptione, ſed in periculo fraudis, quod ſemper reperitur.

Quæres 7. *Utrum contractus invalidus firmetur juramento?*

Reſpond. Si contractus ex natura ſua ſit invalidus, non firmatur juramento, quia jura-

mentum, utpote contractui extrinſecum, non mutat naturam illius. Si vero ſit invalidus ſolo jure poſitivo, firmatur juramento, quando irritatio facta eſt immediate & principaliter propter utilitatem privatam jurantis, quia poteſt renuntiare juri quod in ſuum favorem introductum eſt. Econtra non firmatur quando irritatio facta eſt immediate & principaliter propter bonum commune; ſic Clericus non poteſt renuntiare privilegio canonis & fori, quia tunc juramentum eſſet de re illicita, & conſequenter non tantum non firmat contractum, ſed & ipſum eſt invalidum, nec indiget relaxatione.

Porro juramentum, ſive firmet contractum, ſive non, eſt validum, ſi ſit de re licita, obligatque, ne Deus reddatur teſtis falſitatis, ſed poteſt tolli relaxatione.

CAPUT III.

De contractibus in particulari.

OMnes contractuum ſpecies referre non ſinit compendii ratio; eas ergo ſolum attingemus, quæ ſunt magis in uſu, & in quibus juſtitia ſæpius læditur; tales ſunt locatio & conductio, emptio & venditio, mutuum, cambium, cenſus, & ſocietas.

§. I. *De locatione & conductione.*

Quæres 1. *Quid ſit locatio?*

Reſp. Eſt, contractus, *quo perſona, vel res aliqua ad uſum, vel fructum pro pretio conceditur* . . . . Dicitur: *Pro pretio:* id eſt, pro pecunia; ſi enim fieret pro alia re, eſſet contractus innominatus.

Quæ-

Quæres 2. *Quid ſit conductio?*

Reſpond. Eſt contractus, *quo perſona, vel res aliqua ad uſum, vel fructum pro pretio comparatur.*

Quæres 3. *Quænam ſint obligationes locatoris?*

Reſp. Tenetur 1. Rem non locare pretio juſto majore. 2. Aperire conductori vitia rei locandæ occulta & noxia. 3. Impenſas in rei reparationem neceſſario factas ſolvere. 4. Non locare rem ſuam ei qui illa male uſurus eſt. 5. Remittere penſionem, quando ob caſum fortuitum conductor nullum omnino, vel minuere quando modicum fructum ex re conducta percepit, niſi aliter juſte conventum ſit. 6. Rem ante tempus conſtitutum non repetere, niſi in caſibus a jure exceptis.

Quæres 4. *Quænam ſint obligationes conductoris?*

Reſp. Tenetur 1. Rem, vel operas perſonæ, non conducere pretio juſto minore. 2. Non uti re locata, niſi ad uſum conceſſum. 3. Penſionem ſtatuto tempore ſolvere. 4. Rem, vel perſonam non dimittere ante terminum conſtitutum. 5. Modicas impenſas ad rei conſervationem neceſſarias facere. 6. Rem locatam, completo locationis tempore, remittere in bono ſtatu.

Quæres 5. *Ex qua culpa conductor teneatur ad reſtitutionem, ſi res conducta pereat, aut deterior fiat?*

Nota 1. Culpa duplex eſt, nempe, *theologica*, quæ eſt peccatum, & *civilis*, quæ eſt omiſſio diligentiæ, ex qua alicui damnum creatur, ſive omiſſio ſit peccatum, ſive non: *triplex* eſt, lata, levis, & leviſſima.

Culpa *lata*, eſt omiſſio diligentiæ quam communiter homines ejuſdem conditionis adhibere ſolent: v. g. ſi quis rem ſibi commodatam fo-

ris ante oſtium relinquit, ex quo a tranſeunte ſurripiatur.

Culpa *levis*, eſt omiſſio diligentiæ, quam prudentiores adhibere ſolent, v. gr. ſi rem commodatam in ſuo relinquat cubiculo, ſed non clauſo oſtio.

Culpa *leviſſima*, eſt omiſſio diligentiæ quam adhibere ſolent prudentiſſimi, v. g. ſi quis cubiculi claudat oſtium, ſed non obſervet utrum ſera fuerit bene inducta.

Nota 2. Juxta legum diſpoſitionem, & æquitatem naturalem. 1. Si contractus cedat in gratiam ſolius dantis (ut fit in depoſito) rei detentor ad reſtitutionem non tenetur, niſi ex culpa lata & dolo. 2. Si cedat in ſolius recipientis utilitatem (ut fit in commodato) recipiens tenetur de culpa leviſſima, non autem de caſu fortuito. 3. Si cedat in utilitatem utriuſque, tenetur de culpa levi, non autem de culpa leviſſima, nec de caſu fortuito. His poſitis:

Reſp. Conductor tenetur de culpa levi, non ſua tantum, ſed & ſub locatariorum & famulorum, quia contractus eſt in commodum utriuſque.

§. II. *De emptione & venditione.*

Quæres 1. *Quid ſint emptio & venditio?*

Reſp. Emptio definitur, *pactio pretii pro merce;* venditio vero, *pactio mercis pro pretio*, id eſt, pro pecunia; nam ſi merx daretur pro merce, eſſet permutatio, non venditio.

Quæres 2. *Quodnam ſit rei venalis juſtum pretium?*

Reſpond. Eſt illud quod exæquat valorem rei venalis.

Quæ-

Quæres 3. *Quotuplex ſit pretium rerum venalium?*

Reſpond. Duplex, nempe, *legale*, quod lege Principis, vel Magiſtratus decreto, taxatum eſt; & *vulgare*, ſeu, *naturale*, quod communi hominum intelligentium æſtimatione conſtituitur, ſpectatis omnibus circumſtantiis, nimirum, copiæ, vel inopiæ mercium; laboris, impenſarum, & damni in comparandis & conſervandis mercibus, &c.

Quæres 4. *In quo differant pretium legale & vulgare?*

Reſp. In hoc quod *legale* conſiſtat in indiviſibili mathematico, ita ut, qui taxam non ſervat, teneatur ad reſtitutionem: econtra *vulgare* habet quamdam latitudinem, intra quam licet pluris vendere & minoris emere. Unde triplex eſt, nempe *Summum*, quod vendens non poteſt excedere abſque injuſtitia; *Medium*, quod vendens poteſt augere uſque ad ſummum, & emens minuere uſque ad infimum; & *Infimum*, quod emens minuere non poteſt abſque injuſtitia.

Quæres 5. *Quomodo definiri poſſit latitudo juſti pretii?*

Reſpond. Debet eſſe major, ſi res ſit pretioſior; minor, ſi res ſit minus pretioſa: v. gr. ſi pretium *medium* ſit 20. *infimum* erit 19. *ſummum* erit 21. Item, ſi pretium *medium* ſit 100. *infimum* erit 95. *ſummum* erit 105. In primo exemplo latitudo eſt trium aureorum; in ſecundo eſt decem.

Quæres 6. *Utrum liceat ei qui pretio infimo mercem vendidit, reducere pretium ad medium vel ſummum, occulte aliquid de re ſubſtrahendo?*

Reſpond. negat. Quia venditor ageret contra conventionem, & contra jus alterius ex conventione acquiſitum, quod eſt injuſtum.

Quæres. 7. *Quot ſint cauſæ pluris vendendi?*

Reſpond. Sunt quatuor. Eſt lucrum certo aut probabiliter ceſſans, vel damnum emergens; v. gr. ſi vendas, in gratiam emptoris, merces quas conſtitueras ſervare in aliud tempus quo plus certo, aut probabiliter ſunt valituræ: vel ſi vendas merces, quas poſtea teneris carius emere.

2. Eſt ratio laborum periculorum, & expenſarum in rebus conquirendis, & conſervandis communiter occurrentium; nam hæc ſunt pretio æſtimabilia.

3. Eſt copia emptorum vel pecuniæ, & penuria mercium, quia ex his creſcit æſtimatio mercium.

4. Eſt modus vendendi; nam carius venduntur res in parva quantitate & minutim, quam in magna quantitate, propter majores curas & impenſas quas requirit hic modus vendendi.

Quæres. 8. *Quot ſint cauſæ minoris emendi?*

Reſpond. Sunt quatuor: 1. Eſt emptio rei in ſolam gratiam venditoris; nam tunc res vileſcit propter paucitatem emptorum, niſi tamen aliud exigat charitas; nam hæc propoſ. *Poteſt aliquis emere rem vilius ab illo qui vendit neceſſitate compulſus*, damnata eſt ab Academia Pariſ. tanquam falſa, ſcandaloſa, juſtitiam & charitatem violans. . . . . . 2. Eſt emptorum paucitas. . . . . 3. Copia mercium ſuperveniens. . . . . 4. Modus vendendi, v. gr. ſi emantur in magna quantitate; ſi merces ultro offerantur; ſi vendantur ſub haſta, gallice, *à l'ençan*.

Quæres. 9. *Utrum liceat credito vendere ſupra latitudinem juſti pretii, vel emere infra, ob anticipatam ſolutionem?*

Reſpond. negat. Nam hic modus vendendi & emen-

& emendi habet rationem mutui, ex quo lucrum percipere uſurarium eſt.

Quæres 10. *Utrum liceat chirographa ſeu credita, & cenſus, minoris emere quam contineant?*

Reſp. Non poſſunt, ſi ſint certa & liquida; nam, 1. eorum pretium eſt legale; ergo in indiviſibili conſiſtit; 2. non plus valet pecunia præſens, quam abſens, ut definivit Innocentius XI. propoſ. 41. . . . . Si tamen non eſſent certa & liquida, haberentur tanquam merces vitiatæ, quæ minoris valent & emuntur, quam integræ.

Objicies: Lege, *minus*, de Reg. juris, dicitur: *Minus eſt habere actionem, quam rem:* ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Si res, ad quam datur actio, non niſi cum periculo, labore, & expenſis poſſit obtineri, *conc.* ſi ſine illis poſſit obtineri, *nego*. Alias, excuſandi eſſent omnes uſurarii; nam pro pecunia, quam mutuo dant, non accipiunt niſi actionem ad eandem pecuniam recuperandam.

Quæres 11. *Utrum venditor teneatur ex juſtitia, rei vitium emptori occultum detegere?*

Reſpond. 1. Si vitium rei ſit periculoſum, tenetur, etiam non rogatus, alias tenebitur compenſare omnia damna ex hac venditione provenientia, quia illorum eſt cauſa, & occaſio.

Reſp. Si non ſit periculoſum, non tenetur, modo minuat pretium pro ratione vitii, quia tunc nulla fit emptori injuria . . . . Tenetur tamen, ſi de vitio interrogetur, alioquin doloſus daret cauſam contractui, qui poſſet reſcindi pro arbitrio emptoris.

Quæres 12. *Utrum venditor teneatur de evictione?*

Reſpond. Si ignoravit rem, quam vendidit, eſſe alienam, tenetur quidem pretium reſtituere; ſed non tenetur de evictione. Si vero ſciverit rem eſſe alienam, tenetur de evictione, id eſt, tenetur emptori non ſolum pretium, ſed inſuper totum intereſſe refundere.

Quæres 13. *Utrum venditio cum pacto retrovendendi, aut redimendi, ſit licita?*

Reſp. Eſt licita in favorem venditoris, ut definitur. *cap.* Ad noſtram, *de empt. & vend.* & colligitur expreſſe ex *Levit.* 25. ubi omnis terra Iſraelitici populi ſub redemptionis conditione vendebatur . . . ſed eſt illicita & uſuraria, ſi fiat in favorem ſolius emptoris, quia licet contractus ille fiat ſub nomine venditionis, tamen res proprie non videtur vendi, ſed ſolum in pignus dari, ita ut emptor fructus rei percipiat ob mutuum.

Quær. 14. *Utrum contractus* Mohatra *ſit licitus?*

Nota: Contractus *Mohatra* eſt ille, quo homo, pecunia indigens, emit credito a mercatore merces pretio ſupremo cum pacto retrovenditionis, pretio infimo numerata pecunia.

Reſp. negative: Nam fit ſimul & de induſtria inter eaſdem perſonas cum intentione lucri; ergo nihil aliud eſt quam mutuum, v. g. 95. librarum, cum obligatione poſthac reſtituendi centum; atqui tale mutuum eſt uſurarium, & ideo damnatum ab Innoc. XI. & Cleto Gallic. ann. 1700. ſed:

Quæres 15. *An ille contractus, ſecluſis omni pacto, onere, & ſcandalo, ſit licitus?*

Reſp. negat. S. Antonin. affirmant alii; nam res illa ſummo pretio empta, poteſt ſtatim alii tertio vendi pretio infimo; ergo & ei a quo fuit empta, cum hanc ipſe bona fide vendiderit, & nec implicite, ut ſupponitur, exegit ut ipſi retrovenderetur.

Quæ-

Quæres 16. *Quid ſit monopolium?*

Reſp. Definitur, *Conventio unius, vel plurium mercatorum ſimul conſpirantium, ut ipſi ſoli vendant, vel emant merces, eo quo voluerint pretio.*

Quæres 18. *Utrum monopolium ſit licitum?*

Reſp. Eſt injuſtum & ad reſtitutionem obligat, niſi auctoritate publica conſtituatur, quia ſinguli habent jus contrahendi intra latitudinem juſti pretii; ergo abſque gravi injuria cogi non poſſunt emptores ad emendum ſummo pretio, & venditores ad vendendum infimo.

Dixi, *Niſi auctoritate publica conſtituatur;* quia bonum commune poſtulat, ut privilegium mercatori, aut artifici detur, ſine quo negotiationem vel artificium, ob damni periculum, desereretur, in detrimentum reipublicæ.

Quæres 18. *Quot modis fiat monopolium?*

Reſp. Sex, 1. Cum mercatores conveniunt de non vendendo, niſi pretio ſummo, & non emendo, niſi infimo.

2. Cum vi, metu aut fraude, impediunt ne aliunde merces adveniant, unde oritur caritas.

3. Cum unus, vel pauci, emendo omnes fere merces, inducunt caritatem.

4. Cum mercatores ſupprimunt merces ſuas, ut inde earum pretium creſcat.

5. Quando opponitur fictus licitator, qui plus offerat, ut alter aſcendat in pretio.

6. Cum artifices inter ſe conveniunt, ut opus ab uno inchoatum, alter non perficiat.

§. III. *De mutuo, & uſura.*

Quæres 1. *Quid ſit mutuum?*

Reſp. Eſt contractus, *quo res numero, pondere, vel menſura conſtans gratis transfertur in alterius dominium, cum obligatione aliam ejuſ-*

dem ſpeciei & bonitatis, poſt lapſum temporis, reſtituenda.

Dicitur 1. *Res numero*, &c. quia verſatur circa res, quæ, vel ad pondus, ut carnes; vel ad numerum, ut pecunia; vel ad menſuram, ut triticum, traduntur.

Dicitur 2. *Transfertur in alterius dominium*; & ideo res mutuo data, mutuatario perit & fructificat.

Dicitur 3. *Cum obligatione reddendi*: quæ obligatio ſpectat omnes mutuatarios, exceptis pupillis & filiisfamilias, qui mutuum, ſine conſenſu patris vel tutoris acceptum, non tenentur in conſcientia reſtituere, etiam poſt mortem patris vel tutoris, ſi illam in uſus inutiles conſumpſerint: *Pupillus*, inquit Juſtinian. lib. 53. ff. de obligat. & action. *mutuam pecuniam accipiendo, nequidem jure naturali obligatur.*

Dicitur 4. *Aliam ejuſdem ſpeciei*; quia ſi res diverſa ſpecie reddatur, erit permutatio, non mutuum.

Dicitur 5. *Et bonitatis*; ut ſervetur æqualitas.

Dicitur 6. *Poſt lapſum temporis*; quia eſt intrinſecum mutuo, ut non ſtatim reddi debeat, alioqui mutuum eſſet mutuatario inutile. Hinc mutuator tenetur non ſtatim repetere mutuum, ſed tempore præfixo: quod ſi nullum ſit præfixum, non poteſt repetere, niſi poſt aliquod tempus judicio prudentis aſſignabile, ſpectatis natura rei, & fine ob quem datur, quamvis teneatur antea recipere.

Quæres 2. *In qua bonitate mutuum reddi debeat?*

Reſpond. Si mutuum ſit in pecunia, debet reddi in bonitate extrinſeca; hinc qui mutuo accepit 100. libras, ſatisfacit reddendo 100. ſive

ve interim valor monetæ auctus fuerit, ſive imminutus . . . . ſi ſit in aliis rebus fungibilibus, debet reddi in bonitate intrinſeca, v. g. modium pro modio, niſi aliter juſte conventum fuerit.

Dixi, *Niſi aliter juſte conventum ſit*; quia in hypotheſi quod mutuans præviderit valorem monetæ augendum, vel pretium tritici minuendum, poteſt juſte convenire ut tot ſpecies monetæ, vel tot modios tritici cum actuario reddat mutuatarius, deductis tamen expenſis, quas facturus fuiſſet ad ſervandum triticum uſque ad illud tempus; nam tunc nihil lucratur ex mutuo, ſed ſolum ſe indemnem reddit.

Quæres 3. *Quid ſit uſura?*

Reſpond. Uſura, ſumpta pro lucro, definitur: *Lucrum ex mutuo immediate proveniens*. Sumpta pro contractu uſurario definitur: *Contractus mutui, quo lucrum ultra ſortem exigitur, vel intenditur tanquam debitum præciſe vi mutui*.

Dicitur 1. *Lucrum*: ſive ſit pecunia, ſive onus alias indebitum, a mutuante impoſitum mutuatario, v. g. ut molat in molendino mutuantis, ut perdat fructus pignoris mutuatori dati pro aſſecuratione ſortis, &c.

Dicitur 2. *Exigitur*: vel expreſſe, vel implicite.

Dicitur 3. *Vel intenditur*: per quod ſignificatur uſura mentalis.

Dicitur 4. *Tanquam debitum*: ſive ex juſtitia, ſive ex gratitudine & benevolentia, modo ex vera obligatione habeatur plus quam datum ſit, prout definivit Innocent. XI. propoſit. 42. & Clerus Gallican. *ann.* 1700.

Dicitur 5. *Immediate*: nam ſi primario mutuet ex charitate, & ſecundario tantum, me-

diante nempe mutuatarii liberalitate, aliquid ſperaret, non eſſet uſura. Illa autem ſecundaria intentio dignoſcitur ex diſpoſitione mutuantis, qui *ita* eſt affectus, *ut etiamſi non crederet ſibi aliquid dari ſupra ſortem, adhuc tamen mutuaret*, ait D. Antonin. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 7.

Dicitur 6. *Vi mutui:* quia ſi aliquid alio juſto titulo exigatur, non eſt uſura, ſed indemnizatio.

Quæres 4. *Quotuplex ſit uſura?*

Reſp. Dividitur 1. in realem & mentalem. Uſura *realis*, eſt ea, quæ percipitur ex contractu mutui cum pacto explicito, vel implicito aliquid ſupra ſortem accipiendi. Quando pactum eſt explicitum, dicitur uſura *aperta*, ſeu, *formalis*. Quando eſt implicitum, ut cum quis vendit ſupra pretium ſummum ob dilatam ſolutionem, dicitur uſura *palliata*, ſeu, *implicita*, quia mutuum licet ſub alio contractu.

Uſura *mentalis*, eſt ea, quæ intenditur a mutuante, ſed in pactum non deducitur: quod ſi recipiatur a mutuante, debet reſtitui, quia recepta eſt ſine dubio.

Dividitur 2. *In uſuram ſortis*, quæ percipitur ex pecunia data. Et *uſuram uſuræ*, quæ percipitur ex lucro uſurario. Hanc recipere ex quovis titulo, ſive lucri ceſſantis, ſive damni emergentis, prohibitum eſt, *lib.* 28. Cod. *de uſuris*.

Quæres 5. *Quo jure uſura ſit prohibita?*

Reſp. Eſt prohibita, 1. *Jure naturali*, quia uſurarius vendit mutuatario quod ſuum non eſt, nempe uſum juris rei mutuo datæ, qui, cum in rebus conſumptibilibus non diſtinguatur a dominio ipſius rei, pertinet ad mutuatarium, qui eſt Dominus rei mutuatæ.

2. *Ju-*

2. *Jure divino*, Lucæ 6. *Benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes.* Quibus verbis prohiberi uſuram definierunt Conc. Later. III. & V.

3. *Jure Canonico*, cap. *ſuper eo*, & cap. *conſuluit*, tit. *de uſuris*.

4. *Jure Cæſareo*, ex D. Auguſtino Epiſt. ad Marcell. *Quid dicam de uſuris*, inquit, *quas etiam ipſa leges & Judices reddi jubent*, ut male partas.

5. *Jure Gallico*, ex variis conſtitutionibus Regum Franciæ, inter quas unicam refero Henrici III. in comitiis Bleſenſibus: *Defendons à toutes perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient*, inquit, *d'exercer uſure, par eux, ou par gens interpoſes*.

Ergo nec *lex*, aut, *conſuetudo patria*, vel, *conditio tutoris* poteſt uſuram reddere licitam, quia eſt intrinſece mala, & a Deo indiſtincte prohibita.

Ergo nihil poteſt recipi ſupra ſortem, nec *propter carentiam pecuniæ*; nec, *propter obligationem non repetendi ſortem ante certum tempus*; nec, *propter rationem pecuniæ præſentis quæ datur, pro pecunia abſente quæ eſt reddenda*; nec, *propter laborem in numeranda pecunia*; nec, *propter periculum commune & ordinarium*: quia illa omnia ſunt mutuo intrinſeca . . . . . item nihil recipi poteſt ultra ſortem *pro uſu rei mutuatæ*, quia pertinet ad mutuatarium. Nec *pro utilitate quam mutuatarius percipit ex mutuo*, quia non provenit ex pecunia, ſed ex induſtria mutuatarii; ergo ad mutuatarium pertinet.

Quæres 6. *Quot ſint veri tituli, propter quos liceat aliquid recipere ſupra ſortem?*

Reſpond. Sunt duo tantum, ſcilicet, *damnum emergens*, & *lucrum ceſſans*: quia tunc mutuans nihil

nihil recipit vi mutui, ſed juſte ſuam indemnitatem exigit . . . . . ad juſtitiam horum titulorum requiritur: 1. Ut mutuum ſit vera cauſa damni emergentis, aut lucri ceſſantis ex mutuo: 2. Ut mutuatarius moneatur de damno emergente aut lucro ceſſante, alias non conſentiret in illorum compenſationem . 3. Ut auctuarium non ſit majus damno orto ex mutuo, aut lucro ſperato, deductis expenſis faciendis, & periculis incurrendis. 4. Ut mutuans non exigat compenſationem lucri ceſſantis ſtatim mutuo dato: nec cogat mutuatarium ad aliquid ſolvendum pro damno probabiliter eventuro, ſi velit ſe obligare ad ſolvendum totum damnum quod reipſa contigerit, ſic enim indemnizationem, ad quam ſolam tenetur, præſtat.

Quæres 7. *Utrum liceat mutuum petere, vel accipere ſub uſuris?*

Reſpond. Non licet petere, quia nullo modo licet aliquem inducere ad peccandum. Licet tamen in gravi neceſſitate propria vel aliena accipere *ab eo qui uſuras exercet*, ait D. Thom. *quæſt.* 78. *art.* 4. ſi aliter haberi nequit, quia gravis neceſſitas eſt juſta cauſa non impediendi peccatum alienum.

Quæres 8. *Utrum hæredes uſurariorum teneantur reſtituere in ſolidum?*

Reſp. Quilibet tenetur tantummodo pro ſua parte juxta vires hæreditatis, rationi enim conſentaneum eſt, ut qui tantummodo in parte commodum percipit, onus quoque in parte tantum ſentiat.

§. IV. *De Cambio.*

Quæres 1. *Quid ſit cambium?*

Reſp. Eſt, *permutatio pecuniæ pro pecunia cum lucro campſoris.*

Quæ-

Quæres. 2. *Quotuplex ſit cambium?*

Reſp. Duplex, *ſiccum*, & *reale*.

Cambium *ſiccum*, eſt mutuum nomine cambii velatum, ut cum datur pecunia, recipienda, non eo loco quo fingitur, ſed eo quo datur, licet alio tempore: v. gr. Titius, lucri cupidus, negat Lugduni mutuum Mœvio qui pecunia indiget, ſed offert cambium ea lege, ut illam cum lucro recipiat Pariſiis, quamvis ſciat reddendam Lugduni poſt temporis lapſum.

Hoc cambium eſt verum mutuum nomine cambii velatum, in quo lucrum non exigitur niſi pro carentia pecuniæ ad certum tempus, & pro ſolutionis dilatione, quod eſt uſurarium, & ideo a Pio V. reprobatum Bulla, *In eam pro noſtro*.

Cambium *reale*, eſt illud, in quo revera pecunia præſens cum præſente, vel præſens cum diſtante permutatur. Duplex eſt, *manuale*, nempe, & *locale*.

Manuale, ſeu, *minutum*, eſt de manu ad manum permutatio pecuniarum diverſæ rationis, v. g. aureæ cum argentea, minoris cum majore, &c.

Locale, ſeu, *per litteras*, eſt permutatio pecuniæ præſentis cum diſtanti, v. gr. cum campſarius campſori pecuniam numerat Nanceji, ut recipiat a campſore litteras cambii, quarum ope eandem ſummam recipiat Pariſiis.

Quæres 3. *Utrum cambium reale ſit licitum?*

Reſp. Eſt licitum, modo lucrum ſit moderatum, & ſecundum leges aut conſuetudinem locorum, vel communem peritorum æſtimationem. Lucrum enim non percipitur ratione pecuniæ, ſed ratione impenſarum & laboris in conquirendis, coacervandis, & cuſtodiendis variis ſpeciebus monetarum, in cambio manuali: & in cambio locali, ratione oneris quod

cam-

campſor ſuſcipit proprio periculo monetas transferendi in eum locum, ubi campſarius his indiget; quæ omnia ſunt pretio æſtimabilia.

§. V. *De Cenſibus, ſeu, reditibus annuis.*

Quæres 1. *Quid ſit cenſus?*

Reſp. Eſt, contractus, *quo emitur jus percipiendi penſionem annuam ex re, perſonave aliena frugifera?*

Quæres 2. *Quotuplex ſit cenſus?*

Reſp. Duplex, reſervativus & conſignativus.

Cenſus *reſervativus*, eſt ille quo quis alteri transfert rei ſuæ dominium plenum, retento ſibi jure penſionem aliquam percipiendi. De licitate hujus contractus nemo dubitat.

Cenſus *conſignativus*, eſt ille quo quis ſuper bonis, perſonave ſua conſignat alteri penſionem annuam, ſive in fructibus, ſive in pecunia. Si fundetur ſuper re fructifera, dicitur, *realis*. Si ſuper perſona, dicitur, *perſonalis*; ſi ſuper re & perſona ſimul, dicitur, *mixtus*, & ideo licet res pereat, perſona ſemper manet obligata.

Quæres 3. *Quomodo dividatur cenſus conſignativus?*

Reſpond. Dividitur in temporalem, & perpetuum,

Temporalis, eſt ille qui expirat aliquo tempore, vel certo, v. g. 20. annorum; vel incerto, v. g. ad vitam hominis, & dicitur, *vitalitius*.

Perpetuus, eſt ille qui per ſe ſemper durat, eſtque vel *redimibilis* vel *irredimibilis*.

Quæres 4. *Utrum cenſus conſignativus realis ſit licitus?*

Reſp. affirmat. Nam eſt emptio juris ad penſionem, ex re aliena frugifera annuatim percipien-

piendam: quod jus, utpote pretio æſtimabile, poteſt emi.

Quæres 5. *Utrum cenſus conſignativus perſonalis ſit licitus?*

Reſp. affirm. Nam licitum eſt operam & induſtriam alterius conducere; ergo & emere jus ad fructus inde ſperatos.

Objicies: Pius V. Bulla, *cum onus*, ſtatuit *cenſum conſtitui nullo modo poſſe, niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur ex ſuâ naturâ fructifera;* ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Quia Pius V. in dicta Bulla non explicat jus naturale aut divinum, qui ſancit jus humanum; ergo non obligat niſi eos, apud quos eſt recepta; porro non eſt recepta in Gallia, Germania, Hiſpania, Lotharingia, Belgio, &c.

Quæres 6. *Utrum cenſus redimibilis ſit licitus?*

Reſp. Redimibilis *ad nutum venditoris*, eſt licitus, quia venditio fieri poteſt cum pacto retrovendendi. Econtra redimibilis *ad nutum emptoris*, eſt uſurarius: nam qui dat pecuniam cum pacto eam recipiendi cum lucro, proprie non emit, ſed mutuat ad uſuram.

Quæres 7. *An cenſus temporalis ſit licitus?*

Reſpond. Si ſit ad tempus *determinatum*, eſt uſurarius, quia nihil aliud eſt quam mutuum cum lucro, ſed ad tempus *indeterminatum*, eſt licitus, quia æqualis eſt ſors vendentis & ementis.

Quæres 8. *Quot requirantur conditiones ad juſtitiam cenſus?*

Reſpond. Quinque. 1. Ut ſit juſtum pretium juxta taxam Principis, vel, ſi deſit, juxta communem prudentum æſtimationem. 2. Ut res, ſuper qua conſtituitur cenſus, ſit in libera

ra diſpoſitione vendentis. 3. Ut res ſit ita fructifera, ut jus ad fructus, quod emitur, adæquet pretium datum. 4. Ut ceſſet cenſus obligatio vel in toto, vel in parte, dum res, ſupra quam cenſus pure realis conſtitutus eſt, in toto, vel in parte periit aut ſterilis evaſit. 5. Ut in cenſu non apponatur *pœna commiſſi*, quia pœna eſt exhorbitans. 6. Additur in Gallia, nempe, ut venditor poſſit perpetuo cenſum redimere, refundendo emptori pecuniam ſuam.

§. VI. *De contractu ſocietatis.*

Quæres 1. *Quid ſit ſocietas?*

Reſp. Eſt duorum, vel plurium conventio contribuendi aliquid ad commune lucrum & damnum, ſecundum proportionem rerum contributarum.

Quæres 2. *Quænam requirantur conditiones ad juſtitiam ſocietatis?*

Reſp. Quatuor: 1. Ut negotiatio ſit licita. 2. Ut pecunia vere & realiter ponatur ad aliquam negotiationem, quæ nata eſt ferre fructum, alias eſſet ſimplex mutuum. 3. Ut lucrum & damnum ſociis ſint communia, pro rata parte quam quilibet in ſocietatem contulit. 4. Ut pecunia collata ſubjaceat periculo conferentis, ipſi peritura, ſi eam perire contingat.

Quæres 3. *Utrum contractus triplex ſit licitus?* ſeu, *contractus quo pecuniam in ſocietatem conferens, paciſcitur cum altero ſocio, ut, quidquid contigerit, ſibi ſors ſua integra reddatur, cum certo lucro, ſed minore eo quod probabiliter ſperare potuiſſet.*

Reſp. Eſt uſurarius, & ut talis damnatus a Sixto V. Bulla, *deteſtabilis*. Et a facultate Pariſienſi, *ann.* 1664. Ratio eſt, quia contractus ſocie-

ſocietatis, cui accedit aſſecuratio ſortis, deſtruitur, degeneratque in mutuum, cum pecunia ſic aſſecurata tranſeat in dominium aſſecurantis, qui de ea pro libitu diſponere poteſt; certum eſt autem nullum lucrum reportari poſſe ex mutuo; ergo.

Objicies: Licite cum diverſis perſonis fiunt tres contractus; ergo & cum eadem.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod ſocietas vi trium contractuum, degeneret in mutuum, quando fit cum eadem perſona, non autem quando fit cum diverſa.

Quæres 4. *Utrum contractui ſocietatis poſſit addi contractus emptionis lucri incerti majoris, pro lucro certo minore?*

Reſp. affirm. Quia ſpes lucri eſt pretio æſtimabilis; ergo poteſt vendi. Modo tamen capitale non aſſecuretur a ſocio, nam eſt de eſſentia ſocietatis, ut conferens pecuniam, vel alias res in ſocietatem rei a ſe collatæ ſubeat periculum; nam per illud ſolum onus, res de ſe ſterilis, poteſt eſſe fructifera, ut probat D. Thom. *q. 78. art. 2. ad. 5.*

CAPUT IV.

De injuria & reſtitutione in genere.

Quæres 1. Quid ſit injuria?

Reſpond. Eſt, *voluntaria juris alieni violatio abſque cauſa legitima.* Hinc non committit injuriam qui a furibundo aufert gladium.

Quæres 2. *Quid ſit reſtitutio?*

Reſp. Eſt, *actus juſtitiæ commutativæ: quo res alterius redditur, aut damnum ei illatum reparatur.*

Quæres 3. *Utrum reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem?*

Reſp.

Reſp. Neceſſaria eſt in re vel in voto; jus enim naturale vetat ne res aliena detineatur, invito rationabiliter domino: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Unde D. Auguſtin. *Epiſt.* 54. *ad Macedonium*, ait: *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; ſed, ut dixi, cum reſtitui poteſt*. Cum enim quis reſtituere non poteſt, ſufficit ad ſalutem, ut ſincerum habeat propoſitum reſtituendi: cum poterit: quare dixi, *in re, vel in voto*.

Quæres 4. *Utrum præceptum reſtitutionis ſit affirmativum, aut negativum?*

Reſp. Eſt primario negativum, & ſecundario affirmativum: primario enim prohibet ne retineatur alienum, & ex conſequenti jubet ut reſtituatur.

Quæres 5. *Quot ſint radices reſtitutionis?*

Reſp. Sunt tres, nempe, injuſta acceptio, injuſta dententio, & injuſta damnificatio.

Quæres 6. *Ex qua culpa naſcatur obligatio reſtitutionis?*

Reſpond. Ex omni & ſola culpa theologica; quia obligatio reſtitutionis naſcitur ex injuria formali; atqui omnis & ſola culpa theologica, eſt injuria formalis; ergo, &c. Porro qui ex culpa veniali grave damnum intulit, non tenetur illud reparare ex toto, ſed ſufficit, ſi illius partem reſarciat pro quantitate culpæ, judicio viri prudentis.

Quæres 7. *Quot ſint circumſtantiæ reſtitutionis?*

Reſp. Sunt novem, hoc diſticho comprehenſæ:

Quis, quid reſtituat, quantum, cui, quomodo, quando,
Quo ordine, quove loco, quæ cauſa excuſet iniquum.

Quæres 8. *Quis, quid, & quantum reſtituere debeat?*

Reſp.

Reſp. 1. Tenetur reſtituere omnis, qui alienum poſſidet, ſive bona fide, ſive mala poſſideat, cum hac differentia, quod *poſſeſſor bonæ fidei* teneatur tantum reſtituere rem alienam, & omnes fructus rei naturales, civiles, & mixtos qua parte ſunt naturales, ſi extent; quod ſi non extent, tenetur tantum reſtituere id in quo factus eſt ditior. Econtra, *poſſeſſor malæ fidei* 1. tenetur reſtituere rem & omnes fructus rei naturales, civiles, & mixtos qua parte ſunt naturales, ſive extent, ſive non extent, quia ipſos conſumpſit mala fide; 2. tenetur compenſare omne damnum emergens & lucrum inde ceſſans domino, quia fuit cauſa injuſta utriuſque.

Reſp. 2. Tenetur reſtituere omnis qui ſua cooperatione fuit cauſa damni efficax, ſive phyſica, ſive moralis.

Quæres 9. *Quot ſint modi quibus aliquis poteſt cooperari damno alterius?*

Reſp. Sex numerantur poſitivi, & tres negativi, his verſibus comprehenſi:

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

De his cauſis conſule noſtrum Tom. II. de reſtit. quæſt. 3. hic tantummodo, *nota*, quod per mutum, non obſtantem, non manifeſtantem, intelligitur is qui ex officio, aut pacto, tenetur clamare, teſtari, & tacet; obſtare, & non obſtat; manifeſtare, & non manifeſtat. *Hinc*, qui ex charitate tantum tenetur impedire damnum proximi, & non impedit, non tenetur ad reſtitutionem, quia peccat ſolum contra charitatem.

Quæ-

Quæres 10. *An omnes cooperatores in ſolidum reſtituere teneantur?*

Reſp. Tenentur in ſolidum pro ratione influxus in damnum.

Quæres 11. *An cooperatores æqualiter teneantur reſtituere?*

Reſp. Si æqualiter concurrerunt ad damnum, ut duo mandantes, æqualiter tenentur reſtituere; ſi inæqualiter, ut cum unus mandat, alius conſulit, alter exequitur, tunc inæqualiter reſtituere tenentur.

Quæres 12. *Quis ordo ſervandus ſit inter eos qui inæqualiter reſtituere tenentur in ſolidum?*

Reſp. Sequens ſtatuitur; nempe, 1. *loco*, & ante omnes, tenetur reſtituere qui rem alienam detinet, vel qui eam conſumpſit mala fide: quod ſi bona fide conſumpſerit, ad nihil tenetur, niſi in quantum factus eſt ditior . . . 2. *loco*, mandans, quia eſt cauſa principalis damni . . . 3. *loco*, executor & participans in actione damnifica, quia eſt principalis cauſa damni poſt imperantem . . . . 4. *loco*, tenentur cæteræ cauſæ poſitivæ in eodem ordine inter ſe, quia eodem modo in damnificationem influunt . . . 5. *loco*, tenentur cooperantes negative.

Quæres 13. *Cui ſit reſtituendum?*

Reſp. Ei qui habet jus poſſidendi, etſi non ſit dominus rei, tales ſunt depoſitarius, commodatarius, &c. hinc domino rei, non furi eſt reſtituendum, quia fur non habet jus poſſidendi.

Quæres 14. *Quomodo ſit reſtituendum, & quando?*

Reſp. Reſtitutio debet fieri ad æqualitatem, & ſtatim, quantum moraliter fieri poteſt, quia præceptum reſtitutionis eſt primario negativum, & ſic obligat ſemper & pro ſemper.

Quæres 15. *Quem ordinem ſervare debeat in-*

ter

ter creditores, qui omnibus ſatisfacere eſt impar?

Reſp. 1. Creditoribus certis prius ſolvendum eſt, quam incertis; 2. hypothecariis, quam chirographariis; 3. inter creditores hypothecarios prius ſolvendum eſt iis qui tempore ſunt priores, quia ſunt potiores jure, 4. ſingulis creditoribus chirographariis, ſeu perſonalibus, ſatisfaciendum eſt pro rata, ſive ſint priores, ſive poſteriores, quia inter eos nulla lex conſtituit prælationem.

Quæres 16. *Quo loco, ſeu, cujus impenſis reſtitutio fieri debeat?*

Reſp. Si reſtitutio fieri debeat ratione rei acceptæ, debet fieri in loco ubi eſt res quæ debetur, nec tenetur debitor expenſis ſuis, ſed expenſis domini, illam mittere ad dominum. Si vero fieri debeat ratione injuſtæ acceptionis, & damnificationis, debet fieri impenſis debitoris, idque in loco ubi dominus rem illam poſſeſſurus erat, ſi ablata, vel deſtructa non fuiſſet.

Quæres 17. *Quænam cauſæ excuſent a reſtitutione?*

Reſpond. Excuſat 1. *Impotentia phyſica & moralis*, quia tunc dominus non cenſetur rationabiliter invitus. 2. *Remiſſio libera creditoris*, quia poteſt dare quod ſuum eſt. Econtra non excuſat *ceſſio bonorum*, quia per eam ſolum ſuſpenditur obligatio reſtitutionis; nec *ingreſſus in religionem*, quia reſtitutio eſt juris naturalis.

C A P U T V.

De injuria & reſtitutione in particulari.

Quæres 1. Q*Uotuplicis generis ſint bona in quibus proximo noceri poteſt?*

Reſp.

Reſp. Sunt triplicis; nempe, bona corporis, famæ, & fortunæ. De quibus ſit,

§. I. *De injuria in bonis corporis, & reſtitutionis.*

Quæres 1. *Quotuplici modo homo injuriari poteſt in corpore?*

Reſp. Duplici, nempe, 1. Per homicidium & mutilationem; 2. Per ſtuprum & adulterium.

Quæres 2. *Utrum liceat malefactores occidere?*

Reſpond. 1. Licet auctoritate publica; nam, *Exod.* 21. dicitur: *Maleficos non patieris vivere*. Ratio eſt, quia Reſpublica poteſt abſcindere membra putrida ob ſuam incolumitatem.

Reſp. 2. Numquam licet auctoritate privata, niſi ob propriæ vitæ defenſionem; quia Deus hanc privatis non dedit poteſtatem.

Dixi, *Niſi ob propria vita defenſionem*; quia injuſtum vitæ invaſorem licet occidere; nam, *omnia jura & omnes leges permittunt vim vi repellere*, ait Innocent. III. cap. 18. de homicidio; modo tamen ſervetur moderamen inculpatæ tutelæ, ad quod requiritur, 1. ut invaſus non mortem invaſoris, ſed ſolam ſui conſervationem intendat. 2. Ut alio modo conſervare non poſſit vitam propriam. 3. Ut ſit actualis aggreſſio. Ut invaſus in defenſione non excedat: unde qui vitam tueri poteſt percutiendo, non poteſt mutilare, qui mutilando, non poteſt occidere, alias teneretur reſtituere pro ratione exceſſus.

Ergo non licet occidere 1. Invaſorem honoris & famæ, quæ ſunt bona longe inferioris ordinis, quam vita & membrorum integritas. 2. Nec invaſorem pudicitiæ, quia, cum ſit vir-

virtus in animo reſidens, *a violento ſtupratore eripi nec ipſa poteſt ;* ait D. Auguſt. lib. 1. de lib. arbit. cap. 5. . . . . 3. Nec invaſorem bonorum fortunæ, quia longe inferioris ſunt ordinis quam vita. Hinc, *Exod.* 22. expreſſe prohibetur ne fur diurnus occidatur; quia, ut notat D. Auguſtin. cap. 3. de homic. *poterat diſcerni quod ad furandum , non ad occidendum , veniſſet.*

Quæres 3. *Quid reſtituere debeat injuſtus homicida aut mutilator?*

Reſp. Debet reſtituere 1. Expenſas factas in curatione vulneris , vel morbi inde ſecuti. 2. Compenſare omne damnum emergens & lucrum ceſſans, ex induſtria , officio, arte, &c. 3. Reſtituere uxori & filiis , quos occiſus alebat ex operis & quæſtu. 4. Solvere debita occiſi vel mutilati , ſi occiſio vel mutilatio cauſa ſit cur creditoribus non ſint ſoluta. Ratio eſt, quia horum eſt cauſa injuſta.

Quæres 4. *Quid reſtituere debeat ſtuprator virginis?*

Reſp. 1. Qui virginem ſponte conſentientem, abſque vi, fraude, importunitate precum defloravit, nihil tenetur reſtituere in conſcientia , quia illi non eſt facta injuria . . . . 2. Qui vi, fraude, importunitate precum eam defloravit , tenetur compenſare omnia damna virgini & ejus parentibus inde obvenientia ; quia illorum eſt cauſa per injuriam . 3. Qui defloravit ſub promiſſione matrimonii, tenetur eam ducere, *excipe*, 1. Si corrupta, ſe fingendo virginem , nobilem , divitem , decepiſſet corruptorem. 2. Si poſtea fornicetur cum alio. 3. Si fictam eſſe promiſſionem potuerit , ex magna conditionis diſparitate, deprehendere , quia tunc non eſt rationabiliter invita, modo damnum aliunde reparetur. 5. Si corruptori

ſuperveniat impedimentum dirimens, in quo Papa non ſolet diſpenſare: v. gr. ſi ſuſcepit ſacros Ordines.

Quæres 5. *Ad quid teneatur adulter?*

Reſp. Si non ſit ſecuta proles, ad nihil tenetur, quia nullum damnum eſt ſecutum . . . . *Si certo ſit ſecuta proles*, tenetur 1. Alimenta ſubminiſtrare proli ab anno tertio ad tempus quo ſibi de alimentis providere poterit: immo ab ipſo partu in defectum matris, qui primo Triennio tenetur alere filium Nothum. 2. Compenſare omnia damna quæ marito adulteræ, uti & legitimis hæredibus, ex ſuppoſitione ſpurii conſequuntur; quia eorum fuit cauſa . . . . *Si dubium ſit an proles ſit ſua*, tenetur reſtituere pro rata dubii, quia in dubio præſumptio eſt contra nocentem.

Quæres 6. *Ad quid teneatur adultera, prole ſecuta?*

Reſpond. 1. *Si fuit ſimpliciter invita:* ad nihil tenetur. 2. *Si fuit ſecundum quid invita*, tenetur reſtituere in defectum adulteri. *Si libere conſenſit*, æqualiter cum adultero tenetur reſtituere, ſive ex bonis paraphernalibus, ſive rem familiarem diligentius adminiſtrando, & alio quovis modo poſſibili & licito.

§. II. *De injuriis in fama & honore, & earum reſtitutione.*

Quæres 1. *Quid ſit fama?*

Reſp. Eſt, *interna exiſtimatio de alicujus excellentia*. Læditur per detractionem, calumniam, judicium temerarium, & ſuſurrationem.

Quæres 2. *Quid ſit honor?*

Reſp. Eſt, *externa ſignificatio excellentiæ alterius*. Læditur per contumeliam & irriſionem.

Quæ-

Quæres 3. *Quid ſint detractio & calumnia?*

Reſp. Detractio eſt, *injuſta & occulta famæ alienæ denigratio*. Calumnia vero eſt, *falſi criminis vel defectus impoſitio*.

Quæres 4. *Quot modis fieri poſſit detractio?*

Reſp. Octo modis, quos exprimunt verſus ſequentes:

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens.
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remiſſe.

Quæres 5. *Quale ſint peccatum detractio & calumnia?*

Reſp. Sunt peccatum mortale ex genere ſuo. Gravitas utriuſque deſumi debet ex circumſtantia defectûs, aut vitii quod narratur, relative ad perſonam læſam.

Quæres 6. *Quænam ſint juſtæ cauſæ quæ detrahentem a peccato excuſent.*

Reſpond. Sunt duæ, ſcilicet, *juſtitia*, dum quis ex officio ſuo tenetur manifeſtare delictum. Et *charitas*, dum quis aliter non poteſt impedire damnum ſibi vel proximo impendens, quia tunc detractio non eſt inordinata & injuſta.

Quæres 7. *Quis teneatur ad reſtitutionem famæ?*

Reſp. Omnis & ſolus qui eam abſtulit, & ejus cooperatores, ut ſunt, mandans, conſulens, non obſtans, cum tenetur ex officio obſtare, &c. Quia illi ſoli, per injuriam, famam violarunt.

Quæres 8. *Quid reſtituere teneatur detractor?*

Reſp. Tenetur, quamprimum fieri poteſt, 1. Reſtituere famam ablatam, etiam per retractationem, & cum periculo famæ & fortunæ.

2. Reſarcire damna ex detractione orta, cum illorum ſit cauſa injuſta.

Quæres 9. *Quandonam detractor non teneatur ad reſtitutionem famæ?*

Reſp. Non tenetur 1. Quando infamatus condonavit, modo infamia non redundet in alios. 2. Quando duæ perſonæ privatæ ſeſe mutuo infamarunt, quia tunc eſt juſta compenſatio. 3. Quando fama eſt aliunde reparata, verb. g. per ſententiam judicis. 4. Quando infamia penitus abiit in oblivionem. 5. Quando crimen factum eſt publicum. 6. Quando reſtitutio eſt impoſſibilis, in quo tamen caſu detractor tenetur pecunia, vel alio modo damnum compenſare. 7. Quando nulla ex detractione ſecuta eſt infamia.

Quæres 10. *Quid ſit judicium temerarium, & quale peccatum?*

Reſp. Eſt, *aſſenſus abſolutus, & firmus de proximi improbitate ex levibus & inſufficientibus indiciis ortus.* Eſt peccatum mortale ex genere ſuo, quia ex levi, aut nulla cauſa aufert proximo bonam, quam apud judicantem poſſidebat, exiſtimationem, quod eſt magna injuria, quare Chriſtus, *Luca 6.* dicit: *Nolite judicare, & non judicabimini.*

Quæres 1. *Quid requiratur ut tollatur injuria illata per judicium temerarium?*

Reſp. Sufficit ut qui judicium temerarie tulit, illud apud ſemetipſum deponat.

Quær. 12. *Quid ſit contumelia, & quale peccatum?*

Reſpond. Eſt, *injuſta & aperta honoris alieni violatio.* Aperta, id eſt, ſcienti & præſenti facta. Eſt peccatum mortale ex genere ſuo, & quidem gravius detractione, cum fiat coram & in faciem. Obligat ad reſtitutionem, & quidem ad veniæ petitionem, ſi opus fuerit, ſpectata conditione perſonæ.

Quæ-

Quæres 13. *Quid ſit deriſio, & quale peccatum?*

Reſp. Eſt, *jocus de proximi defectibus ut rubore afficiatur:* Eſt peccatum veniale ex genere ſuo, quia de ſe gravem proximo non infert injuriam . . . . Dixi: *Ex genere ſuo*: quia quandoque transfertur in aliam ſpeciem peccati mortalis, v. gr. ſi irrideantur Deus, Sancti, cæremoniæ ſacræ, parentes, item & proximus de virtutis cultu.

§. III. *De injuriis in bonis fortunæ & earum reſtitutione.*

Quæres 1. *Quomodo quis poſſit in bonis fortunæ lædi?*

Reſp. Per furtum, & rapinam.

Quæres 2. *Quid ſit furtum?*

Reſp. Eſt, *occulta rei alienæ ablatio, invito rationabiliter Domino.* Si res ablata, ſit ſacra, vel in loco ſacro, furtum dicitur, *ſacrilegium*. Si pertineat ad fiſcum dicitur, *peculatus*. Si ſit homo, dicitur, *plagiatus*. Si ſint pecora, dicitur, *abigeatus*.

Quæres 3. *Quid ſit rapina?*

Reſp. Eſt, *manifeſta rei alienæ ablatio, invito rationabiliter Domino*. Unde rei ſunt rapinæ, qui decimas, mercedem operariorum, vectigalia & juſta tributa, defraudant. Qui ad uſuram dant. Qui cogunt ad contractus inæquales ineundos. Qui, ſtipendio ſibi publice aſſignato non contenti, plus aliquid exigunt. Qui foro cedunt, &c.

Quæres 4. *Quodnam ſit peccatum furtum & rapina?*

Reſpond. Eſt mortale ex genere ſuo, nam ex Apoſt. 1. Cor. 6. *Neque fures, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*.

Quæres 5. *Quænam quantitas requiratur ad furtum mortale?*

Reſp. Requiritur ea, quæ, ſpectatis omnibus, grave damnum infert, privatque notabili utilitate, unde non eadem quantitas in omnibus furtis ſtatui poteſt pro materia mortifera.

Quæres 6. *Utrum mortaliter peccet, qui cum intentione furandi notabilem quantitatem, modicum quid ab uno vel pluribus furatur?*

Reſp. Peccat mortaliter toties quoties minutum quid ſurripit: quia illa minuta furta fiunt ex affectu peccati mortalis; ergo.

Quæres 7. *Utrum is, qui, ſine intentione furandi magnam quantitatem, plura minuta furatur ab uno, vel pluribus, peccet mortaliter?*

Reſpond. Peccat mortaliter, non quocumque actu, ſed eo demum, in quo advertit, ſaltem confuſe, ſe ad quantitatem notabilem perveniſſe. Quia tunc vult & ponit complementum damni notabilis proximi. Unde tenetur ad reſtitutionem ſub mortali, ut definivit Innoc. XI. propoſ. 38.

Quæres 8. *An liceat uti occulta compenſatione ad rem ſuam, aut ſibi debitam, recuperandam?*

Reſp. Licitum eſt, quia jure naturali quilibet poteſt ſe indemnem ſervare: modo tamen concurrant ſex conditiones. 1. Quod rem ſuam non poſſit auctoritate publica obtinere. 2. Quod debitum ex juſtitia, ſit certum. 3. Quod caveatur ne debitor aut ejus hæredes iterum ſolvant. 4. Quod abſit omne periculum ſcandali, vel damni alicujus tertii, qui de furto poſſet accuſari. 5. Quod compenſatio fiat ex bonis debitoris. 6. Ut famuli & officiales juſtitiæ, non utantur tali compenſatione, eo prætextu, quod pretium minus juſto accipiant, quia tenentur ſtare conventioni, Matth. 24. *Non facio*

tibi

tibi injuriam, nonne ex denario conveniſti mecum? contrariam propoſ. damnavit Innoc. XI. propoſ. 37.

Quæres 9. *Utrum liceat in neceſſitate conſtituto aliena ſurripere?*

Reſpond. Licet in extrema neceſſitate, quia tunc omnia ſunt communia, non licet in gravi, ut definivit Innocentius XI. propoſitione 36. quia, in ea, bona non ſunt communia. Porro, ſi, poſt tranſactam extremam neceſſitatem, res ablata extet in ſpecie, debet reſtitui, quia ceſſat jus ex neceſſitate ortum. Si non extet, nihil tenetur reſtituere, quia, durante neceſſitate, in eam verum habuit dominium.

TRACTATUS XVI.

DE PECCATIS.

ARTICULUS I.

De Peccatis in communi.

Quæres 1. *QUid ſit peccatum?*

Reſp. Definitur a D. Auguſt. lib. 22. cont. Fauſtum, c. 27. *Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* Hæc definitio convenit omni peccato, *tum omiſſionis*, quia in moralibus affirmatio & negatio ad idem genus reducuntur, *tum originali*, quia eſt factum, non quidem voluntate propria, ſed voluntate aliena, nempe, Adami, quæ non erat ſolum voluntas privatæ perſonæ, ſed et-

iam communis omnium hominum, quorum Adam erat caput. *Tum peccato veniali*, quia licet non ſit contra finem legis, qui eſt charitas, eſt tamen contra legem ſecundum ſe ſpectatam.

Quæres 2. *Unde peccatorum diſtinctio ſpecifica deſumenda ſit?*

Reſp. Deſumitur 1. ex diverſo motivo quo eadem res præcipitur, quia tunc duplex eſt objectum formale diverſum: ſic qui non obſervat jejunium præceptum ab Eccleſia ex motivo religionis, & injunctum a Confeſſario ex motivo pœnitentiæ, duplex ſpecie peccatum committit .... Deſumitur 2. ex objecto formali, fine, & circumſtantiis habentibus malitiam ſpecie diverſam, quia ab eis actus moralis deſumit malitiam moralem.

Quæres 3. *Quandonam actus moralis ex objecto, fine, & circumſtantiis contrahit malitiam ſpecie diverſam?*

Reſp. Contrahit 1. Quando diverſis virtutibus eſt oppoſitus, ſic percuſſio Clerici opponitur juſtitiæ & religioni. 2. Quando opponitur diverſis ejuſdem virtutis officiis, ut odium Dei, & omiſſio actus charitatis. 3. Quando opponitur eidem virtuti modo contrario, ut avaritia & prodigalitas. Vel modo diverſo, licet non contrario, ſic furtum, detractio, homicidium, &c. opponuntur virtuti juſtitiæ.

Quæres 4. *Unde deſumatur diſtinctio peccatorum numerica?*

Reſp. Deſumitur 1. *Ex objecto materiali*, unde quando unus phyſicè actus verſatur circa plura objecta materialia, quæ ſe habent per modum plurium, plura complectitur peccata, quia plures habet malitias. Sic qui duos homines odit, duos occidit, de duobus detrahit, duo peccat numero committit. 2. *Ex complemento*

mento plurium actuum circa idem objectum; ſic qui omnino ſucceſſive bis ſe polluit, bis fornicatur, duo committit peccata numero diſtincta: econtra qui ex intentione fornicandi, puellam impudice reſpicit, oſculatur, tangit, & tandem fornicatur, unum numero peccatum committit, tanto gravius tamen, quanto plura concurrunt, ait D. Antonin. quia omnes illi actus ordinantur ad actum principalem, cujus ſunt inchoationes. 3. *Ex morali interruptione quæ in pluribus ejuſdem ſpeciei actibus reperitur*, quia per moralem interruptionem actus humani multiplicantur moraliter. Sic qui viſa puella eam impudice concupiſcit, & poſtea a tali concupiſcentia ſe divertit, ut alia cogitet, vel peccati pœnitens hanc delectationem abjicit, vel etiam voluntarie ab actu ceſſat, v. gr. per ſomnium, ſtatimque ad priorem delectationem revertitur, duo peccata committit.

Quæres 5. *Utrum omnia peccata ſint inter ſe connexa?*

Reſp. negat. Quia privatio honeſtatis unius virtutis, non eſt connexa cum privatione honeſtatis alterius virtutis; nam qui violat juſtitiam, non violat miſericordiam.

Quæres 6. *An omnia peccata ſint inter ſe æqualia?*

Reſp. negat. Nam peccatum eſt majus vel minus pro majori vel minori rectitudine qua privat, unde Chriſtus dixit Pilato: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. Joann. 19.

Quæres 7. *Quinam ſint peccatorum effectus?*

Reſp. Sunt duo, ſcilicet reatus culpæ & pœnæ. *Prior*, nihil aliud eſt quam peccatum habituale, id eſt, macula qua anima peccans inficitur. *Poſterior*, eſt obligatio ad pœnam. Utrumque exiſtere fides docet, Matth. 5. *Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit Gehennæ*

 ignis.

ignis. Et Jerem. 2. *Maculata es in iniquitate tua coram me*.

Quæres 8. *Quotuplex ſit peccatum?*

Reſp. Duplex, nempe, *originale*, quod aliena voluntate commiſſum, per viam generationis traducitur. Et *perſonale*, quod propria voluntate peccantis committitur, & duplex eſt, actuale, & habituale.

Quæres 9. *Quotuplex ſit peccatum actuale?*

Reſp. 1. Dividitur, *ratione præcepti*, in peccatum *commiſſionis*, quo præceptum negativum tranſgreditur. Et peccatum *omiſſionis*, quo præceptum affirmativum tranſgreditur, ut omiſſio ſacri die feſto.

2. Dividitur, *ratione cauſæ*, in peccatum *ignorantiæ*, quod ab ignorantia culpabili antecedente, voluntarium minuente, tanquam a cauſa per accidens, procedit. *Infirmitatis*, quod procedit a paſſione antecedente, voluntatem ad conſenſum trahente, & *malitiæ*, quod ex plena voluntate & libertate, abſque ignorantia vel paſſione ſenſitiva antecedenter incitante, committitur.

3. Dividitur, *ratione modi*; in peccatum *cordis*, quod ex natura ſua in corde conſummatur, ut odium. Peccatum *oris*, quod ore perpetratur, ut perjurium; & peccatum *operis*, quod opere externo perficitur, ut adulterium.

4. Dividitur, *ratione objecti*, in peccatum contra Deum, quod ſpecialiter opponitur reverentiæ Deo debitæ. *Contra proximum*, quod proximo nocumentum affert. Et *contra ſeipſum*, quo violatur ordo rationis, quem homo ſervare debet erga ſeipſum, pro recta ſui ipſius gubernatione, ut ebrietas.

5. Dividitur, *ratione effectus*, in *mortale* quod mortem animæ infert. Et *veniale*, quod levi-

leviter Deum offendit, nec mortem animæ infert.

6. Tandem dividitur, in *capitale*, quod non ſolum eſt peccatum per ſe, ſed & aliorum peccatorum radix & cauſa impulſiva. Et *non capitale*, quod ita eſt peccatum, ut non ſit radix aliorum peccatorum.

ARTICULUS II.

De Peccatis in particulari.

§. I. *De Peccato commiſſionis & omiſſionis*.

Quæres 1. *Utrum actus bonus, vel indifferens, qui cum omiſſione culpabili eſt conjunctus, & incompoſſibilis cum obſervantia præcepti, ſit peccatum?*

Reſp. Eſt peccatum ſi ſit omiſſionis cauſa, vel occaſio, ut ſi quis omittat ſacrum ut ſtudeat vel ludat, quia contrahit malitiam omiſſionis. Si vero tantum concomitanter ſe habeat ad omiſſionem, non eſt peccatum, quia non influit in omiſſionem.

Quæres 2. *Utrum qui ſcienter, vel ex ignorantia culpabili, ponit cauſam omiſſionis vel ſe ipſius morali periculo exponit, eo ipſo malitiam omiſſionis contrahat?*

Reſp. affirmat. Quia vult ſaltem indirecte & interpretative ipſam omiſſionem.

Quæres 3. *Utrum omiſſio culpabilis in cauſa, ſit etiam culpabilis in ſe, eo tempore quo omittitur præceptum, etiamſi tunc homo non ſit ſui compos?*

Reſp. affirm. Quia ut aliquid ſit in ſe formaliter peccatum, ſufficit quod indirecte & in ſua cauſa ſit voluntarium. Hinc pœnitens tenetur aperire in confeſſione, non tantum omiſ-

ſionis cauſam, ſed etiam ipſam omiſſionem actualem, quia cum poſita fuit cauſa, fuit peccatum omiſſionis *quoad affectum*; cum vero, inſtante obligatione præcepti, omiſſus fuit actus debitus, fuit peccatum omiſſionis *quoad effectum*.

§. II. *De Peccatis ignorantiæ, infirmitatis, & malitiæ.*

Quæres 1. *Utrum dentur peccata infirmitatis?*

Reſp. affirm. Quia peccare poſſumus ex paſſione antecedente, voluntatem ad conſenſum trahente, Rom. 7. *Cum eſſemus in carne, paſſiones peccatorum operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti.*

Quæres 2. *An dentur peccata malitiæ?*

Reſp. affirm. Nam dantur peccata, quæ quis, nulla paſſione allectus, ſcienter & libere committit. De illis Job 34. dicit: *Quaſi de induſtria receſſerunt ab eo* (Deo). Tale eſt peccatum ex habitu, quem peccans emendare non curat, ut docet Divus Thomas 1. 2. quæſt. 78. artic. 2.

Quæres 3. *Utrum dentur peccata ignorantiæ?*

Reſpond. Dantur, ut fides docet, juxta illud Pſalm. 24. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Unde, *Levit.* 4. præſcribitur ritus ſacrificii Deo pro peccatis ignorantiæ offerendi.

Objicies: Ille non peccat, qui non agit contra conſcientiam; ſed qui ignorat actionem ſuam eſſe contra legem, non agit contra conſcientiam; ergo &c.

Reſp. nego maj. Ut enim is, qui agit contra legem, immunis ſit a peccato, non ſufficit quod non agat contra conſcientiam, ſed inſuper requiritur, ut invincibiliter ignoret actionem ſuam eſſe contra legem; alias error erit vincibilis, & conſequenter culpabilis.

Ergo

Ergo ad peccandum formaliter neceſſaria non eſt actualis cogitatio malitiæ actionis, vel actuale de ea dubium; ſed ſufficit quod peccans poſſit & debeat advertere: tunc enim eſt voluntarium interpretativum, quod, juxta omnes, ad peccatum formale ſufficit.

§. III. *De peccatis oris, & cordis.*

Quæres 1. *Quænam ſint præcipua peccata oris & cordis?*

Reſp. Sunt mendacium, & delectatio moroſa.

Quæres 2. *Quid ſit mendacium?*

Reſpond. Eſt, *locutio, aut quælibet ſignificatio contra mentem, cum intentione fallendi*. Unde non tantum verbis, ſed etiam nutu, geſtu, & facto poteſt quis mentiri.

Quæres 3. *Quotuplex ſit mendacium?*

Reſp. Triplex, nempe, *officioſum*, quod profertur alienæ utilitatis cauſa; *jocoſum*, quod profertur voluptatis propriæ, vel alienæ cauſa; & *pernicioſum*, quod proximo vel religioni nocumentum infert.

Quæres 4. *Utrum omne mendacium ſit peccatum?*

Reſpond. Eſt peccatum, quia eſt intrinſece malum, & contra dictamen rationis, cum hac tamen differentia, quod mendacium *pernicioſum*, ſit mortale ex genere ſuo, cum opponatur charitati & juſtitiæ erga proximum; *jocoſum* autem, & *officioſum*, ſint tantum venialia, quia, licet adverſentur veritati, leviter tantum adverſantur charitati.

Quæres 5. *Quid ſint æquivocatio & reſtrictio mentalis:*

Reſp. Æquivocatio, ſeu amphibologia, eſt, *ſermo ambiguus, habens duplicem ſenſum, quem proferens prævidet ab audiente accipiendum in alio*

alio ſenſu quam ipſe intelligit .... Reſtrictio mentalis eſt, *externæ locutionis interna limitatio ſubaudita* ...... Si ſenſus a loquente intentus, neque ex modo loquendi, neque ex ſignis aut circumſtantiis, neque ex uſu communi, poſſit deprehendi ab audiente, dicitur, *pure mentalis*; ſi poſſit ex illis deprehendi, eſt *late mentalis*.

Quæres 6. *Utrum æquivocatio & reſtrictio mentalis ſint mendacia?*

Reſp. 1. Si ſint pure mentales, ſunt mendacia; nam 1. D. Auguſt. *lib. de mendacio*, *c.* 3. dicit; *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis*. 2. Talis loquitur contra mentem, & proximum decipit: unde Innocentius XI. damnavit propoſit. contrariam noſtræ doctrinæ.

Reſp. 2. Si ſint late mentales, non ſunt mendacia; quia qui eis utitur, nec contra mentem loquitur, nec decipit proximum, cum verum ſenſum percipere poſſit & debeat. Hinc ex gravi & juſta cauſa uti licet reſtrictione late mentali.

Quæres 7. *Quid ſit delectatio moroſa?*

Reſp. Eſt, *actus voluntatis ſibi complacentis in malo, vel diſplicentis in bono, abſque intentione mali exequendi*. Dicitur, *moroſa*, non a mora temporis, ſed a mora voluntatis, quæ, poſt turpis delectationis advertentiam, eam non repellit, ut poteſt & debet.

Quæres 8. *Utrum conſenſus in delectationem moroſam, ſit peccatum?*

Reſp. 1. Conſenſus formalis, aut virtualis in delectationem de aliqua re moraliter mala, eſt peccatum mortale, ut conſtat apud omnes.

Reſp. 2. Conſenſus negativus, quo quis, poſt ſufficientem advertentiam, non reprimit delectationem circa illicita, ſed mere negative ſe ha-

habet, neque conſentiendo, neque diſſentiendo, ſufficit ad peccatum mortale. 1. Quando imminet periculum conſenſus poſitivi, & formalis in delectationem, quia ſe exponit probabili periculo peccati mortalis. 2. Quando etiam abeſt tale periculum, quia poteſt & debet repelli, *niſi juſta cauſa excuſet*; ergo, ſi non repellatur, erit interpretative voluntaria & peccaminoſa.

Dixi, *Niſi juſta cauſa excuſet*; quia reſiſtere concupiſcentiis, eſt præceptum affirmativum; ergo non obligat ſemper & pro ſemper; ergo poteſt dari aliqua cauſa juſta, propter quam non ſit peccatum voluntatem *mere negative* ſe habere ad ejuſmodi delectationes, qualis eſt probabilis timor, ne ex majori reſiſtentia delectatio augeatur, vel dimiſſio actionis honeſtæ, neceſſariæ, vel utilis.

Quæres 9. *Qualis ſit delectatio moroſa?*

Reſp. Talis eſt, quale eſt ejus objectum. Si objectum non ſit illicitum, non eſt illicita; ſi ſit mortaliter aut venialiter malum, eſt mortaliter aut venialiter mala: quia affectus erga aliquam rem, ſpecificatur ab ipſa re, quæ eſt ejus objectum.

Ergo delectatio de ſola cognitione rei, vel de modo ridiculo & miro quo res peracta eſt, non eſt peccatum, quia ejus objectum non eſt malum.

Ergo delectatio de actu intrinſece malo, per accidens citra culpam commiſſo, eſt peccatum; quia eſt de objecto graviter ex ſe illicito. Unde Innoc. XI. hanc propoſ. damnavit; *Licitum eſt filio gaudere de parricidio a ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.*

Ergo delectatio venerea quam percipit viduus de copula præterita, ſponſus de copula futu-

futura, conjugatus de præterita vel futura in abſentia compartis, eſt peccatum mortale; quia effuſio ſeminis eſt ipſis hic & nunc mortalis; ergo & delectatio venerea, quæ ex natura ſua ordinatur ad ſeminis effuſionem.

Ergo delectatio ſpiritualis (id eſt, quæ in ſola voluntate reſidet, nec ſentitur circa partes venereas) quam percipit viduus de copula præterita, ſponſus de futura, eſt per ſe mortalis, quia, uterque, ſunt conſtituti extra matrimonium, in quo ſolo licita eſt copula carnalis.

Ergo delectatio ſpiritualis quam alter conjugum percipit ex copula matrimoniali cogitata ut præſenti in abſentia compartis, non eſt per ſe peccatum mortale; quia copula matrimonialis illi pro tali tempore eſt licita, quamvis per accidens non poſſit exerceri; ergo licita quoque eſt delectatio ſpiritualis de illius cogitatione.

Quæres 10. *An liceat delectari de re mortaliter mala, ſub hac conditione ſi non eſſet mala, aut prohibita?*

Reſp. Non licet, ſi res ſit intrinſece mala, quia nulla conditio appoſita poteſt ejus malitiam tollere. Econtra, licet, ſi res ſit tantum mala, quia eſt prohibita, quia conditio appoſita malitiam tollit ab objecto ut repræſentatur. Hinc peccat, qui dicit: *Vellem fornicari, ſi non eſſet malum*; non peccat vero qui dicit: *Vellem comedere carnes, niſi eſſet jejunium.*

Quæres 11. *An liceat delectari de bono effectu ex peccato ſecuto?*

Reſpond. Licet, quia objectum talis gaudii non eſt malum.

§. IV.

§. IV. *De Peccato mortali & veniali.*

Quæres 1. *Utrum dentur peccata mortalia?*

Reſpond. affirm. Nam datur peccatum quod mortem animæ affert, Rom. 1. *Qui talia agunt, digni ſunt morte.*

Quæres 2. *Utrum malitia peccati mortalis, prout eſt offenſa Dei, ſit infinita?*

Reſpond. Eſt infinita ſecundum quid, objective, & extrinſece, quia offendit Deum, qui eſt dignitatis infinitæ. Sed eſt intrinſece & ſimpliciter finita, quia habet terminum ultra quem poteſt extendi; nulla enim eſt offenſa Dei, quæ non poſſit eſſe major & major intra eandem ſpeciem.

Quæres 3. *Quot requirantur ad peccatum mortale?*

Reſp. Tria, nempe, plena advertentia, perfectus conſenſus, & materia gravis in illis peccatis quæ admittunt parvitatem materiæ.

Quæres 4. *Quot ſint pœnæ peccati mortalis?*

Reſpond. Duæ, nempe, *pœna damni*, quæ conſiſtit in privatione viſionis Dei, & *pœna ſenſus*, quæ conſiſtit in dolore ignis infernalis . . . . utraque eſt æterna, Iſaiæ 66. *Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguetur.*

Quæres 5. *Utrum dentur peccata ex natura ſua venialia?*

Reſp. De fide eſt dari, quia ſunt quædam peccata quæ ex ſe nec mortem animæ inferunt, nec pœnam æternam merentur. Unde Pius. V. & Greg. XIII. hanc Baji prop. damnarunt. *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Objicies: Quodlibet peccatum eſt majus malum

ſum quam pœna æterna; ergo quodlibet per ſe meretur pœnam æternam.

Reſp. nego conſeq. Equidem peccatum eſt majus malum quam pœna æterna, quæ, cum ſit malum inferioris ordinis, nunquam poteſt pertingere malum culpæ, quæ eſt ſuperioris ordinis; ſed non inde ſequitur, quod læviſſimæ culpæ debeatur pœna maxima, cum, ſecundum juſtitiæ vindicativæ exigentiam, pœna debeat correſpondere culpæ, ideo culpæ levi non niſi levis pœna debetur.

Inſt. Bonum opus ſalutare, vel leviſſimum, meretur vitam æternam; ergo & peccatum leviſſimum meretur mortem æternam.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod omne opus bonum ſalutare ex imperio charitatis fiat, cui ſane debetur vita æterna; at leve peccatum non procedit ex odio Dei, cum juſtus, illud committens, in Dei amicitia habitualiter perſeveret.

Quæres 6. *Unde repetenda ſit prima & præcipua differentia peccati venialis a mortali?*

Reſp. Ex eo repeti debet, quod homo per peccatum mortale ita ſe avertat a Deo, ut, ſaltem virtualiter & interpretative, finem ſuum ultimum conſtituat in creatura, quam Deo præfert. Econtra per peccatum veniale homo nequidem virtualiter & interpretative finem ſuum ultimum ponat in creatura, cum eam deſerere habitualiter ſit diſpoſitus, ſi illius amor Deum graviter offendi & penitus amitti intelligeret: unde plus ſemper appretiative Deum diligit, quam creaturam.

Quæres 7. *Utrum peccatum mortale ex genere ſuo, poſſit fieri veniale?*

Reſpond. Poteſt, 1. Propter defectum plenæ advertentiæ & pleni conſenſus, qui neceſſario requiruntur ad peccatum mortale. 2. Propter

par-

parvitatem materiæ, niſi ſit mortale *ex toto genere ſuo*, quia tunc non admittit levitatem materiæ: talia ſunt peccata contra Deum, Religionem, Sacramenta, & ea quæ gravem important corruptionem, ut luxuria, cujus omnis actus inchoata eſt pollutio.

Quæres 8. *Utrum peccatum veniale diſponat ad mortale?*

Reſp. 1. Veniale *per accidens* diſponit *directe* ad mortale, nam qui ſæpe furatur parva, inclinatur ad furandum majora. 2. Veniale *ex genere ſuo* diſponit *indirecte* ad mortale, nam Eccl. 19. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*. Quia peccatum veniale, minuendo fervorem charitatis, auget cupiditatem, & impedit ſpecialem Dei providentiam, qua tentationes & pericula removebat, & uberiores gratias largiebatur.

Quæres 9. *Utrum peccatum veniale ex genere ſuo, poſſit fieri mortale?*

Reſpond. Non poteſt *per ſe*, id eſt, propter ſolam ſui multiplicationem, quia differt eſſentialiter a mortali. Poteſt tamen *per accidens*, nempe per additionem circumſtantiæ moraliter malæ: hocque contingit. 1. Ratione pravæ diſpoſitionis agentis, qui ita eſt affectus, ut id quod facit adhuc faceret, etiamſi ſciret illud eſſe peccatum mortale. 2. Ratione finis mortaliter mali. 3. Ratione gravis ſcandali. 4. Ratione proximi periculi mortaliter peccandi. 5. Ratione contemptus formalis præcepti, vel ſuperioris. 6. Tandem ratione connexionis & moralis materiæ unionis, circa quam:

Quæres 10. *Quomodo materiæ leves, inter ſe moraliter uniantur ad conſtituendum unum peccatum mortale?*

Reſp. Uniuntur 1. *Per intentionis affectum*, ſic qui apud ſe proponit ſingulis diebus per

duos,

duos menſes furari unum aſſem, toties quoties unum aſſem furatur, peccat mortaliter, quia ex intentione ſummæ totalis furatur. 2. *Per ordinem quem materiæ leves habent ad unam numero obligationem*, ſic peccat mortaliter qui ſæpius in die jejunii pauca comedit, ex quibus conjunctim ſumptis oritur notabilis quantitas. 3. *Per ſummam integram quam conſtituunt*, ſic qui, etiam abſque intentione plura furandi, quotidie unum aſſem furatur, peccat mortaliter cum pervenit ad gravem quantitatem.

Quæres 11. *Quot aſſignantur pœnæ peccati venialis?*

Reſp. Quatuor, 1. Conſiſtit in hujus vitæ adverſis, morbis, ac etiam morte temporali, ut conſtat exemplo Moyſis, uxoris Loth, &c. 2. Eſt gratiæ uberioris ſubſtractio. 3. Eſt diminutio fervoris charitatis, & familiaritatis cum Deo. 4. Eſt graviſſimi ignis purgatorii perpeſſio temporanea, ſaltem in his qui in Domino moriuntur.

§. V. *De Peccatis capitalibus.*

Quæres 1. *Quot ſint peccata capitalia?*

Reſp. Sunt ſeptem: ſuperbia, avaritia, invidia, ira, acedia, gula, & luxuria.

Quæres 2. *Quid ſit ſuperbia?*

Reſp. Eſt, *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ*. Quæ inordinatio oritur 1. *Ex defectu humilitatis*, quo ſuperbus ſuperioribus ſubjici recuſat. 2. *Ex defectu magnanimitatis*, quo ſuperbus quæ ſunt ſupra conditionem ſuam præſumptioſe appetit.

Quæres 3. *Quotuplex diſtinguitur ſuperbia?*

Reſp. Duplex, nempe, *perfecta*, qua quis bona, quæ gratuito recepit a Deo, æſtimat a ſemetipſo habere, vel pro ſuis meritis accepiſſe.

piſſe. Et *imperfecta*, qua quis, agnoſcens ſe omnia Deo debere, cæteris plus æquo ſe effert, vel qua bona, quæ non habet, arrogat ſibi, ſive in ſua, ſive in aliorum opinione.

Quæres 4. *Quale ſit peccatum ſuperbia?*

Reſp. Superbia *perfecta*, eſt peccatum mortale ex genere ſuo, quia repugnat charitati Dei, qui per ſuperbiam contemnitur. *Imperfecta* vero eſt ſolum veniale ex genere ſuo, quia charitati non graviter repugnat.

Quæres 5. *Quid ſit ira?*

Reſpond. Eſt, *inordinatus appetitus vindictæ, aut quaſi vindictæ*. Illa inordinatio oriri poteſt, 1. *Ex parte objecti*, cum nempe quis optat vindictam ei qui non meruit, vel majorem quam meruit, vel inferendam ſine juſta auctoritate. 2. *Ex parte modi*, ut ſi quis nimis ardenter iraſcatur interius, vel ſi nimis exterius manifeſtet ſigna iræ, ait D. Tom. quæſt. 158.

Quæres 6. *Quale ſit peccatum ira?*

Reſpond. Si ſit inordinata ex parte objecti, eſt peccatum mortale ex genere ſuo, cum ſit contra charitatem & juſtitiam. Si vero ſit inordinata ex parte modi tantum, *ſecundum ſe non habet ex genere ſuo rationem peccati mortalis*, ait D. Thom. ibidem.

Quæres 7. *Quid ſit avaritia?*

Reſp. Eſt, *inordinatus appetitus divitiarum*. Eſt autem inordinatus, 1. *Ratione objecti*, dum nempe aliena concupiſcimus. 2. *Ratione finis*, dum finem noſtrum in divitiis conſtituimus. 3. *Ratione exceſſus*, dum opes ita congerimus, ut nullum iis congerendis modum ſtatuamus.

Quæres 8. *Quale ſit peccatum avaritia?*

Reſp. Eſt mortale ex genere ſuo dum charitati vel juſtitiæ adverſatur, nam, *neque fures, neque avari regnum Dei poſſidebunt*, 1. Cor. 6.

Quæ-

Quæres 9. *Quid ſit invidia?*

Reſp. Eſt, *triſtitia de bono proximi, quatenus eſt propriæ excellentiæ imminutivum* ... eſt mortale ex genere ſuo, quia opponitur charitati, cujus proprium eſt de bono proximi gaudere, & de illius malo dolere, Hinc ad Galat. 5. *invidia* dicitur excludere *a regno Dei*.

Quæres 10. *Quid ſit acedia?*

Reſp. Eſt, *triſtitia & tædium de bonis divinis, ut ad nos pertinentibus*. Ut ſi quis doleat, quod Deus ſit beatitudo noſtra, eo quod hæc beatitudo non poſſit ſine difficili virtutum exercitio obtineri ... Eſt peccatum mortale ex genere ſuo, quia graviter charitati Dei repugnat; per eam enim parvipenduntur amicitia Dei & æterna beatitudo.

Quæres 11. *Quid ſit gula?*

Reſp. Eſt, *inordinatus appetitus cibi & potus*. Porro eſt inordinatus quinque modis hoc verſu contentis:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe.

Quæres 12. *Quale ſit peccatum gulæ?*

Reſp. Cum D. Thom. eſt peccatum mortale, quando homo finem ſuum conſtituit in delectatione gulæ, paratus ſcilicet contra præcepta Dei agere, ut delectationes hujuſmodi aſſequatur; alias eſt ſolum veniale per ſe, poteſt tamen fieri mortale ex circumſtantiis.

Quæres 13. *Quot ſint ſpecies gulæ?*

Reſpond. Duæ, nempe, *crapula*, quæ eſt exceſſus, quo quis omnino ſanus ita cibis ſeſe ingurgitat, ut ad vomitum moveatur: eſt mortale ex genere ſuo, quia naturæ rationali graviſſime repugnat. Et *ebrietas*, quæ eſt exceſſus voluntarius in potu uſque ad violentam pri-

privationem uſus rationis: eſt peccatum mortale ex genere ſuo, cum ſeſe privare uſu rationis ſit gravis inordinatio: *Nolite errare*, inquit Apoſt. 1. Corint. 6. *neque fornicarii*, *neque idolis ſervientes* ... *neque ebrioſi* ... *regnum Dei poſſidebunt*. Ergo cum ebrietas ſit intrinſece mala, nullo unquam caſu poteſt eſſe licita.

Quæres 14. *Quid ſit luxuria?*

Reſp. Eſt, *inordinatus voluptatis veneræ appetitus, vel uſus*. Eſt peccatum mortale ex toto genere ſuo. Unde non datur parvitas materiæ in delectatione venerea, cum ex natura ſua ordinetur ad ſeminis effuſionem, ſitque inchoatio quædam illius.

Quæres 15. *Quot ſint ſpecies luxuriæ?*

Reſpond. Septem, nempe, ſimplex fornicatio, ſtuprum, raptus, adulterium, inceſtus, ſacrilegium, & peccatum contra naturam.

Quæres 16. *Quid ſit ſimplex fornicatio?*

Reſp. Eſt, *copula carnalis ſoluti cum ſoluta corrupta*. Eſt peccatum mortale jure naturali prohibitum, cum adverſetur debitæ educationi & inſtructioni prolis: Eph. 5. *Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Dei & Chriſti*.

Quæres 17. *Quid ſit adulterium?*

Reſp. Eſt, *copula inter perſonas, quarum alterutra, vel utraque conjuncta eſt matrimonio cum alia tertia*. Eſt graviſſimum peccatum contra caſtitatem, & juſtitiam debitam comparti, quæ juri ſuo cedere non poteſt, ut definivit Innoc. XI. prop. 50.

Quæres 18. *Quid ſit ſtuprum?*

Reſp. Eſt, *illicita virginis defloratio*. Eſt peccatum gravius ſimplici fornicatione, in quo, ultra ſpecialem deformitatem amiſſi ſignaculi virginitatis, duplex reperitur injuria, una ex

parte

parte defloratæ, altera ex parte parentum ſub cujus eſt cuſtodia; illorum enim jus violatur.

Quæres 19. *Quid ſit raptus?*

Reſp. Eſt, *violenta alicujus perſonæ abductio, libidinis explendæ cauſa.* Eſt peccatum mortale duplicem continens malitiam, unam contra caſtitatem, alteram contra juſtitiam, ob injuriam abductionis, propter quam graviſſimæ in utroque jure inſtituuntur pœnæ.

Quæres 20. *Quid ſit inceſtus?*

Reſpond. Eſt, *peccatum luxuriæ inter perſonas conſanguineas, vel affines, intra gradus prohibitos.* Eſt peccatum graviſſimum, quod, præter luxuriæ fœditatem, continet turpitudinem contrariam reverentiæ conſanguineis aut affinibus debitæ: graviuſque eſt quo gradus eſt propinquior, & ideo gravitas inceſtus declaranda eſt in Confeſſione.

Quæres 21. *Quid ſit ſacrilegium venereum?*

Reſp. Eſt, *rei ſacræ violatio per actum venereum.* Dicitur: *Rei ſacræ*: per quam intelligitur, tum locus ſacer qui violatur per voluntariam effuſionem ſeminis; tum perſona ſacra quæ committit peccatum luxuriæ, vel cum qua committitur . . . eſt peccatum graviſſimum continens duplicem malitiam, unam contra caſtitatem, alteram contra religionem.

Quæres 22. *Quotuplex ſit peccatum contra naturam?*

Reſp. Quadruplex, pollutio, ſodomia, beſtialitas, & inordinatus concubitus.

Pollutio, Eſt, *voluntaria ſeminis effuſio extra copulam quamcumque.* Eſt peccatum mortale per ſe, cum ſit intrinſece mala; & quidem gravius fornicatione, quia directe tollit generationem; ergo nullo caſu, etiam vitandæ mortis, eſt licita.

Sodo-

Sodomia, Eſt, *coitus libidinoſus perſonarum ejuſdem ſexus*, ſi ſit perfecta, *vel diverſi ſexus in vaſe indebito*, ſi ſit imperfecta. Eſt peccatum nefandum, quod pœna mortis punitur, juxta leges, & excommunicatione, juxta canones.

Beſtialitas, Eſt, *coitus cum beſtia*, eſt peccatum horrendum, quod igne punitur a legibus.

Inordinatus concubitus, Eſt, *is in quo non ſervatur naturalis ordo concumbendi*. Si in tali deordinatione ſit periculum ſemen extra vas effundendi, impediendi generationem, aut prolem conceptam ſuffocandi, eſt peccatum mortale, quia ſemen fruſtratur fine ad quem ordinatum eſt: ſi hæc abſint, eſt grave peccatum veniale, a quo excuſantur conjuges, qui, ob indiſpoſitionem alterutrius corporis, non poſſunt ſervare modum ordinarium, modo caveatur periculum effuſionis extra vas.

§. VI. *De peccato originali.*

Quæres 1. *Utrum exiſtat peccatum originale?*

Reſp. Exiſtere fide conſtat; nam 1. Id aſſeritur in veteri teſtamento, Job 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* Quem locum ſic vertunt Septuaginta: *Nemo mundus a ſorde, neque infans cujus vita eſt unius diei ſuper terram.* Certe immunditia illa non eſt corporea, ut volunt Sociniani, alias ab homine poſſet mundari, eſt ergo immunditia peccati quæ a ſolo Deo poteſt mundari .... 2. Idem aſſeritur in novo teſtamento, Rom. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt ....*

3. Id Eccleſia definiit in Conciliis Palæſtino contra Pelagianos, & Trid. contra Anabaptiſtas, &c. 4. Id conſtat tum ex neceſſitate Baptiſmi, tum ex redemptione per Chriſtum qui mortuus eſt pro omnibus, ex quo Apoſtolus concludit: *Ergo omnes mortui ſunt*, 2. Cor. 5.

Objicies: 1. Ezech. 18. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris;* ergo.

Reſp. 1. *nego conſeq.* Namque peccatum originale non eſt peccatum Adami, ſed ex Conc. Trident. ſeſſ. 5. can. 3. *Ineſt cuique proprium*. Propheta loquitur de peccatis perſonalibus.

Objicies 2. Rom. 5. *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*. Ergo ſola mors ab Adamo contrahitur.

Reſp. nego conſeq. Mors enim, quæ regnavit uſque ad Moyſen, eſt pœna juſta; ergo ſupponit peccatum, Rom. 6. *Stipendia peccati mors;* atqui non ſupponit peccatum perſonale in eis, *qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ:* ergo ſupponit originale.

Quæres 2. *In quo formaliter conſiſtat peccatum originale?*

Reſp. Conſiſtit in habituali privatione conformitatis ad legem, quam Adam caput noſtrum tranſgreſſus eſt, & quam nos ejus voluntate tranſgreſſi ſumus; nam illud eſt peccatum originale formaliter, quod Adamus in nos vere, proprie, & intrinſece transfudit; atqui Adamus, tranſacto actu peccati, in nos vere & intrinſece transfudit habitualem privationem conformitatis ad legem, quam, ut caput noſtrum, tranſgreſſus eſt; ergo, &c. *Prob. min.* Adamus in nos transfudit quod in eo poſt ejus actuale peccatum manſit, & a quo ipſe & ejus poſteri denominantur peccatores; atqui in eo manſit

habitualis privatio conformitatis ad legem; ergo.

Quæres 3. *Quænam eſt cauſa proxima transfuſionis peccati originalis?*

Reſpond. Eſt ſeminalis generatio ab Adamo, in quo, tanquam in capite morali, Deus omnium ejus poſterorum voluntates incluſit in ordine ad obſervationem vel tranſgreſſionem præcepti de non comedendo fructu vetito. Ita expreſſe definitur a Conc. Trid. ſeſſ. 5. can. 3. *Revera homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur injuſti, cum ea propagatione per ipſum, dum concipiuntur, propriam injuſtitiam contrahant.* Hinc etiam dicimur ab Apoſtolo Epheſ. 2. *natura filii iræ*, id eſt, generatione. Ratio D. Thom. q. 81. art. 4. eſt, quia, *peccatum originale a primo parente traducitur in poſteros in quantum moventur ab ipſo per generationem, ſicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale.*

Quæres 4. *Utrum filii fidelium contrahant peccatum originale?*

Reſp. affirm. Nam omnes, qui via generationis naturali deſcendunt ab Adamo, illud contrahunt, niſi ſpeciali privilegio a lege communi eximantur, unde Apoſt. *Epheſ.* 1. de ſeipſo & aliis filiis fidelium dicit: *Eramus natura filii iræ, ſicut & cæteri.*

Quæres 5. *Utrum B. Virgo contraxerit peccatum originale?*

Reſp. Debuit equidem contrahere peccatum originale, quia eſt vera filia Adæ a quo proceſſit per ſeminalem generationem; ſed non contraxit actu, quia ab eo fuit præſervata per Chriſtum, ut pro certo univerſa tenet Eccleſia. Unde licet propoſitio non ſit de fide, quia nondum definita, eſt tamen fidei conſona, ut declaravit Conc. Baſileenſe; & Concil. Trid. *ſeſſ.* 5. declarat, *Non eſſe ſuæ intentionis*

comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem, ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones Sixti IV. Papæ ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innovat.

Objicies: Lex peccati originalis contrahendi comprehendit omnes ab Adamo deſcendentes: ergo.

Reſp. diſt. ant. Comprehendit omnes, &c. quando nullum eſt privilegium eximens a lege communi, *conc.* quando adeſt tale privilegium, *nego*. Porro hoc privilegium habuit B. Virgo, quæ in locutionibus Scripturæ generalibus non comprehenditur, quales ſunt iſtæ, quibus adſtruitur generalitas peccati actualis: *Non eſt homo qui non peccet, in multis offendimus omnes*, ut juxta Trident. tenet Eccleſia Catholica.

Inſt. De fide eſt B. Virginem a Chriſto fuiſſe redemptam; ergo contraxit peccatum originale.

Reſp. diſt. conſeq. Contraxit peccatum originale quoad debitum, *conc.* quoad actum, *nego*: Chriſtus ergo ſua redemptione fecit ut Beata Virgo non contraheret actu & in ſe peccatum originale, ad quod contrahendum erat obnoxia; & hic modus redimendi eſt nobiliſſimus.

Quæres 6. *Quænam ſint pœnæ peccati originalis?*

Reſp. Aliæ ſpectant corpus, aliæ animam, aliæ hanc, aliæ alteram vitam.

Quæres 7. *Quænam ſint pœnæ corporis in hac vita?*

Reſpond. Sunt mors, morbi, dolores, & aliæ miſeriæ, ut de fide definiit Conc. Trid. ſeſſ. 5. can. 1.

Quæres 8. *Quænam ſint pœnæ animæ in hac vita?*

Reſpond. Sunt 1. Privatio omnium donorum gra-

gratuitorum, ſcilicet juſtitiæ originalis, & gratiæ ſanctificantis. 2. Quadruplex vulnus in anima, nempe, *ignorantia* in intellectu, *malitia* in voluntate, *concupiſcentia* in appetitu concupiſcibili, *infirmitas* in iraſcibili.

Quæres 9. *Quænam ſint pœnæ peccati originalis in altera vita?*

Reſpond. De fide certum eſt parvulos ſine Baptiſmo decedentes non ſolum excludi a regno cælorum, ſed etiam privari vita æterna, ut Eccleſia definivit in variis Conciliis contra Pelagianos, & confirmavit in Concil. Trident. ſeſſ. 5. can. 4.

Quæres 10. *Utrum infantes, ſine Baptiſmo mortui, fruantur beatitudine naturali?*

Reſp. Fictitia eſt illa beatitudo quam infantibus illis aſſignant Catharinus, & Card. Sfrondatus, quia pugnat contra Eccleſiæ traditionem; nam Conc. Flor. ſeſſ. ult. definit: *Illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.* Atqui animæ, quæ in inferno pœnis puniuntur, carent ſane beatitudine naturali; ergo, &c.

Quæres 11. *Utrum parvuli cum ſolo originali decedentes patiantur pœnam ignis?*

Reſpond. negat. Nam Apocal. 18. dicitur: *Quantum ſe glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum;* ſed in culpa originali nulla fuit delectatio; ergo. Unde Innoc. III. *cap.* Majores, *de Bapt.* ait: *Pœna originalis peccati, eſt carentia viſionis Dei; actualis vero peccati, eſt gehenna perpetuæ cruciatus.* Ubi prior pars videtur intelligenda de carentia viſionis Dei cum excluſione cruciatus gehennæ.

Objicies: SS. Patres, Auguſt. Fulgentius, Gregor. magnus, affirmant infantes ſine Bap-

ptiſmo decedentes ituros in ignem æternum, juxta ſententiam Domini: *Ite, maledicti, in ignem æternum*. Ergo.

Reſpondet D. Thom. quæſt. 5. de malo, art. 2. ad 1. *Dicendum quod nomen tormenti, ſupplicii, gehennæ, & cruciatus, vel ſi quid ſimile in dictis SS. Patrum inveniatur, eſt large accipiendum pro pœna, ita ut ponatur ſpecies pro genere. Ideo autem Sancti tali modo loquendi uſi ſunt, ut deteſtabilem redderent errorem Pelagianorum, qui aſſerebant in parvulis nullum peccatum eſſe, nec eis aliquam pœnam deberi*. Ita etiam reſpondit D. Bonaventura in 2. diſt. 33. art. 3. q. 1.

TRACTATUS XVII.

DE SACRAMENTIS.

Nota. HUjus Tractatus erunt octo Diſſertationes de Sacramentis in genere, & ſingulis in particulari.

DISSERTATIO I.

De Sacramentis in genere.

Nota. SAcramentum hic ſumitur pro ſigno, quod nos Deo ſacrat, atque ſanctificat, cujus inquirimus 1. Eſſentiam, exiſtentiam, & auctorem. 2. Materiam & formam. 3. Miniſtrum. 4. Subjectum. 5. Effectus. 6. Cæremonias. Itaque ſit.

§. I.

§. I. *De eſſentia, exiſtentia, & auctore Sacramentorum.*

Quæres 1. *Quid ſit Sacramentum genericè ſumptum?*

Reſp. Definitur, *ſignum ſenſibile, ſacrum, à Deo permanenter inſtitutum, ad ſignificandam & conferendam gratiam.*

Dicitur 1. *Signum* pro genere ... 2. *Senſibile*, ſive per ſe, ut aqua in Baptiſmo, ſive per aliud, ut contritio per externam manifeſtationem .... 3. *Sacrum*, id eſt, ad cultum Dei ordinatum, & ad ſanctificationem hominis; cujus defectu, tranſitus maris rubri, ſerpens æneus, manna, non erant Sacramenta... 4. *A Deo inſtitutum*, quia ſolus Deus poteſt inſtituere ſigna gratiæ infallibiliter conferendæ ... 5. *Permanenter*, id eſt, quandiu permanet religio. Hinc nec lotio pedum, nec inſufflatio Chriſti in Apoſtolos fuerunt Sacramenta, cum Eccleſia illas non retinuerit ..... 6. *Ad ſignificandam gratiam*; ſive futuram per paſſionem Chriſti dandam, ſive præſentem, per Sacramenta novæ legis actu collatam .... 7. *Ad conferendam gratiam*, & ſanctitatem, ſive interiorem, ut Sacramenta novæ legis, ſive exteriorem & puræ legalem, ut Sacramenta veteris legis.

Quæres 2. *Quomodo definitur Sacramentum veteris legis?*

Reſp. Definitur, *ſignum ſenſibile, ſacrum, à Deo permanenter inſtitutum, ad ſignificandam gratiam interiorem per paſſionem Chriſti dandam, & conferendam exteriorem & legalem.*

Quæres 3. *Quomodo definitur Sacramentum novæ legis?*

Reſp. Definitur: *Signum ſenſibile, ſacrum, à*

Chriſto permanenter inſtitutum, ad ſignificandam & producendam per ſe & ex opere operato gratiam interiorem.

Quæres 4. *Utrum extiterint Sacramenta in ſtatu innocentiæ?*

Reſp. Non extiterunt, cum nec Scriptura, nec traditio aliquorum meminerint. Equidem matrimonium Adami cum Eva dicitur Sacramentum ab Apoſt. Epheſ. 5. ſed improprie, quatenus ſignificabat futuram unionem Chriſti cum Eccleſia; non vero proprie, quia non erat ſignum ſacrans homines.

Quæres 5. *Utrum in ſtatu naturæ extiterint Sacramenta?*

Reſp. Fuit aliquod Sacramentum, ſaltem ad peccatum originale delendum, *quamvis quid eſſet*, ait D. Auguſt. lib. 5. contra Julian. c. 11. *aliqua neceſſaria cauſa Scriptura ſacra latere voluit* .... Probabilius tamen eſt, illud remedium fuiſſe fidem in Chriſtum venturum aliquo ſigno exteriori manifeſtatam, *non eſt* enim, *aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Actor. 4.

Quæres 6. *Utrum extiterint Sacramenta in lege Moſaica?*

Reſpond. Extiterunt, ut patet in variis expiationibus, purificationibus, conſecrationibus, quæ internam ſignificabant gratiam & externam conferebant.

Quæres 7. *Utrum & quot ſint Sacramenta novæ legis?*

Reſp. Sunt ſeptem, quia ſunt ſeptem ſigna ſenſibilia a Chriſto permanenter inſtituta ad gratiam ſignificandam & conferendam. Unde Conc. Trident. anathematizat eos qui dixerint *eſſe plura vel pauciora, quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem*, &c.

Objicies: Septem ſunt Ordines, qui totidem ſunt

ſunt Sacramenta; ergo plus quam ſeptem ſunt Sacramenta.

Reſp. nego conſeq. Nam omnes ordinationis ſpecies revocantur ad unum genus, quod dicitur Sacramentum Ordinis.

Quæres 8. *Quis ſit auctor Sacramentorum?*

Reſpond. Eſt Chriſtus, ita definivit Concil. Trident. ſeſſ. 7. Can. 1. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta . . . anathema ſit.*

Quæres 9. *An Chriſtus per ſe, & immediate inſtituerit omnia Sacramenta?*

Reſp. affirmat. Nam 1. Ea ſolum quis inſtituere dicitur, quæ per ſe ac immediate inſtituit, ſic Chriſtus non dicitur inſtituiſſe Sacramentalia, quamvis Eccleſia illa inſtituerit per poteſtatem a Deo acceptam. 2. Eccleſia non poteſt mutare Sacramenta quoad ſubſtantiam, ut definivit Conc. Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 2. ergo ea non inſtituit quoad ſubſtantiam.

§. II. *De materia & forma Sacramentorum.*

Quæres 1. *Quid ſint materia & forma Sacramentorum?*

Reſpond. Sunt partes, ex quibus conſtant Sacramenta.

Quæres 2. *Quotuplex ſit materia Sacramentorum?*

Reſpond. Duplex, ſcilicet remota & proxima.

Quæres 3. *Quid ſint materia & forma Sacramentorum?*

Reſpond. Materia *remota*, eſt, *res*, *vel actus ſenſibilis*, *ex ſe indifferens ad eſſe Sacramenti* . . . materia *proxima*, eſt, *uſus*, ſeu, *applicatio materiæ remotæ ad ſubjectum* . . . *forma*, ſunt, *ver-*

ba, aut, *quidpiam verbis æquivalens quæ materiam indifferentem determinant ad eſſe Sacramenti:* v. g. in Baptiſmo, *aqua*, eſt materia remota: *ablutio*, eſt materia proxima, hæc verba: *Ego te baptizo*, &c. ſunt forma.

Quæres 4. *An quodlibet Sacramentum novæ legis conſtet rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma?*

Reſp. Conſtant, nam ex Concil. Florent. in decreto unionis, *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquod deſit, non perficitur Sacramentum.*

Objicies: Euchariſtia non conſtat verbis; ergo.

Reſp. diſt. ant. Euchariſtia in facto eſſe, *conc.* in fieri, *nego*. Porro loquimur de confectione Sacramentorum, non de Sacramentis confectis.

Quæres 5. *Utrum verba Sacramentorum vere ſint conſecratoria?*

Reſp. affirmat. Nam per ſe, & *ex opere operato*, conſecrant & ſanctificant ſuſcipientem rite diſpoſitum ..... errant ergo Novatores docentes verba Sacramentorum eſſe tantum *promiſſoria*, quatenus ſunt ſigilla pure materialia, quibus obſignatur promiſſio divina de gratia quæ ſolum datur per fidem promiſſionum: & *concionatoria*, quatenus fidem audientium excitant, non minus tanquam per conciones excitatur. Quæro ab eis utrum verba baptiſmi dati parvulis excitent eorum fidem ac ipſos erudiant?

Quæres 6. *Utrum Chriſtus determinaverit materiam & formam omnium Sacramentorum?*

Reſp. Determinavit, alias non eſſet auctor omnium Sacramentorum.

Quæ-

Quæres 7. *Quotuplici modo poſſit determinari materia & forma Sacramentorum?*

Reſpond. Duplici, nempe, 1. *In genere*, dum ſub aliqua materia & forma convenienti ſtatuitur confici Sacramentum, nullam ſpeciem aſſignando, 2. *In ſpecie*, dum ipſamet ſpecies aſſignatur, ut aqua in Baptiſmo, panis & vinum in Euchariſtia.

Quæres 8. *An Chriſtus omnium Sacramentorum materias & formas determinaverit in ſpecie?*

Reſp. Non determinavit, ſed, eis *in genere* determinatis, reliquit Eccleſiæ poteſtatem eas *in ſpecie* determinandi pro locorum & temporum diverſitate. Hoc conſtat ex praxi diverſa Græcorum & Latinorum in ſacris ordinationibus conferendis: Græci enim per ſolam manuum impoſitionem, Latini vero etiam per exhibitionem inſtrumentorum ordinem conferunt; ergo, &c.

Objicies: Si Eccleſia poteſtatem haberet quorumdam Sacramentorum materiam & formam *in ſpecie* determinandi, eas poſſet mutare; falſum ex Trid. conſeq. ergo.

Reſp. diſt. maj. Poſſet eas mutare ſecundum ſuum eſſe ſpecificum, *conc.* ſecundum ſuum eſſe genericum, *nego*. Eadem quippe poteſtas ſufficit ad mutandam materiam & formam Sacramentorum, quæ fuit ſufficiens ad eam determinandam. Ergo Eccleſia nec poteſt mutare genus Sacramentorum, nec ſpeciem eorum quæ ſunt determinata in ſpecie, a Chriſto; ſed poteſt mutare ſpeciem eorum quorum ipſa ſpeciem determinavit.

Quæres 9. *Utrum mutatio materiæ & formæ Sacramentum irritet?*

Reſpond. Si mutatio ſit ſubſtantialis, Sacramentum irritat, quia materia vel forma Sacramenti tollitur. Si ſit accidentalis, non irritat;

peccat tamen qui talem mutationem accidentalem efficit.

Quæres. 10. *Quandonam mutatio ſit ſubſtantialis, aut accidentalis?*

Reſp. 1. Mutatio materiæ eſt ſubſtantialis, quando materia convertitur in aliam ſpeciem, ut ſi vinum factum eſſet acetum: vel quando materia redditur inutilis ad ſui uſum, ut ſi quis baptizaret in aqua quidem, ſed ita congelata, ut non poſſet fieri ablutio. 2. Mutatio formæ eſt ſubſtantialis, quando verba non retinent eundem ſenſum: v. g. *Ego te baptizo in nomine Patris, & filii, &c.*

Econtra, mutatio eſt accidentalis in materia, quando non convertitur in aliam ſpeciem, ut aqua calida in Baptiſmo, vinum parumper aceſcens in Euchariſtia: in forma vero, quando ſenſus verborum non tollitur, v. g. ſi quis dicat: *Ego abluo te in nomine Patris, &c.*

Quæres 11. *Quot modis forma Sacramentorum poſſit mutari?*

Reſp. Sex modis, his verſiculis contentis:

Nil formæ demas, nil addas, nil varies.
Tranſmutare cave, corrumpere verba, morari.

Quæres 12. *Utrum error miniſtri tollat veritatem Sacramenti?*

Reſp. Non tollit, quando in forma non eſt expreſſus, quia non tollit ſenſum naturalem verborum, nec quando in forma expreſſus, ſenſum verborum non tollit: bene vero quando tollit ſenſum verborum, quod tunc ſolum contingit cum error facit propoſitionem diſtinctam. Hinc valida eſt hæc forma Baptiſmi a miniſtro Ariano collati: *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, qui non*

ſunt

ſunt perſonæ æquales; ſed invalida eſt iſta, *baptizo te in nomine Patris majoris, Filii minoris, & Spiritus ſancti*.

Quæres 13. *An aliquando in adminiſtratione Sacramentorum liceat uti forma conditionali?*

Reſp. Licet, dum vera adeſt neceſſitas, ut referunt omnia Ritualia, & definivit Alex. III. Extrav. de Baptiſmo, *cap.* 2. Porro illa neceſſitas reperitur tantum; 1. Quando dubitatur utrum Sacramentum non iterabile fuerit collatum, vel etiam an valide fuerit collatum; 2. Quando dubitatur an ſubjectum ſit capax Sacramenti, ut contingit in homine, ſubita vi morbi oppreſſo, qui nullo exteriori ſigno dolorem de peccatis ſignificare poteſt.

Quæres 14. *Utrum liceat uti materia dubia, vel probabili?*

Reſp. Licet in Sacramentis neceſſariis neceſſitate medii ad ſalutem, dum urget mortis periculum, nec ſuppetit materia certa, quia cum Sacramenta ſint propter homines, ſatius eſt illa periculo nullitatis exponere, quam homines periculo damnationis æternæ.

§. III. *De Miniſtro Sacramentorum.*

Quæres 1. *Quotuplex diſtingui poſſit miniſter Sacramentorum?*

Reſp. Duplex, nempe, *primarius*, cujus nomine Sacramenta adminiſtrantur, & eſt Chriſtus ut homo propter unionem hypoſtaticam cum Verbo divino, de quo dicitur, Joann. 1. *Hic eſt qui baptizat*. Et miniſter *ſecundarius*, qui nomine Chriſti poteſt valide conficere Sacramentum.

Quæres 2. *Quotuplex ſit miniſter ſecundarius?*

Reſp. Duplex, nempe, *ordinarius*, qui ſecundum legem a Chriſto præſcriptam poteſt

vali-

valide conficere Sacramentum; & *extraordinarius*, qui præter hanc Chriſti legem ordinariam ad Sacramenta conficienda & diſpenſanda committi poteſt.

Quæres 3. *Quis ſit miniſter ordinarius Sacramentorum?*

Reſp. Solus homo viator ratione utens: nam ſoli homini Chriſtus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c.

Quæres 4. *An quilibet homo viator ſit miniſter Sacramentorum?*

Reſp. Excepto Baptiſmo propter ſummam ejus neceſſitatem, & matrimonio propter ſpecialem rationem contractus in quo ſitum eſt Sacramentum, illi ſoli ſunt miniſtri Sacramentorum qui rite in Eccleſia ad hoc ordinati ſunt; ita definivit Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 10. *Si quis dixerit chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, anathema ſit.*

Quæres 5. *Quænam ex parte miniſtri requirantur ut Sacramenta legitime perficiat?*

Reſp. Tria, nempe, intentio, fides, & probitas.

Intentio, eſt, *actus deliberatus voluntatis, quo quis aliquid vult facere.*

Quæres 6. *Utrum neceſſaria ſit intentio ad validam perfectionem Sacramenti?*

Reſpond. Neceſſariam eſſe definivit Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 11. *Si quis dixerit, in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, anathema ſit.* Hinc jocoſa Eccleſiæ cæremoniarum repræſentatio, quæ intentio *lutherana* dicitur, non ſufficit.

Quæres 7. *Quotuplex diſtinguatur intentio ex parte objecti ad quod fertur?*

Reſ-

Reſpond. Duplex, nimirum externa, & interna.

Externa, deſcribi poteſt, ea, *qua miniſter indebitis circumſtantiis, ac ſerio, externum Sacramenti ritum perficit, intus tamen ſuam retinet intentionem, immo contrariam gerit, dicens:* nolo facere quod facit Eccleſia, immo contrarium intendo.

Interna, eſt ea, *qua miniſter ſimul ac ſacramentalem ritum exercet, interius & apud ſe intendit ritum illum celebrare, ſaltem generatim & confuſe, quatenus ſanctus, licet non intendat illum celebrare formaliter ut eſt Sacramentum.* Quod non eſt neceſſarium, cum Eccleſia recipiat Baptiſmum a Pagano, Judæo, vel Hæretico collatum, etiamſi illum eſſe Sacramentum ignorent, vel negent.

Quæres. 8. *Utrum ad valorem Sacramenti ſufficiat externa?*

Reſp. Non ſufficit, ſed requiritur interna. Nam 1. Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. ad validam abſolutionem requirit ut *adſit Sacerdoti animus ſerio agendi*, en intentio externa, *& vere abſolvendi*, en intentio interna. 2. Conc. Florentinum docet Sacramenta perfici, non ſolum *rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma*, in quibus conſiſtit intentio externa, ſed etiam *perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia;* ergo intentio interna requiritur ultra debitam conjunctionem formæ cum materia. Præterea homo non poteſt ſe gerere ut miniſter Chriſti & Eccleſiæ, quin facere intendat quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit, vel quod faciunt Chriſtiani.

Objicies 1. Miniſter qui habet intentionem ponendi præciſe ritum externum, ritum a Chriſto inſtitutum debite obſervat; ergo.

Reſp.

Reſp. nego antec. Ritus enim a Chriſto inſtitutus importat ipſam internam miniſtri intentionem.

Inſtab. Forma Sacramentorum independenter ab intentione miniſtri interna eſt operativa; nam operatur *ex opere operato*; ergo, &c.

Reſp. nego antec. Nam forma ſuam efficacem ſignificationem non habet, niſi ab intentione miniſtri determinetur: unde intentio miniſtri in ipſomet opere operato includitur, tanquam cauſa perficiens Sacramentum per legitimam materiæ & formæ applicationem.

Objicies 2. Sententia Judicis eſt operativa independenter ab ejus intentione interna; ergo a pari, &c.

Reſpond. nego conſeq. Diſparitas, eſt, quod valor ſententiæ Judicis penſetur ex hominum ſenſu qui externa ſolum norunt, quique ut validam acceptant ſententiam juxta leges prolatam. At vero Sacramentorum validitas ſpectat præcipue ad Dei judicium, cui etiam interna ſubſunt, quique a ſuis miniſtris exigit ut materiam cum forma uniant, quod fit per intentionem.

Quæres 9. *Quotuplex ſit intentio ex parte miniſtri?*

Reſp. Quadruplex diſtinguitur, actualis, nempe, virtualis, habitualis, & interpretativa.

Actualis, eſt præſens animi applicatio ad id quod agitur ... *Virtualis*, eſt ipſamet actualis quæ præceſſit, ac moraliter perſeverat in miniſtro, quandiu per contrariam intentionem non fuit revocata ... *Habitualis*, eſt ea quæ non fuit revocata, ſed eſt vel ſomno, vel vino, vel notabili temporis mora interrupta, ita ut non influat in actum humanum, nec per ſe, nec per virtutem a ſe relictam ... *Interpretativa*, eſt ea, quæ nec eſt, nec fuit, ſed

eſſet,

eſſet, ſi ejus objectum proponeretur voluntati: unde non tam eſt intentio, quam intentionis præſumptio.

Quæres 10. *Quænam intentio requiratur ex parte miniſtri, ut Sacramentum ſit validum?*

Reſp. 1. Intentio *Actualis* non requiritur abſolute, quia utplurimum non eſt in poteſtate hominis. 2. *Habitualis*, non ſufficit, quia actum humanum non dirigit. 3. *Interpretativa* quoque non ſufficit, quia, cum nec actu, nec virtute exiſtat, non applicat agentem ad actionem. 4. *Virtualis* requiritur & ſufficit; quia ſufficiens eſt ad ponendum actum humanum... Porro intentio debet dirigi ad rem determinatam, præſentem, & ſenſibilem, juxta exigentiam formæ.

Quæres 11. *Utrum fides & probitas requirantur in miniſtro, ut valide conficiat, aut conferat Sacramenta?*

Reſpond. Non requiruntur: nam 1. Eccleſia ſemper rata habuit Sacramenta ab impiis & hæreticis collata, modo ritum a Domino præſcriptum obſervaverint. Hanc veritatem definiit Conc. Trid. *ſeſſ.* 7. *can.* 4. & 12. *de Bapt.* 2. Miniſter operatur virtute & auctoritate divina; atqui Deus datam miniſtro poteſtatem non aufert ob ejus hæreſim aut peccatum; ergo, &c.

Objicies: Eccl. 34. *Ab immundo quis mundabitur?* id eſt, nemo poteſt mundari.

Reſp. diſt. ant. Si immundus propria virtute agit, *conc.* ſi virtute Chriſti & Eccleſiæ, *nego*. Miniſter autem agit virtute Chriſti principalis Sacramentorum miniſtri, de quo, *Jo.* 1. dicitur: *Hic eſt qui baptizat.*

Inſtab. Nemo dat quod non habet; atqui peccator aut hæreticus non habet Spiritum ſanctum; ergo.

Reſp. diſt. maj. Nemo dat quod nullo modo,

do habet, *conc.* quod aliquo modo habet, *nego*. Hæretici & peccatores non habent quidem Spiritum ſanctum formaliter per gratiam ſanctificantem, ſed habent miniſterialiter; per gratiam gratis datam, & ideo poſſunt illum per Sacramenta dare.

Quæres 12. *Utrum peccet qui in ſtatu peccati mortalis conficit aut diſpenſat Sacramenta?*

Reſpond. Peccat, & quidem mortaliter, ſi conficiat aut diſpenſet ex officio: *Quia*, inquit D. Thom. 3. p. q. 64. art. 6. *hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei* (cujus ſunt miniſtri) *& contaminationem Sacramentorum* (quorum violatur ſanctitas)... Dixi, *ex officio*; quia addit D. Thom. *In articulo mortis non peccaret baptizando in caſu, in quo etiam poſſet Laicus baptizare; ſic enim patet quod non exhiberet ſe ut miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubveniret neceſſitatem patienti.*

Quæres 13. *Utrum liceat petere Sacramenta ab improbo miniſtro?*

Reſp. 1. Nunquam licet abſque neceſſitate, quia lex charitatis poſtulat, ut non detur malo Sacerdoti occaſio peccandi.

Reſpond. 2. Si petens ſit in extremæ neceſſitate ſalutis, licite poteſt petere Sacramentum Baptiſmi ab excommunicato etiam non tolerato, ut aſſerit D. Aug. *lib. de Bapt. c.* 2. non vero alia Sacramenta, quia Eccleſia in ſolo caſu extremæ neceſſitatis permittit in ſpiritualibus communicare cum non toleratis, Bulla, *Ad evitanda*.

Reſp. 3. In gravi neceſſitate, (v. gr. dum urget præceptum Confeſſionis annuæ) licitum eſt petere Sacramenta a malo miniſtro tolerato, ſi abſit alius Sacerdos, quia ex illa neceſſitate id licet ab alio petere, quod poteſt licite præſtare, quamvis prævideatur peccaturus;

atqui

atqui malus Sacerdos poteſt licite conferre Sacramenta, ſe nempe ad id diſponendo, vel per Confeſſionem, vel per contritionem; ergo.

Reſp. 4. Si petens ſit in levi tantum neceſſitate, (v. g. ad Euchariſtiam feſtis ſolemnioribus frequentandam) licet ipſi petere Sacramenta a proprio Paſtore malo tolerato, quia utitur jure ſuo, & petit rem bonam, quam Parochus poteſt & tenetur bene facere. Econtra non poteſt petere ab eo qui non tenetur ex officio Sacramenta miniſtrare, quia eum induceret ad peccandum; niſi tamen ille malus miniſter ſit determinatus Sacramenta miniſtrare quæ reipſa miniſtrat, quia tunc petens non cenſetur eum inducere ad peccandum, ſed ſolum uti ejus mala voluntate ad peccandum jam determinata.

Quæres 14. *Utrum liceat Sacramenta adminiſtrare peccatoribus?*

Reſp. 1. Si ſit peccator notorius, nullo modo licitum eſt ipſi miniſtrare Sacramentum, ſive illud petat publice, ſive privatim. Nam 1. Graviter prohibetur *dare ſanctum canibus*, Matth. 7. & cooperari peccato alieno. 2. Miniſter tenetur fideliter diſpenſare dona Dei, 1. *Corinth.* 4. ..... hic tamen *nota* in Gallia notorietatem facti non ſufficere (ſaltem in foro externo) ut quis peccator publicus habeatur, ſed requiri notorietatem juris.

Reſpond. 2. Si ſit peccator occultus, vel publice petit Sacramentum, vel occulte... *Si publice petat*, debet ipſi miniſtrari, ſi repelli non poſſet abſque illius infamia & populi ſcandalo, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ, & exemplo Chriſti, *qui nec Judam a communione removit*, ait Eugenius Papa, cap. de offic. judicis ordinarii .... *Si occulte petat*, non debet ipſi adminiſtrari, cùm poſſit abſque ſcandalo populi,

&-pœ-

& pœnitentis infamia denegari. Ita docet Rituale Rom.

§. IV. *De ſubjecto Sacramentorum.*

Quæres 1. *Quænam requirantur diſpoſitiones in adultis ut Sacramentum* valide *recipiatur?*

Reſpond. Requiritur & ſufficit intentio recipiendi Sacramentum, excepto Sacramento Pœnitentiæ .... requiritur quidem, ex cap. *majores* de Baptiſmo, ubi Innoc. III. ait: *Ille vero qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti;* ergo concludit D. Thom. 3. p. q. 68. art. 7. *Si in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus* ..... ſufficit autem, quia Sacramenta valide adminiſtrantur hæreticis, cum Eccleſia definierit eos non eſſe denuo baptizandos, vel ordinandos, quando redeunt ad Eccleſiam catholicam; atqui in illis non alia fuit diſpoſitio, quam voluntas recipiendi Sacramentum; ergo.

Dixi: *Excepta pœnitentia*, quia actus pœnitentis ſunt illius materia eſſentialis; ergo ſine illis, & aliis quæ eos præcedere debent, nullum eſt Sacramentum Pœnitentiæ.

Objicies: Nonnulli inviti ordinati ſunt, quorum tamen ordinatio rata habita eſt; ergo.

Reſp. diſt. antec. Ordinati ſunt inviti *ſecundum quid*, id eſt, cum aliqua repugnantia propter metum & reverentiam, *conc.* ordinati ſunt *ſimpliciter* inviti, *nego*. Qui enim ſic reluctantes erant, ſubinde, ut votis Eccleſiæ, & ſuperiorum voluntati, ſe faciles præberent, conſentiebant ſe ordinari.

Quæres 2. *Qualis intentio requiratur in ſubjecto ad Sacramentum* valide *recipiendum?*

Reſp.

Reſp. Non requiritur actualis, aut virtualis, *niſi in Matrimonio*, nam Concilia & Rituale Rom. præcipiunt, ut baptizetur moribundus ratione & ſenſibus deſtitutus, modo conſtet de præterita ejus voluntate; atqui tali moribundo non ineſt niſi habitualis intentio; ergo ſufficit intentio *habitualis*: immo quandoque ſufficit *interpretativa*, ut conſtat ex conſtanti praxi Eccleſiæ, quæ fidelibus repentino morbo correptis, quo uſum linguæ & rationis amiſerunt, adminiſtrat Sacramenta Pœnitentiæ & Extremæ-Unctionis, etiamſi illa ante non expetierint, in quibus eſt ſolum intentio interpretativa; ergo.

Quæres 3. *Quanam diſpoſitiones requirantur ad recipienda cum fructu Sacramenta?*

Reſpond. 1. Ad Sacramenta mortuorum, requiruntur ex Concil. Trident. quinque actus, nempe, fides, timor, ſpes, amor Dei initialis, odium & deteſtatio peccati.

Reſp. 2. Ad recipienda Sacramenta vivorum requiritur, præter illos actus, gratia ſanctificans, quia eam ſupponunt in ſubjecto, cum ſint inſtituta ad eam augendam.

§. V. *De effectibus Sacramentorum.*

Quæres 1. *Quotuplex ſit effectus Sacramentorum?*

Reſp. Duplex, nempe, *gratia*, quæ ab omnibus producitur, & *character*, qui a Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine tantum producitur.

Quæres 2. *Qualem gratiam conferunt Sacramenta?*

Reſpond. Duplicem, nempe, gratiam *communem* omnibus Sacramentis, & gratiam *ſpecialem* unicuique Sacramento, quæ ideo *ſacramentalis* dicitur.

Quæ-

Quæres 3. *Quid ſit gratia illa communis?*

Reſpond. Eſt gratia ſanctificans, vel *prima*, quam conferunt Sacramenta mortuorum, utpote inſtituta ad mortuos juſtificandos; vel *ſecunda*, quam conferunt Sacramenta vivorum, utpote inſtituta ad augmentum gratiæ.

Quæres 4. *Quid ſit gratia ſacramentalis?*

Reſp. Definiri poteſt: *Gratia habitualis, annexum habens jus ad gratias actuales neceſſarias ad aſſequendum finem proprium cujuſque Sacramenti.*

Ergo gratia ſacramentalis non ſtatim a ſuſcepto Sacramento, & ſimul confertur, ſed tantum ſucceſſive, & opportuno tempore, cum, nempe, occurrunt occaſiones finem Sacramenti ſuſcepti ſpectantes, licet ſtatim cum Sacramento recepto acquiratur jus ad illas gratias ſuo tempore & loco accipiendas.

Ergo amiſſa gratia ſanctificante amittitur gratia ſacramentalis, quia amiſſo juris fundamento, jus ipſum amittitur, recuperatur autem cum gratia ſanctificante, per pœnitentiam.

Quæres 5. *Utrum Sacramenta conferant ſemper æqualem gratiam?*

Reſp. Inæqualem conferunt gratiam iis qui ſunt inæqualiter diſpoſiti. Nam Concil. Trid. *Seſſ.* 6. *cap.* 7. docet baptizatos recipere gratiam *ſecundum menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem.* Ratio eſt, quia Sacramenta ſunt cauſæ neceſſariæ; ſed cauſæ neceſſariæ plus vel minus operantur in ſubjecto, ſecundum majorem vel minorem ejus diſpoſitionem, ut patet in igne, qui intenſiorem producit calorem in ligno quam in ſtipula; ergo, &c.

Objicies: Ergo major illa gratia non datur ex opere operato, ſed ex opere operantis, virtute

tute nimirum diſpoſitionum quæ ſunt in ſubjecto; abſurdum conſeq.

Reſp. nego ſeq. Quia illæ diſpoſitiones non ſunt cauſæ effectrices gratiæ, ſed tantum conditiones neceſſariæ ex parte ſubjecti ſine quibus Sacramenta non tantam producerent gratiam ex opere operato.

Quæres 6. *Utrum Sacramenta novæ Legis conferant gratiam ex opere operato, vel tantum ex opere operantis?*

Reſpond. Producunt *ex opere operato* iis qui nullum obicem opponunt, non autem *ex opere operantis*, quia producunt eam præciſe vi operis ex inſtituto divino exerciti; non autem ex merito conficientis, aut ſuſcipientis Sacramentum. Ita definiit Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 8. *Si quis dixerit per illa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam .... anathema ſit.*

Objicies 1. Juſtificamur per fidem, Roman. 3. *Arbitramur juſtificari hominem per fidem;* ergo non per Sacramenta.

Reſp. nego conſeq. Nam juſtificamur, & per fidem & per Sacramenta, ſed diverſimode: per fidem tanquam diſpoſitionem neceſſariam ad juſtificationem; per Sacramenta, tanquam cauſam productivam gratiæ. Textus Apoſtoli non excludit Sacramenta, ſed ſolum opera legis Moſaicæ.

Objicies 2. Voces iſtæ, *ex opere operato*, ſunt novæ; ergo rejiciendæ.

Reſp. 1. Non ſunt novæ; nam a 500. annis uſurpatæ ſunt ab Innoc. III. lib. de myſterio Miſſæ: 2. Non ſunt novæ quoad ſenſum, ſed tantum quoad ſyllabas; nam hæc fuit ſemper fides Eccleſiæ, quod Sacramenta producerent gratiam ex ſe, quod idem eſt ac ex opere operato. 3. Etiamſi eſſent novæ, eſſent retinendæ,

dæ, nam Eccleſia habet jus novas uſurpandi voces in caſibus occurrentibus ad antiquam fidem tuendam.

Quæres 7. *Utrum Sacramenta novæ legis conferant gratiam phyſice, aut moraliter tantum?*

Reſp. Conferunt moraliter tantum; hoc ſenſu, quod Deum efficaciter & immediate moveant ad gratiam phyſice producendam, ex pacto, ſcilicet, quo ſe libere obſtrinxit, ut ad præſentiam illorum ſignorum gratiam certo conferret iis qui nullum opponunt objcem; ita docent Scotiſtæ contra Thomiſtas.

Objicies 1. Scriptura teſtatur hominem *ex aqua & Spiritu ſancto renaſci; ſalvum fieri per lavacrum regenerationis;* atqui particulæ, *ex*, &, *per*, denotant cauſalitatem phyſicam; ergo, &c.

Reſp. nego min. Equidem particulæ, *ex*, &, *per*, denotant veram cauſalitatem, ſed abſtrahunt a modo cauſalitatis; cum uſurpentur ad cauſalitatem tum phyſicam, tum moralem explicandam.

Objicies 2. Vetera Sacramenta producebant gratiam *moraliter;* ergo nova illam producunt *phyſice*.

Reſp. nego antec. Nam Sacramenta vetera, utpote infirma & egena elementa, *non ex ſeipſis & ex ſua inſtitutione*, movebant Deum ad dandam gratiam, ſed ex fide duntaxat in Chriſtum venturum, cujus erant publicæ proteſtationes; unde non erant cauſæ morales gratiæ, ſed duntaxat conditiones ſine quibus non, ut ajunt. At noſtra Sacramenta ſunt veræ cauſæ morales, eo quod ſint moraliter actiones Chriſti, cujus nomine fiunt.

Quæres 8. *Utrum Sacramenta, ficte (id eſt, cum pravis diſpoſitionibus) ſuſcepta, ſublato per pœnitentiam obice, reviviſcant?*

Reſp.

Reſp. 1. Sacramenta characterem imprimentia reviviſcunt. Id affirmat D. Auguſt. de Baptiſmo: *Tunc valere ad ſalutem incipit Baptiſmus*, inquit, *cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit* .... De Ordine & Confirmatione conſtat; nam cum hæc Sacramenta iterari non poſſint, valide confirmatus, aut ordinatus, gratiam ſacramentalem ad aſſequendum finem horum Sacramentorum neceſſariam, nunquam obtinere poſſent, quod videtur incredibile.... Propter eandem rationem probabile eſt *matrimonium*, durante eodem conjugio, & *Extremam Unctionem*, durante eodem morbo, reviviſcere, cum iterari non poſſint.

Reſpond. 2. Non reviviſcit *Pœnitentia*, quia quando eſt informis, eſt etiam nulla: quod autem nullum fuit, poſtea reviviſcere & operari non poteſt. Nec *Euchariſtia*, quia, cum ſæpius repeti poſſit, non fuit neceſſe, ut Chriſtus eam reviviſcere voluerit.

Quæres 9. *Quomodo Sacramenta veteris legis conferebant gratiam?*

Reſp. Ex opere operantis tantum: nam ab Apoſt. *ad Galat.* 4. dicuntur, *infirma & egena elementa*; atqui non eſſent infirma & egena elementa, ſi conferrent gratiam ex opere operato; ergo, &c. Hinc Conc. Flor. definit, quod *non cauſabant gratiam, ſed eam tantum per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant*.

Objicies: Circumciſio gratiam cauſabat ex opere operato; ergo.

Reſpond. nego anteced. Abraham enim *Circumciſionem accepit in ſignum, non ad juſtitiam*, ait S. Juſtin. dialogo cum Triphone, cui conſentiunt omnes Patres Auguſtino antiquiores.

Prob. ant. Circumciſio inſtituta fuit ad peccatum originale delendum; ergo juſtificabat ex opere operato.

Reſpond. nego antec. Nam unice inſtituta eſt, ut eſſet ſignum fœderis inter Deum & Abrahamum ejuſque poſteros, Geneſ. 17. *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos.* Non ait, ut ſit in remiſſionem peccati, ſed *in ſignum fœderis.*

Inſt. In circumciſione delebatur peccatum originale; ergo ad illud delendum fuit inſtituta.

Reſpond. nego conſeq. Equidem in Circumciſione delebatur peccatum originale: *Non ex virtute Circumciſionis*, ait D. Thom. 3. part. quæſt. 70. art. 4. *ſed ex virtute fidei paſſionis Chriſti, cujus ſignum erat Circumciſio, ita ſcilicet quod homo qui accipiebat Circumciſionem, profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem, vel adultus pro ſe, vel alius pro parvulis. Unde & Apoſt. dicit, Rom. 4. quod*, Abraham accepit ſignum Circumciſionis ſignaculum juſtitiæ fidei; *quia ſcilicet juſtitia erat ex fide ſignificata, & non ex Circumciſione juſtificante.* Equidem D. Aug. contrarium ſenſit; ſed non adhæremus ejus ſententiæ, quia verſione Græca, qua utebatur, fuit deceptus.

Quæres 10. *Quid ſit character?*

Reſp. Definitur, *ſignum ſpirituale, indelebile, impreſſum animæ, quo homo ad divina deputatur, & ab aliis diſtinguitur.*

Dicitur 1. *Quo homo deputatur ad divina*; nempe ad Sacramenta, vel recipienda, ut Baptiſmus; vel adminiſtranda, ut Ordo; vel ad fidem profitendam, ut Confirmatio. Hinc probabilius eſt characterem pertinere ad ſecundam ſpeciem qualitatis, ſcilicet, ad potentiam; quia dat ſimpliciter agere vel pati, nempe, ſacra ſuſcipere, vel agere.

Quæres 11. *Quot Sacramenta imprimant characterem?*

Reſp. Tria, ſcilicet, Baptiſmus, Confirma-

tio, & Ordo, ut conſtat ex perpetua traditione Eccleſiæ, ad quam attendens Conc. Trid. *ſeſſ. 7. can. 9.* definit: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo, ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt; anathema ſit.*

§. VI. *De caremoniis Sacramentorum.*

Quæres 1. *Quid intelligatur per caremonias Sacramentorum?*

Reſp. Intelliguntur ritus Sacramentales, & Sacramentalia.

Quæres 2. *Quid ſint ritus Sacramentales*

Reſp. Sunt, *actus externi Religionis ab Eccleſia inſtituti, ad decentem & devotam Sacramentorum adminiſtrationem.*

Quæres 3. *Utrum ritus Sacramentales ſint utiles?*

Reſp. affirm. Nam, ut docet Conc. Trident. *ſeſſ.* 22. *c.* 5. valent ad majeſtatem & reverentiam myſteriis noſtræ Religionis conciliandam, ad pietatem fidelium promovendam, ad nutriendam eorum fidem, notitiamque myſteriorum veluti oculis ſubjiciendam; ergo.

Quæres 4. *Utrum liceat in Sacramentorum adminiſtratione ritus ab Eccleſia uſitatos & approbatos mutare, vel omittere?*

Reſpond. Eſt peccatum mortale ex genere ſuo ut definit Conc. Trid. *ſeſſ. 7. can.* 13. Ratio eſt, quia tenemur Eccleſiæ in omnibus obſequi.

Quæres 4. *Quid ſint Sacramentalia?*

Reſp. Sunt, *quidam ritus externi, ab Eccleſia inſtituti & conſecrati, ad quoſdam effectus ſpirituales producendos.*

Quæres 5. *Quot ſint Sacramentalia?*

Reſp. Sex numerantur verſu ſequenti comprehenſa:

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Quæres 6. *Quinam ſint Sacramentalium effectus?*

Reſp. Eſt remiſſio peccatorum venialium, & *interdum* excitatio gratiæ actualis, remiſſio pœnæ temporalis peccatis quoad culpam remiſſis debitæ, compreſſio dæmonis, operatio ſanitatis, &c. . . . . Dixi, *interdum*; quia hos effectus producunt infallibiliter, cum Chriſtus non promiſerit illos ad præſentiam Sacramentalium operari.

DISSERTATIO II.

De Baptiſmo.

Nota: AGemus 1. De natura, materia, & forma Baptiſmi; 2. De ejus neceſſitate; 3. De ejus miniſtro, & ſubjecto; 4. De ejus effectibus, ac cæremoniis.

§. I. *De natura, materia, & forma Baptiſmi.*

Quæres 1. *Quotuplex ſit Baptiſmus?*

Reſp. Triplex, nempe, Baptiſmus *ſanguinis*, eſtque martyrium. Baptiſmus *flaminis*, eſtque votum, ſeu deſiderium recipiendi Sacramentum Baptiſmi. Et Baptiſmus *aquæ*, qui eſt primum novæ legis Sacramentum, de quo hic.

Quæ-

Quæres 2. *Quid ſit Baptiſmus?*

Reſp. Definitur, *Sacramentum, a Chriſto inſtitutum, ad ſpiritualem hominis regenerationem, per exteriorem corporis ablutionem, factam aqua, ſub præſcripta verborum forma.*

Quæres 3. *Quandonam inſtitutum fuerit Sacramentum Baptiſmi?*

Reſpond. Probabilius eſt inſtitutum fuiſſe ante paſſionem; nam, Joann. 3. *Venit Jeſus, & diſcipuli ejus in Judæam .... & baptizabat*, nimirum per Apoſtolos, ut dicitur c. 4. *quanquam Jeſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus.* Atqui Baptiſmus ille non erat Joannis, ſed is de quo, *eodem capit.* 3. dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, &c.

Quæres 4. *Quænam ſit materia remota Baptiſmi?*

Reſp. Eſt omnis aqua naturalis, & proprie dicta, Joann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* Hinc nec aqua artificialis ex roſis, herbis, &c. nec glacies, nix, niſi ſint in aquam reſolutæ, ſunt materia Baptiſmi.

Quæres 5. *Quænam ſit materia proxima Baptiſmi?*

Reſp. Eſt exterior corporis *ablutio*, per aquam immediate ſupra corpus baptizandi fluentem: nam talis ablutio eſt materiæ remotæ ad ſubjectum applicatio.

Hinc, 1. Debet eſſe motus aquæ ſucceſſivus. 2. Non ſufficit ut veſtes aut capillos attingat, ſed neceſſe eſt ut perfundat corpus. 3. Neceſſe eſt ut abluatur una ex præcipuis partibus corporis, maxime vero caput, in quo omnes ſenſus vigent. Inde ſequitur Baptiſmum, in quo abluitur manus vel pes infantis, eſſe dubium, quia licet dicatur ablutus *ſecundum quid*, non tamen dicitur ablutus *ſimpliciter* & abſo-

2. Pronuntiari debet verbum, *in nomine* quo unitas naturæ exprimitur, quia ita determinavit Chriſtus, unde qui diceret, *in nominibus*, tolleret ſenſum formæ a Chriſto determinatæ.

3. Pronuntiari debent hæ voces: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, quibus exprimitur diſtincte invocatio trium SS. Trinitatis perſonarum: tum quia Chriſtus eis deſignavit: tum quia SS. PP. ſemper rejecerunt Baptiſma ab hæreticis collatum abſque hac expreſſa & diſtincta invocatione.

Objicies: Ex actibus Apoſt. *c.* 2. 8. & 19. Apoſtoli baptizarunt *in nomine Jeſu Chriſti*. Ergo.

Reſp. diſt. ant. Baptizarunt, *in nomine Jeſu*, id eſt, Baptiſmate a Jeſu inſtituto, *conc.* id eſt, invocato ſolo nomine Jeſu, *nego*. Nam Act. 19. cum aliqui Epheſii dixiſſent Paulo: *Neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus*, reſpondit Paulus, *in quo ergo baptizati eſtis?* quibus verbis ſignificatur, etiam Pauli tempore, in Baptiſmi forma, Spiritus ſancti nomen invocatum fuiſſe.

Inſtab. Actor. 8. dicitur, *Baptizati tantum erant in nomine Domine Jeſu;* ergo.

Reſpond. nego conſeq. Nam vox, *tantum*, excludit equidem receptionem confirmationis, ſed non invocationem aliarum perſonarum.

§. II. *De neceſſitate Baptiſmi.*

Quæres 1. *Quotuplex diſtinguatur neceſſarium ad ſalutem?*

Reſpond. Duplex, nempe, *neceſſarium neceſſitate præcepti*, quod ſine peccato non poteſt omitti culpabiliter; & *neceſſarium neceſſitate medii*, eſtque illud ſine quo ſalus obtineri non

poteſt, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter quis eo privetur. Quod ſi non poſſit ſuppleri per aliud æquivalens, dicitur, *neceſſarium neceſſitate abſoluta*, talis eſt, fides, ſpes, charitas, gratia habitualis, &c. Si vero poſſit ſuppleri per aliud, dicitur, *neceſſarium neceſſitate medii hypotetica*, talis eſt Baptiſmus, qui poteſt ſuppleri per Baptiſmum ſanguinis, vel flaminis.

Quæres 2. *Utrum Baptiſmus ſit neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem?*

Reſp. Extra caſum martyrii, omnibus, tam infantibus, quam adultis eſt neceſſarius neceſſitate medii in re, vel in voto: Joann. 7. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, quod oraculum eſt generale, *nullum excipit*, inquit Div. Ambroſ. lib. 2. de Abraham, cap. 11. *non infantem, non aliqua neceſſitate præventum*. Hinc, Conc. Trid. definit: *Si quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit*.

Objicit Calvinus, filii fidelium, ex Apoſt. 1. Cor. 7. *Sancti ſunt*. Ergo.

Reſp. diſt. ant. Sunt ſancti, diſpoſitive, *conc.* formaliter, *nego*. Dicuntur ergo ſancti, quia deſtinantur ad ſanctitatem per Baptiſmum ſuſcipiendam.

Quæres 3. *Utrum Baptiſmus flaminis ſuppleat vices Baptiſmi aquæ?*

Reſp. Supplet ex opere operantis, ſeu elicientis actum perfectæ charitatis cum explicito Sacramenti voto. Id conſtat ex perpetua Eccleſiæ doctrina, qua innixi PP. Tridentini docent, ſeſſ. 6. cap. 4. *Poſt Evangelium promulgatum, nunquam fieri tranſlationem a ſtatu veteris Adæ ad ſtatum gratiæ, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto*. Quod votum debet eſſe ex-

ſe explicitum, alias Concilio fuiſſet inutile illud diſtinctè appellare, cum votum implicitum ſemper includatur in contritione perfecta.

Quæres 4. *An martyrium ſuppleat vices Baptiſmi?*

Reſp. Supplet, ut expreſſe tradit D. Auguſt. lib. 13. de civit. Dei, cap. 7. *Quicumque*, inquit, *etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis. Qui enim dixit:* niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c. *alia ſententia iſtos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit:* qui me confeſſus fuerit &c. *Et alio loco:* qui perdiderit animam ſuam, propter me, inveniet eam ... porro martyrium ſupplet vices Baptiſmi *ex opere operato*, nam ſic infantibus prodeſt; ergo & adultis, nulla enim eſt diſparitas, unde D. Thom. *in* 4. *diſt.* 4. *art.* 3. *ad* 1. de Martyrio generatim dicit: *Non habet liberationem a culpa & pœna, tantum ex opere operante, ſed hoc habet ex imitatione paſſionis Chriſti.*

§. III. *De miniſtro & ſubjecto Baptiſmi.*

Quæres 1. *Quotuplex diſtingui poſſit miniſter Baptiſmi?*

Reſpond. Triplex, nempe, *Ordinarius*, qui Baptiſmum ex officio adminiſtrat. *Extraordinarius*, qui Baptiſmum ex delegatione miniſtri ordinarii adminiſtrat. Et *miniſter neceſſitatis*, qui Baptiſmum confert conſtituto in periculo vitæ.

Quæres 2. *Quinam ſit miniſter Baptiſmi?*

Reſpond. 1. Miniſter *ordinarius*, eſt Epiſcopus, & dependenter ab Epiſcopo Sacerdos

quibus, in perſonis Apoſtolorum & Diſcipulorum, Chriſtus dixit, Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. . . . 2. Miniſter *extraordinarius*, eſt Diaconus, de licentia Epiſcopi aut Presbyteri, ut refertur c. *conſtat*, diſt. 4. de conſec. *Conſtat Baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe tractandum, ejuſque myſterium, nec ipſis Diaconis explere eſt licitum, abſque Epiſcopo vel Presbytero*, (id eſt, abſque licentia Epiſcopi, vel Presbyteri, ait gloſſa) *niſi, his procul abſentibus, ultima languoris neceſſitas cogat* . . . . . 3. Miniſter *neceſſitatis*, eſt quilibet homo, ſive vir, ſive mulier; ſive baptizatus, ſive non. Ratio eſt, voluntas Chriſti, nobis ex traditione & praxi Eccleſiæ manifeſtata, ad quam attendens Conc. Florent. definit: *In caſu autem neceſſitatis, non ſolum Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam Laicus vel mulier, immo etiam paganus, & hereticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia*.

Quæres 3. *Utrum infantes, & perpetuo amentes poſſint baptizari?*

Reſpond. Poſſunt valide & licite, ut conſtat ex perpetua Eccleſiæ praxi & traditione: *Eccleſia traditionem Apoſtolis ſuſcepit, etiam parvulis dare Baptiſmum*, ait Origen. *tom.* 2. *p.* 35. & D. Auguſt. *l.* 1. *de Gen. ad litteram, cap.* 23. dicit: *Conſuetudo matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, neque ullo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda, niſi apoſtolica eſſet traditio*. Hanc veterem Eccleſiæ doctrinam confirmavit Conc. Trid. *ſeſſ.* 7. *can.* 13. quo Anabaptiſtas anathemate percuſſit.

Objicies: Nemo poteſt baptizari, niſi prius inſtruatur, *Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos*, &c. Atqui infantes non poſſunt inſtrui; ergo.

Reſp. diſt. maj. Nemo adultus, *conc.* nemo infans, *nego.* Nam mandatum Chriſti, quoad doctrinam ſpectat ſolos adultos, ſed quoad neceſſitatem Baptiſmi, ſpectat omnes, ut conſtat ex traditione.

Inſtab. Nemo poteſt baptizari, niſi credat, Marci ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Atqui infantes non ſunt capaces fidei; ergo, &c.

Reſp. nego maj. Nam infantes baptizantur in ſola fide Eccleſiæ, ut definivit Concil. Trid. textus ergo eſt intelligendus de adultis.

Quæres 4. *Utrum liceat filios infidelium baptizare invitis parentibus?*

Reſpond. 1. Filii hæreticorum licite poſſunt invitis parentibus baptizari. Quia cum ratione Baptiſmi ſint ſubditi Eccleſiæ, poſſunt cogi ab Eccleſia, ut infantes ſuos baptizari curent; ergo eis poſſunt eripi, ut baptizentur.

Reſp. 2. Filii mancipiorum non baptizatorum, poſſunt, ac debent invitis parentibus baptizari, quia ratione ſervitutis parentum, pertinent ad dominos, quorum ſunt poſſeſſio; ergo.

Reſp. 3. Filii infidelium non baptizatorum, ſive principibus infidelibus, ſive fidelibus civiliter tantum ſubditorum non poſſunt licite, *utroque parente invito*, baptizari, *niſi jamjam ſint in evidenti periculo mortis.* Quia vel illi infantes ſubſtraherentur parentibus, vel non; *ſi primum*, violaretur jus naturale quod habent parentes in filios; *ſi ſecundum*, exponeretur Sacramentum periculo profanationis; atqui neutrum eſt licitum, cum non ſint facienda mala ut eveniant bona; ergo.

Dixi 1. *Utroque parente invito*, quia ſi alteruter parens conſentiat, poteſt infans, altero renitente, baptizari; nam voluntas juſta unius

parentis in favorem prolis, præferendi eſt injuſtæ alterius voluntati in prolis præjudicium.

Dixi 2. *Niſi infans jamjam eſſet in evidenti periculo mortis*, quia tunc nec eriperetur parentibus, nec Baptiſmus profanationi exponeretur.

§. IV. *De effectibus & cæremoniis Baptiſmi*.

Quæres 1. *Quot ſint effectus Baptiſmi?*

Reſp. Sublato obice, ſunt tres, nimirum:

Primus, eſt gratia ſanctificans, quæ hominem interius regenerat, ac delicta quæcumque, tum originale, tum actualia totaliter remittit, & quoad culpam, & quoad pœnam, cum *nihil damnationis ſit iis qui ſunt in Chriſto Jeſu*, regenerati.

Secundus, eſt, gratia ſacramentalis, quæ definitur: *Gratia habitualis regenerativa, annexum habens jus ad gratias actuales neceſſarias ad conſervandam vitam ſpiritualem per Baptiſmum acceptam, & ad digne ſuſcipienda alia Sacramenta*, quorum eſt janua.

Tertius, eſt, character, ut ſupra probavimus.

Quæres 2. *Quanam ſint diſpoſitiones neceſſariæ ad recipiendos effectus Baptiſmi?*

Reſp. Ad recipiendum characterem ſufficit voluntas recipiendi Baptiſmi; ſed ad gratiam recipiendam requiruntur ex Conc. Trid. *ſeſſ. 6. capit. 6.* fides, timor, ſpes, amor initialis, odium ac deteſtatio peccati, tandem propoſitum inchoandi novam vitam, & ſervandi divina mandata.

Quæres 3. *Utrum cæremoniæ Baptiſmi, quæ, cogente neceſſitate, fuerunt omiſſæ, ſint poſtea ſupplendæ?*

Reſp. affirm. Id enim præſcribunt omnes libri Rituales.

Obji-

Objicies: Exorciſmi ſunt inutiles poſt Baptiſmum, quo fugatus eſt dæmon; ergo fruſtra ſupplentur.

Reſp. nego antec. Nam exorciſmi non tantum adhibentur ad fugandos dæmones, ſed etiam ad eorum vires reprimendas, quare D. Thom. 3. part. quæſt. 71. artic. 3. ad 3. dicit: *Nec fruſtra ſupplentur poſt Baptiſmum: quia ſicut impeditur effectus Baptiſmi antequam percipiatur: ita poteſt impediri poſt quam fuerit perceptus.*

Quær. 4. *Quænam ſint obligationes patrinorum*

Reſpond. Sunt quinque, namque debent, 1. Baptizandos Parocho præſentare. 2. Pro eo reſpondere, ſi nequeat. 3. Illum tenere dum baptizatur. 4. Illum de manu baptizantis ſuſcipere. 5. Illum debite in rebus fidei, & doctrina chriſtiana inſtruere, ſi parentes id præſtare non poſſint. Unde ab officio Patrini excluduntur amentes, non baptizati, hæretici, publice excommunicati, & infames, quia non ſunt capaces inſtruendi baptizandos in doctrina Chriſtiana.

Quæres. 5. *Quinam, ratione ſtatus, excluduntur ab officio patrini?*

Reſpond. Excluduntur. 1. Religioſi & ſanctimoniales. 2. Pater & Mater infantis, quia contraherent inter ſe cognationem ſpiritualem, quæ impediret uſum Matrimonii.

DISSERTATIO III.

De Confirmatione.

Nota: AGemus. 1. De natura, materia, & forma Confirmationis. 2. De ejus miniſtro, ſubjecto, & neceſſitate. 3. De ejus effectibus & cæremoniis.

§. I.

§. I. *De natura, ac materia & forma Confirmationis.*

Quæres 1. *Quid ſit Confirmatio?*

Reſp. Definitur: *Sacramentum a Chriſto inſtitutum, quo baptizatus per unctionem Chriſmatis in fronte per modum Crucis factam, ſub præſcripta verborum forma, corroboratur ad fidem firmiter tenendam,* & *intrepide profitendam.*

Quæres 2. *Utrum Confirmatio ſit verum ac proprie dictum novæ legis Sacramentum?*

Reſpond. affirm. Nam habet omnia requiſita ad verum Sacramentum, ut colligitur ex Act. Apoſt. cap. 8. eſt enim 1. Signum ſenſibile, *tunc imponebant manus ſuper illos.* 2. Habet vim producendi gratiam, *& accipiebant Spiritum ſanctum.* 3. Eſt a Chriſto inſtituta, cum ſolius Chriſti ſit inſtituere ſignum collativum gratiæ. 4. Eſt permanenter inſtituta, ut demonſtrat Eccleſiæ uſus ab Apoſtolis ad nos uſque non interruptus, & teſtantur omnes Patres cum S. Clem. Epiſt. 4. *Omnibus feſtinandum eſt ſine mora renaſci, & demum conſignari ab Epiſcopo .... ut a S. Petro accepimus, & cæteri SS. Apoſtoli, præcipiente Domino, docuerunt.* Unde merito Conc. Trid. *ſeſſ. 7. can.* 1. *de Confirm.* definit Confirmationem eſſe *verum & proprium Sacramentum.*

Quæres 3. *Quo tempore Chriſtus inſtituerit Confirmationem?*

Reſp. Cum id neque ex Scriptura, neque ex traditione poſſit colligi, incertum eſt; probabilior tamen eſt ſententia eorum, qui docent Chriſtum inſtituiſſe confirmationem intra illud ſpatium temporis quod fluxit a Reſurrectione uſque ad Aſcenſionem.

Quæ-

Quæres. 4. *Quænam ſit materia remota Confirmationis?*

Reſpond. Eſt Chriſma, confectum ex oleo & balſamo, benedictum ab Epiſcopo, ut expreſſe declaravit Conc. Florent. in decreto: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ; & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto*. Id confirmat praxis Eccleſiæ non interrupta.

Quæres. 5. *Quænam ſit materia eſſentialis & adæquata Confirmationis?*

Reſpond. Eſt ea impoſitio manus, qua Epiſcopus ungit per modum Crucis frontem confirmandi. Ita docent Patres: *Illa unctio*, inquit V. Beda, *quæ per manus impoſitionem fit ab Epiſcopo, vulgo Confirmatio dicitur*. Rabanus Maurus, *lib. 1. de inſtitut. Cleric. c.* 28. refert ex S. Silveſtro, *ad ſolum Epiſcopum pertinere, ut baptizatum per manus impoſitionem cum ipſo Chriſmate conſignet*. Unde ſic concludit Bellarm. lib. 2. de Confirm. cap. 2. *Ipſa unctio & ſignatio, cum manu fiat, manus impoſitio recte dicitur: qui enim inungit, manus imponit, & idcirco utrumque ſignificatur, etiamſi alterum tantum exprimi videatur*, ut addit cap. 9. Præterea, Græci habent verum Confirmationis Sacramentum; atqui tamen apud illos nulla fit manus impoſitio diſtincta ab unctione Chriſmatis, ut conſtat ex Conc. Conſtantinop. I. can. 7. & fatetur Goarius; ergo, &c.

Objicies: Apoſtoli per ſolam manus impoſitionem confirmaſſe referuntur, *Act.* 8. Ergo, &c.

Reſp. nego antec. Nam in Scripturis unctio eſt manus impoſitio, quod probat Bellarm. ex Marci 7. ubi, *Cum poſtulaſſent quidam, ut Dominus imponeret manus ſurdo & muto, ille id*

fecit:

fecit: nam, miſit digitos ſuos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus, ait Textus.

Inſt. Eugenius IV. in decreto, poſt laudatum Textum Actuum 8. ait: *Loco autem illius manus impoſitionis, datur in Eccleſia Confirmatio*. Ergo unctio, qua datur nunc Confirmatio, diſtinguitur a manus impoſitione, qua dabatur ab Apoſtolis.

Reſp. nego conſeq. Nam, *ſenſus non eſt*, inquit Bellarm. *Chriſma eſſe loco impoſitionis manuum, quaſi Apoſtoli non uſi fuerint Chriſmate, & nos non utamur manus impoſitione: ſed ſenſus eſt, idipſum quod Apoſtoli faciebant, cum dicebantur manus imponere, facere nunc Epiſcopos, cum dicuntur confirmare aut chriſmare: diſtinguitur enim in his locis, non ritus a ritu, ſed modus loquendi a modo loquendi*, &c.

Quæres 6. *Quænam ſit forma eſſentialis & adæquata Confirmationis?*

Reſp. Forma, apud Latinos, eſt: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis; in nomine Patris*, &c. Et apud Græcos, hæc eſt: *Signaculum doni Spiritus ſancti, in nomine Patris*, &c. conſtat ex omnibus Ritualibus Latinorum, & Euchologiis Græcorum, & ex uſu perpetuo utriuſque Eccleſiæ.

Objicies: Forma Confirmationis debet eſſe deprecatoria; nam, *Orabant pro ipſis ut acciperent Spiritum ſanctum*. Atqui hæc verba, *Signo te, confirmo te*, non ſunt deprecatoria, ſed abſoluta; ergo.

Reſp. diſt. maj. Debet eſſe deprecatoria virtualiter & quoad ſenſum, *conc*. quoad pronuntiationem & grammaticaliter, *nego*. Porro verba formæ, licet indicative pronuntientur, tacitam includunt orationem, qua Miniſter divinam opem invocat, ut effectum ſacramentalem producat.

Inſt.

Inſt. Ex his verbis, Jac. 5. *Et orent ſuper eum, ungentes*, &c. recte infertur formam Extremæ unctionis debere pronuntiari deprecative; ergo ex his verbis, *oraverunt pro ipſis, ut acciperent*, &c. idem inferri debet.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas petitur ex Traditione Apoſtolica relucente in perpetua praxi Eccleſiæ.

§. II. *De miniſtro, ſubjecto, & neceſſitate Confirmationis.*

Quæres 1. *Quinam ſit miniſter ordinarius Confirmationis?*

Reſp. De fide eſt, ſolum eſſe Epiſcopum, ut conſtat, tum ex Scriptura, *Act.* 8. ubi legitur Petrum & Joannem Apoſtolos, miſſos fuiſſe Samariam, ut eis qui a Philippo baptizati fuerant, manus imponerent & darent Spiritum ſanctum: tum ex Tradit. cujus teſtes ſunt Patres, dicentes cum Divo Chryſoſtomo homilia 18. in capit. 8. Actor. *Virtutem quidem acceperant Diaconi faciendi ſigna, non autem dandi aliis Spiritum ſanctum; igitur hoc erat in eis ſingulare, unde & præcipuos*, id eſt, Epiſcopos, *& non alios videmus hoc facere.* Ita etiam definierunt Concilia Florent. in decreto, & Trid. *ſeſſ. 7. can. 3.*

Objicies: Ananias, qui non erat Epiſcopus, impoſuit manus Paulo, dicens: *Saule Frater, Dominus miſit me Jeſus . . . . . . ut videas, & implearis Spiritu ſancto;* ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Impoſuit manus ad viſum ei reſtituendum, *conc.* ad eum confirmandum, *nego.* Unde Paulus non per confirmationem impletus eſt Spiritu ſancto, ſed per Baptiſmum, ut patet ex contextu, *& confeſtim ceciderunt ab oculis ejus tanquam ſquamæ, & viſum recepit; & ſurgens baptizatus eſt.*

Quæ-

Quæres 2. *Quis poſſit eſſe miniſter extraordinarius Confirmationis?*

Reſp. Simplex Presbyter per diſpenſationem Pontificiam; ſed debet uti Chriſmate per Epiſcopum benedicto, prout ſtatuit Concilium Florentinum in decreto; nam 1. id conceſſit Gregorius Magnus Presbyteris Calaritanis, ut refertur cap. *Pervenit*, diſt. 91. *Ubi deſunt Epiſcopi*, inquit, *ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chriſmate ungere debeant, concedimus*. 2. In Eccleſia Græca, a mille annis & amplius ſimplices Presbyteri Confirmationem conferunt, quam praxim non reprobat Eccleſia Latina, quæ Græcos in ſuam communionem admiſit in Conciliis Lugdun. II. & Flor. nec tamen Confirmationem, ab eorum Presbyteris collatam, rejecit ut invalidam; ergo, &c.

Objicies: Poteſtas confirmandi, eſt poteſtas Ordinis, non Juriſdictionis; atqui poteſtas Ordinis non poteſt dari per delegationem; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Poteſtas confirmandi ordinaria & perfecta, *conc.* extraordinaria & imperfecta, *nego*. Sola autem poteſtas extraordinaria poteſt dari Presbytero, qui ratione ſui Ordinis inchoatam habet & incompletam poteſtatem, qua capax fit ut ad Confirmationem conferendam poſſit delegari per diſpenſationem Pontificiam, per quam poteſtas illa perficitur ac completur, ut valida ſit Confirmatio, alias invalida futura.

Quæres 3. *Quodnam ſit ſubjectum Confirmationis?*

Reſp. Eſt omnis, & ſolus homo baptizatus: *omnis* quidem, ut conſtat ex praxi primitivæ Eccleſiæ, quæ infantibus una cum Baptiſmo Confirmationem & Euchariſtiam miniſtrabat, quam praxim nunc etiam obſervat Eccleſia Græ-

ca. *Solus* etiam, quia Baptiſmus eſt janua cæterorum Sacramentorum.

Quæres 4. *Quænam diſpoſitiones requirantur in confirmando?*

Reſp. Ut validum ſit Sacramentum, ſufficit voluntas illud recipiendi: ut cum fructu recipiatur, requiritur ſtatus gratiæ ad Sacramenti vivorum receptionem neceſſariæ.

Quæres 5. *Utrum confirmatio ſit neceſſaria ad ſalutem?*

Reſp. Non eſt neceſſaria, neceſſitate medii, quia ſine eo homo poteſt ſalvari per Baptiſmum & Pœnitentiam; ſed eſt neceſſaria neceſſitate præcepti divini & eccleſiaſtici; nam Chriſtus præcepit Apoſtolis, ut Confirmationem reciperent: *Præcepit eis ab Jeroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris;* atqui cæteri omnes, tum viri, tum mulieres huic præcepto paruerunt, dicente Scriptura ibidem: *Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jeſu, & fratribus ejus.* Ergo omnes ſibi præceptum eſſe impoſitum intellexerunt. Hinc Conc. Senonenſe definit: *Confirmationem omnes Chriſtiani, tam viri quam mulieres, uſum rationis habentes obligantur ſuſcipere, aut ſaltem non contemnere. Contemnere autem dicitur, quando Epiſcopus eſt præſens paratus dare, & perſona hoc ſciens negligit.*

§. III. *De effectibus, & cæremoniis Confirmationis.*

Quæres 1. *Quot ſint effectus Confirmationis?*

Reſp. Sunt tres. *Primus*, eſt gratia ſanctificans, ſecunda. *Secundus*, eſt gratia ſacramentalis, quæ definitur, gratia habitualis roborativa, annexum jus habens ad gratias actuales neceſſa-

ceſſarias ; *ut Chriſtianus audacter Chriſti nomen confiteatur*, ait Flor. in decreto. *Tertius*, eſt character, quo baptizatus adſcribitur militiæ Chriſti.

Quæres 2. *Quænam ſint Confirmationis cæremoniæ?*

Reſp. Sunt ſex, nempe, 1. Adhibitio patrini, qui ſit baptizatus & confirmatus. 2. Mutatio nominis, ſi ſit turpe vel ridiculum. 3. Eſt manus impoſitio, qua Epiſcopus ſuper confirmandos divinam implorat protectionem 4. Eſt levis inflictio alapæ in maxilla confirmati. 5. Eſt pax quæ datur confirmato. 6. Demum, eſt circumligatio frontis confirmati faſciola linea per triduum, ut ſignificetur gratiam acceptam conſervandam eſſe diligenter : excipit Synodus Melodunenſis, *niſi frontes, præſente Epiſcopo, eodem panno vel bombyce abſtergendæ curentur.*

DISSERTATIO IV.

De Euchariſtia.

Quæres : QUot modis ſpectetur Euchariſtia? *Reſpond.* Spectatur ut eſt Sacramentum, & ut eſt Sacrificium, de quibus agendum habemus duplici Capite.

CAPUT PRIMUM.

De Euchariſtia, ut eſt Sacramentum.

Nota : AGemus, 1. de eſſentia, 2. de materia & forma, 3. de re in Euchariſtia contenta, 4. de miniſtro & ſubjecto, 5. de uſu, 6. de effectibus Euchariſtiæ.

§. I.

§. I. *De eſſentia Euchariſtiæ.*

Quæres 1. *Quid ſit Euchariſtia?*

Reſp. Definitur, *Sacramentum a Chriſto inſtitutum ad ſpiritualem animæ refectionem, in quo Corpus & Sanguis Chriſti, vere, realiter, & ſubſtantialiter continentur ſub ſpeciebus panis & vini.*

Quæres 2. *Utrum Euchariſtia ſit verum Sacramentum.*

Reſp. affirmat. Nam 1. eſt ſignum ſacrum, ſenſibile per ſpecies panis & vini. 2. Eſt ſignum gratiæ inviſibilis, ſpiritualis ſcilicet refectionis, Joann. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam.* 3. Eſt a Chriſto permanenter inſtituta, juxta illud, *Hoc facite in meam commemorationem.*

Quæres 3. *Utrum Euchariſtia conſiſtat in uſu & ſumptione, vel in re permanente?*

Reſpond. Conſiſtit in re permanente: nam 1. Chriſtus prius protulit verba conſecratoria, quam Corpus ad manducandum, & Sanguinem ad bibendum Apoſtolis porrexerit; ergo ante actualem uſum & manducationem fuerunt ſub ſpeciebus; ergo fuit verum Sacramentum. 2. Ab ipſo Apoſtolorum tempore, Euchariſtia aſſervabatur domi, ad abſentes & ægrotantes deferebatur. Ad quam praxim & traditionem attendens Conc. Trid. anathemate percellit eos qui dixerint, *In Hoſtiis ſeu particulis conſecratis, quæ poſt Communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum Corpus Domini.*

Objicies: Omne Sacramentum conſtat rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma; atqui Euchariſtia poſt conſecrationem non conſtat verbis; ergo.

Reſp. diſt. maj. Sacramentum in fieri, *conc.* in fa-

in facto eſſe, *nego*. Hic autem loquimur de Sacramento in facto eſſe, quod licet extrinſece confectum ſit verbis, tamen intrinſece componitur Corpore & Sanguine Chriſti, non verbis . . . Ergo Euchariſtia non conſiſtit eſſentialiter in conſecratione, cum conſtet verbis quæ fluunt ac tranſeunt.

Quæres 4. *Utrum Euchariſtia conſiſtat eſſentialiter in ſolis ſpeciebus?*

Reſp. neg. Nam Euchariſtia gratiam confert, adoratur a fidelibus, conficitur a miniſtris, quæ omnia non conveniunt ſolis ſpeciebus.

Objicies: Innoc. III. tria diſtinguit in Euchariſtia, nempe, Sacramentum tantum, res Sacramenti tantum, res Sacramenti & Sacramentum ſimul; additque ſpecies eſſe Sacramentum tantum; ergo, &c.

Reſp. Sumit nomen *Sacramentum* inadæquate, pro eo præciſe quod ſignificat, non pro eo quod ſignificat ſimul & ſignificatur.

Quæres 5. *Utrum eſſentialiter conſiſtat in ſolo corpore & ſanguine Chriſti?*

Reſp. negat. Nam Corpus & Sanguis ſola, non ſunt quid ſenſibile, eſt tamen de ratione Sacramenti quod ſit ſignum ſenſibile.

Quæres 6. *In quo ergo Euchariſtia eſſentialiter conſiſtat?*

Reſpond. Conſiſtit eſſentialiter & adæquate in ſpeciebus ſimul & corpore ac ſanguine Chriſti, quia huic complexo apprime conveniunt omnes veri Sacramenti conditiones: eſt enim ſignum ſenſibile, per ſpecies, gratiæ inviſibilis per Corpus & Sanguinem Chriſti, &c. Unde ſpecies in hoc Sacramento habent rationem materiæ, & Corpus ac Sanguis Chriſti rationem formæ.

Quæres 7. *Utrum Euchariſtia, quæ duplici conſtat ſpecie, ſit duplex Sacramentum?*

Reſp.

Reſp. Eſt unum tantum: quia, licet duabus ſpeciebus conſtet, unicam tamen confert gratiam ſacramentalem, refectionem ſcilicet ſpiritualem; ergo.

§. II. *De materia & forma Euchariſtiæ in fieri.*

Quæres 1. *Quænam ſit materia Euchariſtiæ in fieri?*

Reſp. Eſt panis pro conſecrando Corpore, & vinum pro conſecrando Sanguine.

Quæres 2. *Quinam panis ſit materia neceſſaria Euchariſtiæ?*

Reſp. Eſt Panis triticeus, & non alius: nam panis quo Chriſtus uſus eſt dum Euchariſtiam inſtituit, vocatur panis ſimpliciter & ſine addito, Luc. 22. *Accepit Jeſus panem*, &c. Atqui ſolus panis triticeus eſt, & vocatur panis *ſimpliciter:* alii vero panes, dicuntur panes *ſecundum quid*, & cum addito, v. g. *Panis hordeaceus*, *panis ex fabis*, &c. Hinc Conc. Florent. in decreto, ait: *Euchariſtiæ . . . materia, eſt panis triticeus, & vinum de vite.*

Quæres 3. *Utrum panis debeat eſſe azymus, vel fermentatus?*

Reſp. In utroque *valide conficitur Sacramentum*, quia uterque eſt verus panis ſimpliciter dictus, nec differunt inter ſe, niſi accidentaliter: unde Concil. Florent. in decreto, ait: *Definimus in azymo, ſive in fermentato pane triticeo Chriſti Corpus veraciter confici.*

Dixi: *Valide conficitur Sacramentum:* quia, ut ſit licita conſecratio, quilibet Sacerdos tenetur ſequi leges Eccleſiæ, quæ in Concilio Florentino definit, ut latini Sacerdotes azymum, & Græci fermentatum conſecrent, *juxta ſuæ Eccleſiæ orientalis, ſive occidentalis, conſuetudinem.*

Quæ-

Quæres 4. *In quo pane Chriſtus conſecraverit?*

Reſp. Conſecravit in azymo. Nam Euchariſtiam inſtituit *primo die azymorum*, Marci 14. atqui a prima veſpera primi diei azymorum uſque ad ſeptimum diem, nullo modo licebat Judæis uti pane fermentato, immo nec illius fruſtulum domi aſſervare; ergo Chriſtus, utpote legis obſervantiſſimus, conſecravit in azymo.

Objicies. Chriſtus ultimam cœnam celebravit *ante diem feſtum Paſchæ*. Joan. 13. ergo, &c.

Reſp. Joannes loquitur de die naturali Paſchæ, quæ incipiebat ab ortu ſolis ad occaſum, & eo anno incidebat in diem veneris; ſed non loquitur de die cæremoniali, quæ inceperat die jovis ad veſperam.

Inſt. Chriſtus non eſt mortuus in die ſolemni Paſchæ: nam 1. Dies veneris, qua Chriſtus mortuus eſt, dicitur præparatio ad Paſcha, Joann. 10. *Erat paraſceve Paſchæ*, 2. Judæi *dicebant, non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo*.

Reſp. ad 1. Paraſceve, de quo D. Joann. loquitur, non fuit ad ipſam diem Paſchæ, ſed ad diem Sabbati, qui eo anno incidebat in diem ſecundam azymorum: neque enim dies Paſchæ habebat *paraſceve*, quia ipſo Paſchatis die, & omnibus diebus paſchalibus licebat ea præparare quæ ad victum erant neceſſaria.

Reſp. ad 2. Quod quidam Judæi, ob metum tumultus in ea fuerint ſententia, ſed prævaluere ſuffragia quibus deliberatum eſt non prætermittendam eſſe occaſionem Jeſum capiendi, & occidendi, violatis omnibus juſtitiæ ac religionis juribus.

Quæres 5. *Quodnam vinum ſit materia neceſſaria Euchariſtiæ?*

Reſp.

Reſp. Eſt vinum de vite, Matth. 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Hinc invalida eſt conſecratio tentata in omphacio, aceto, &c. Quia non ſunt vinum. Nec uva ex qua nondum expreſſum eſt vinum, quia non eſt potabilis; ſed tantum manducabilis. Valet tamen conſecratio in muſto & vino aceſcente, quia retinent naturam vini, eſt tamen illicita ob fæces adjunctas, & alterationem.

Quæres 6. *Utrum aqua debeat vino conſecrando admiſceri?*

Reſp. Debet ex præcepto Eccleſiaſtico, ut conſtat ex Concil. Trident. ſeſſ. 22. capit. 7. *Monet ſancta Synodus*, inquit, *præceptum eſſe ab Eccleſia ſacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent, tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur; tum etiam quia e latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur*, &c.

Objicies: Ex Concil. Carthaginenſi III. mixtio aquæ fuit a Chriſto tradita; ergo.

Reſp. diſt. ant. Fuit tradita, tanquam exemplum quod convenit ſequi, *conc.* tanquam præceptum, *nego*. Conſtat ex Conc. Trid.

Quæres 7. *In qua quantitate aqua vino debet miſceri?*

Reſp. In modica quantitate, ut conſtat tum ex praxi Eccleſiæ, tum ex Concilio Florent. docente materiam calicis eſſe vinum de vite, *cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet*. Illaque mixtio debet fieri tempore Miſſæ, alioquin ſacram non haberet ſignificationem.

Quæres 8. *Utrum Chriſtus verbis ad conſecrandum uſus fuerit?*

Reſp. affirm. Nam ita docent SS. PP. Tertull. *lib.* 4. *contra Marcionem*, *capit.* 40. ait: *Acceptum panem & diſtributum diſcipulis, Corpus*

ſuum fecit dicendo : hoc eſt Corpus meum, &c. D. Ambroſ. *lib.* 4. *de Sacramento*, *cap.* 4. dicit : *Conſecratio cujus verbis eſt, aut cujus ſermonibus? Domini Jeſu . . . . ergo ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum*. Hinc Conc. Florent. ait : *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum: Sacerdos enim in perſona Chriſti hoc conficit Sacramentum*.

Objicies: Marci 14. dicitur : *Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Et ait illis, hic eſt Sanguis meus*, &c. Ex quo ſic arguo: Prius Apoſtoli panem Euchariſticum & Calicem ſumpſerant, quam dixiſſet Chriſtus : *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus*, &c. Ergo non iſtis verbis conſecravit, ſed præcedente benedictione.

Reſp. nego ant. Nam D. Marcus non eſt ſecutus ordinem narrationis, ut conſtat ex aliis Evangeliſtis & Apoſtolo; ſed hæc verba : *Biberunt ex illo omnes* : protulit per anticipationem, ut nempe præceptum Chriſti de ſumendo calice conjungeret cum ejus executione.

Quæres 9. *Quænam verba eſſentialem Euchariſtiæ formam conſtituant*.

Reſp. Sunt iſta : *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt calix Sanguinis mei*, vel, ut habet Marcus, *hic eſt Sanguis meus*. Nam illa omnia verba, & quidem ſola, perfecte ſignificant tranſubſtantiationem panis in Corpus, & vini in Sanguinem Chriſti; ergo illam efficiunt . . . ergo hæc verba, *qui pridie quam pateretur*, &c. non ſunt de eſſentia formæ, quia non ſunt verba Chriſti, ſicut nec particula, *enim* . . . . quoad iſta verba : *Accipite, manducate, & bibite: novi & æterni teſtamenti*: ſunt quidem verba Chriſti, ſed non ſunt de eſſentia formæ, quia non ſignificant tranſubſtantiationem.

Obji-

Objicies 1. Multi Patres aſſerunt Euchariſtiam oratione conſecrari; ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Nam illi Patres per *orationem*, intelligunt verba Chriſti, quæ fiunt implicita oratio, quatenus Deum efficaciter movent ad effectum ſacramentalem producendum.

Objicies 2. In Liturgia D. Chryſoſt. Sacerdos, poſt prolationem verborum Chriſti, ſic orat: *Fac panem iſtum pretioſum Corpus Chriſti tui, tranſmutans Spiritu ſancto tuo*. Ergo ſupponit nondum factum eſſe tranſubſtantiationem.

Reſp. Cum Arcudio, *lib*. 3. *cap*. 33. Latinos S. Chryſoſtomi verba male omnino reddidiſſe, quæ juxta textum græcum ſic reddi debent: *Fac ut panis, quem Spiritu ſancto ſuo tranſmutaſti in pretioſum Corpus Chriſti tui, fiat ſuſcipientibus in ſalutem*.

Quæres 1. *Utrum verba conſecratoria proferantur a Sacerdote hiſtorice vel aſſertive?*

Reſpond. Utroque modo proferuntur: *hiſtorice* quidem, quia referuntur tanquam a Chriſto dicta: *aſſertive* etiam, quia proferuntur a Sacerdote in perſona Chriſti, cum intentione exercendi ipſam propoſitionis ſignificationem.

Quæres 2. *Quid pronomina*, hoc, *&*, hic, *ſignificent in forma Euchariſtiæ?*

Reſpond. Significant Corpus & Sanguinem Chriſti, ſub confuſa ratione rei contentæ ſub ſpeciebus panis & vini in fine prolationis formæ conſecratoriæ. Quia pronomina demonſtrativa, ſubſtantive poſita in propoſitione practica, ſignificant tantum confuſe id quod exiſtit in fine prolationis verborum; atqui pronomina, *hoc*, &, *hic*, ſunt ſubſtantive poſita in propoſ. practica; ergo ſignificant tantum confuſe id quod exiſtit in fine prolationis verborum; illud autem eſt Corpus & Sanguis Chriſti.

Objicies: Pronomen, *hoc*, ſignificat id quod præſens eſt; ergo ſignificat panem.

Reſp. nego ant. Nam in propoſitionibus practicis, non demonſtratur, niſi id quod vi illarum fit, & nihil fit vi illarum niſi integre ſint prolatæ, ſed ſemel completæ ſignificant diſtincte terminum ad quem, qui ſolus remanet, & quem ab initio prolationis confuſe tantum ſignificabant.

Inſtab. Si pronomen, *hoc*, Corpus Chriſti ſignificet, propoſitio iſta: *Hoc eſt Corpus meum*, erit identica & nugatoria; falſum conſeq. ergo.

Reſp. nego ſeq. maj. Nam ut propoſ. ſit identica, non ſufficit, ut idem ſit prædicatum & ſubjectum, ſed etiam requiritur ut ſit idem ſignificandi modus; hic autem quod per ſubjectum, nempe pronomen, *hoc*, confuſe ſignificatur, per prædicatum, nempe, *Corpus meum*, diſtincte ſignificatur.

§. III. *De re in Euchariſtia contenta.*

Quæres I. *Quinam negarunt realem præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia?*

Reſp. Negarunt IX. labente ſæculo, *Joannes Erigena*, natione Scotus. Sæculo XI. *Berengarius*, Eccleſiæ Andegavenſis Archidiaconus. Sæculo XII. *Petrus de Bruis*, &, *Henricus*, ejus diſcipulus. Sæculo XVI. *Carloſtadius*, Wittembergenſis, *Oecolampadius*, *Zuinglius*, &, *Bucerus*. Denique eodem Sæculo XVI. *Calvinus*, qui aſſeruit non aliam eſſe præſentiam quam figuratam, objective per fidem vel virtutem a Chriſto diffuſam, ad quam fraudem elidendam Concil. Trid. definivit Chriſtum *vere*, *realiter*, ac *ſubſtantialiter*, in Euchariſtia præſentem eſſe.

Quæ-

Quæres 2. *Utrum dogma preſentiæ realis poſſit demonſtrari ex verbis promiſſionis*, Joann. 6.

Reſp. Poteſt, Nam hæc Chriſti verba: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita . . . . caro mea, vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus.* In ſenſu reali accepta, ſignificant realem præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia; atqui debent accipi in ſenſu proprio, quia 1. Nulla eſt neceſſitas ea detorquendi in ſenſum metaphoricum. 2. Quia Judæi, & diſcipuli Chriſti, illa verba intellexerunt de manducatione vere & orali, ut conſtat ex contextu, nec tamen Chriſtus hanc illorum opinionem correxit, immo juramento firmavit, dicens: *Amen, amen, dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Additque diſcipulis: *Hoc vos ſcandalizat? ſi ergo videritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius?* (ſubintellige, *quid dicetis aut facietis?*) ergo &c.

Objicies 1. Chriſtus exponens quo ſenſu dixerit, *caro mea vere eſt cibus*, &c. *ait: Spiritus eſt qui vivificavit; caro non prodeſt quidquam*, Ergo ejus verba ſunt metaphorice intelligenda de ſpirituali manducatione.

Reſp. nego conſeq. Chriſtus enim ibi non loquitur de ſua carne, ſed de hominibus carnaliter ſentientibus, ut exponit D. Chryſoſtom. homil. 46. in Joann. dicens: *Quomodo igitur ait: caro non prodeſt quidquam? non de ſua carne dicit, abſit; ſed de his qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur.* Unde Chriſtus per Verbum, *Spiritus*, intelligit, ſua verba ſpiritualiter intellecta; & per Verbum, *caro*, intelligit, ſua verba carnaliter intellecta.

Objicies 2. D. Auguſtin. Tract. 25. in Joann. ait: *Ut quid paras dentes & ventrem? crede &*

manducaſti. Ergo caput 6. Joannis exponit de manducatione per fidem.

Reſp. nego conſeq. Nam D. Auguſt. ibi exponit hunc verſum: *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille*, qui eſt verſus 29. capitis 6. Joannis, & qui eſt de fide in Chriſtum. Pro cujus intelligentia nota ſextum caput Joannis tres continere partes: *Prima*, a verſu 1. ad vigeſimum quintum, loquitur de multiplicatione quinque panum, quibus in deſerto ſaturati ſunt 5000. hominum. *Secunda*, verſu 25. ad verſum 52. de cibo mere ſpirituali, nempe de fide in Chriſtum. *Tertia*, a verſu 52. ad finem agit de manducatione orali carnis Chriſti in Euchariſtia; ergo verſ. 29. non eſt de Euchariſtia.

Inſt. 1. D. Aug. explicans tertiam partem capitis 6. Joannis, *lib.* 3. *de doctr. Chriſt. cap.* 16. ait: *Hæc locutio*, niſi manducaveritis, &c. *facinus vel flagitium videtur jubere*. Ergo.

Reſp. diſt. Si ſumatur ſenſu Capharnaitico, *conc.* ſacramentaliter, *nego*.

Inſt. 2. D. Auguſt. addit: *Figura eſt ergo præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum*.

Reſpond. diſt. Eſt figura plena, continens rei veritatem, *conc.* eſt figura vacua, excludens rei veritatem, *nego*. Sumit ergo *τὸ figura* pro ſpeciebus, ut ſeſe explicat *Tractat.* 25. *in Joann.* dicens: *Corpus Chriſti & Sanguis, ex panis & vini ſubſtantia efficitur; figura vero eſt illud, quod exterius ſumitur*.

Quæres 3. *Utrum præſentia realis poſſit probari ex his verbis:* Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus, *quibus Chriſtus inſtituit Euchariſtiam?*

Reſp. Poteſt. Nam 1. juxta regulam ab Auguſtino traditam lib. 3. de doctr. Chriſt. c. 10. *Verba Scripturæ ſenſu proprio & naturali debent in-*

intelligi, quando nihil continent, quod repugnet aut bonis moribus, aut fidei, aut aliis ejuſdem Scripturæ teſtimoniis clarioribus. Atqui verba laudata nihil continent quod repugnet bonis moribus, ut fatentur Calviniſtæ, aut quod repugnet aliis ejuſdem Scripturæ teſtimoniis clarioribus, nullum enim hactenus protulere Novatores, nec ullus afferri poteſt; ergo.

2. Quia ex nullo capite in hac Chriſti prop. *Hoc eſt Corpus meum*, poteſt colligi ſenſus metaphoricus. *Non ex communi uſu loquendi*; namque panis, ex recepto uſu, non eſt deſtinatus ad ſignificandum Corpus Chriſti, ut demonſtrato pane poſſit dici, *hoc eſt Corpus*. Neque etiam, 2. *ex contextu ſermonis*, nihil enim eſt in antecedentibus aut conſequentibus, ex quo poſſit colligi Chriſtum figurate locutum fuiſſe. Neque 3. *ex ipſius loquentis expoſitione*, quia de facto nulla eſt, ut legenti Evangelium patebit; ergo, &c.

Objicies 1. In hac propoſit. *Hoc eſt Corpus meum*, ſubjectum eſt panis; atqui repugnat panem eſſe Corpus Chriſti; ergo propoſ. figurate eſt accipienda.

Reſpond. nego maj. Nam pronomen, *hoc*, ſumitur ſubſtantive; ergo non ſignificat panem, ſed ſignificat confuſe rem contentam ſub ſpeciebus panis.

Inſt. Pronomen, *hoc*, ſignificat quod Chriſtus tenebat præ manibus; atqui panem tenebat præ manibus; ergo, &c.

Reſpond. diſt. maj. Quod tenebat præ manibus, completa propoſitione, *conc.* ante prop. completam, *nego*. Porro Chriſtus completa propoſ. practica præ manibus tenebat Corpus ſuum, non panem.

Objicies 2. In hac propoſ. Geneſ. 41. *Septem ſpicæ plenæ, ſeptem ubertatis anni ſunt*; Ver-

bum, *ſunt*, ſumitur pro, *ſignificant*; ergo & in hac, *hoc eſt Corpus meum*, Verbum, *eſt*, ſumitur pro *ſignificat*.

Reſpond. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod in primo textu ſit manifeſta repugnantia; econtra in ſecundo eſt perfectâ identitas.

Quæres 4. *Utrum præſentia realis poſſit demonſtrari ex traditione?*

Reſp. Poteſt: illiuſque traditionis teſtes ſunt Concilia & Patres: ex innumeris textibus, paucos referemus.

Concil. Nicænum I. *lect. 3. de ſacra menſa*, ait: *Intelligamus ſitum in illa ſacra menſa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruente e Sacerdotibus immolatum, & pretioſum ejus Corpus & Sanguinem vere ſumentes, credamus, hæc eſſe noſtræ redemptionis ſymbola.*

Concil. Nicænum II. Actor. 6. *Liquido monſtratum eſt, quod nuſquam Dominus, vel Apoſtoli, aut Patres, imaginem dixerunt, Sacrificium ſine Sanguine, ſed ipſum Corpus, ipſum Sanguinem.* Omittimus Concilia, *Romanum*, contra Berengarium; *Viennenſe*, in decreto de feſto Corporis Domini; *Florentinum* & *Tridentinum*, in quibus præſentia realis fuit declarata & definita, ut deveniamus ad Patrum teſtimonia.

D. Cyprian. de cœna Domini: *Panis iſte, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi, factus eſt caro.*

D. Damaſc. *lib. 4. de fide, cap.* 14. ait: *Domino dicente: hoc eſt meum, non figura Corporis, ſed Corpus, & non figura Sanguinis, ſed Sanguis.*

Theophylatus, in cap. 6. Matth. *Non enim dixit, hoc eſt figura, ſed hoc eſt Corpus meum: panis quidem apparet, ſed caro eſt.*

Objicies 1. Tertull. *lib. 4. contra Marcionem, cap.* 40. ait; *Acceptum panem, & diſtributum di-*

diſcipulis, Corpus ſuum illum fecit, hoc eſt Corpus meum dicendo, id eſt, figura Corporis mei; ergo in Euchariſtia eſt ſola figura Corporis Chriſti.

Reſpond. nego conſeq. Iſta enim verba, *figura Corporis mei*, non cadunt ſupra, *Corpus meum*, ſed ſupra, *acceptum panem*, ut concluderet contra Marcionem, legem veterem non fuiſſe malam, cum illius figuras Chriſtus adimpleverit, quando ſcilicet panem, qui, apud Jeremiam, erat figura Corporis ſui, reipſa fecit Corpus ſuum, *dicendo, hoc eſt Corpus meum;* unde addit: *Figura enim non fuiſſet, niſi veritatis eſſet Corpus.*

Objicies: 2. D. Auguſt. *lib. 3. de Trinit.* ait: *Corpus Chriſti verum non frangitur: igitur verus eſt panis qui ſumitur, cum Euchariſtia ſumitur.* Ergo.

Reſp. diſt. ant. Verus eſt panis, quoad ſpecies, *conced.* quoad ſubſtantiam; *nego.* Itaque D. Auguſtinus intendit probare Corpus Chriſti, cum ſit incorruptibile, non poſſe frangi in ſe, ſed tantum in ſpeciebus panis & vini.

Quæres 5. *Utrum Chriſtus ponatur in Euchariſtia per impanationem.*

Reſp. negative: Nam impanatio, eſt unio hypoſtatica Chriſti cum pane; atqui Chriſtus non unitur hypoſtatice cum pane; alias non eſſet vera panis converſio in Corpus Chriſti, item veræ eſſent iſtæ propoſitiones: *Panis eſt Corpus Chriſti; Corpus Chriſti eſt panis*; quod falſum eſt; ergo, &c.

Quæres 6. *Utrum Corpus, & Sanguis Chriſti ponantur in Euchariſtia per conſubſtantiationem.*

Reſp. negative: Nam conſubſtantiatio eſt ſimultanea panis & Corporis Chriſti præſentia in Euchariſtia; atqui de fide eſt, quod tota ſubſtantia panis convertatur in Corpus Chriſti;

ergo de fide eſt, quod non remaneat panis in Euchariſtia, ut definivit Eccleſia contra Lutherum.

Quæres 7. *Quo modo ergo Corpus & Sanguis Chriſti ponatur in Euchariſtia?*

Reſpond. Per tranſubſtantiationem; nam ex Concil. Trid. tranſubſtantiatio, eſt, *mirabilis & ſingularis converſio totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem* (Chriſti) *manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini*. Atqui ſic ponitur Chriſtus in Euchariſtia; ergo, &c.

Objicies 1. Vox, *tranſubſtantiatio*, eſt nova: ergo eſt ſuſpecta & eliminanda.

Reſpond. diſt. antec. Eſt nova, grammaticaliter, & quoad ſyllabas, *conc.* quoad rem, *nego*.

Objicies 2. Hæc propoſ. de lagena vino plena, *hoc eſt vinum*, eſt vera ſine converſione lagenæ in vinum; ergo a pari, &c.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod, ſecundum communem uſum loquendi, continens ſit inſtitutum ad demonſtrandum contentum; at panis & vinum non ſunt inſtituta ad aliud continendum.

Objicies 3. In omni mutatione ſubſtantiali, materia rei converſæ remanet ſub nova forma quam acquirit; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. In mutatione naturali & formali tantum, *conc.* miraculoſa & totali, *nego*. Porro converſio panis in Corpus Chriſti, eſt miraculoſa & totalis.

Quæres 8. *Utrum tranſubſtantiatio ſit vera Corporis & Sanguinis Chriſti reproductio?*

Reſp. affirm. Nam Corpus & Sanguis Chriſti in Euchariſtia accipiunt idem numero eſſe ſecundum omnes gradus ſuos, tum phyſicos, tum metaphyſicos; ergo, &c.

Dices.

Dices cum Scotiſtis: Tranſubſtantiatio eſt ſimplex corporis & ſanguinis adductio; ergo, &c.

Reſpond. nego ant. Nam tranſubſtantiatio formaliter dicit converſionem; ſed ſimplex adductio non importat converſionem, ſed tantum translationem de loco in locum; ergo.

Quæres 9. *Quotuplici modo aliquid poteſt poni in Euchariſtia.*

Reſp. Duplici, nempe, *vi verborum*, &, *per concomitantiam* . . . ponitur *vi verborum* quod expreſſe ſignificatur per verba formæ . . . . ponitur *per concomitantiam*, quod per verba formæ non exprimitur, ſed habet neceſſariam connexionem cum eo quod exprimitur per verba formæ.

Quæres 10. *Quænam ponuntur in Euchariſtia vi verborum?*

Reſp. Solum Corpus ſub ſpecie panis, & ſolus Sanguis ſub ſpecie vini; nam per verba conſecrationis panis, ſolum Corpus, & per verba conſecrationis vini, ſolus Sanguis expreſſe ſignificantur.

Quæres 11. *Quænam ponuntur in Euchariſtia per concomitantiam?*

Reſpond. 1. Sub ſpecie panis ponitur Sanguis & anima; nam Corpus Chriſti in Euchariſtia, ratione concomitantiæ, eſt vivens; at non poteſt eſſe vivens ſine Sanguine & anima. 2. Sub ſpecie vini, ponitur Corpus & anima, quia ſanguis hominis viventis non poteſt eſſe ſine corpore & anima. 3. Sub utraque ſpecie ponitur divinitas, quia quod ſemel Chriſti divinitas aſſumpſit, nunquam dimiſit; atqui aſſumpſit omnes partes hominis; ergo eas nunquam dimiſit.

Objicies: Sanguis eſt pars corporis, non ſecus ac oſſa, nervi, &c. ergo eſt ſub ſpecie panis *vi verborum*.

Reſp. diſt. ant. Eſt pars corporis vivi & animati, *conced.* corporis mortui, *nego*. Porro, Corpus Chriſti eſt in Euchariſtia ut immolatum, non autem eſt vivens, niſi ratione concomitantiæ, qua fit ut anima poſt reſurrectionem unita Corpori ab eo amplius ſeparari non poſſit.

Quæres 12. *Utrum totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte ſpecierum panis & vini?*

Reſp. 1. Eſt ſub qualibet minima parte, ſeparatione facta, ut definivit Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *can.* 3.

Reſp. 2. Eſt etiam ante ſeparationem; nam per diviſionem non fit nova conſecratio quæ de novo ſiſtat corpus præſens; ergo ſi non eſt præſens ante diviſionem, nec eſt præſens poſt diviſionem, quod eſt hæreticum . . . . . nec ſequitur quod Chriſtus ſit pluries in eadem Hoſtia; nam numerus ſupponit diviſionem.

Quæres 13. *Utrum Corpus Chriſti in Euchariſtia habeat ſuam quantitatem?*

Reſp. 1. Habet quantitatem internam: nam quantitas interna, eſt accidens quod diſtinguit partes a partibus in ordine ad ſe, cum proxima aptitudine ad extenſionem externam & impenetrationem; atqui Corpus Chriſti in Euchariſtia, utpote organizatum, habet partes extra partes in ordine ad ſe cum aptitudine ad extenſionem externam & impenetrationem; ergo, &c.

Reſp. 2. Non habet quantitatem externam: nam quantitas externa, eſt accidens, quod extendit ſubſtantiam in ordine ad locum, ita ut una pars reſpondeat uni parti loci, altera alteri, cum actuali impenetratione & reſiſtentia; atqui Corpus Chriſti in Euchariſtia nullum locum occupat per partes, nec eſt actu extenſum, diviſibile, & impenetrabile; ergo &c.

Er-

Ergo, licet Chriſtus in Euchariſtia poſſit elicere actiones ſpirituales, ut ſunt volitio, intellectio, non poteſt tamen elicere actiones a ſenſibus dependentes, ut ſunt viſio, auditio; quia, cum ejus ſenſus non habeant ſuam extenſionem externam, nullas poſſunt ſpecies ab objectis recipere; atqui ſenſus externi non agunt niſi per ſpecies ab objectis receptas; ergo, &c.

Ergo, Chriſtus in Euchariſtia non poteſt pati alterationem ab agentibus naturalibus, v. g. *caleſieri*, *frigeſieri*, &c. quia alteratio requirit contactum quantitativum, cujus non eſt capax corpus quantitate externâ privatum . . . propter eandem rationem, non poteſt moveri per ſe, ſed tantum per accidens, ad motum ſcilicet ſpecierum, ut patet, cum ex Conc. Trid. deferatur ad infirmos.

Quæres 14. *Utrum accidentia poſt conſecrationem remanentia habeant aliquod ſubjectum?*

Nota: Duplex eſſe accidentium ſubjectum, nempe, *mediatum*, quod eſt ſubſtantia, cui inhæret tota collectio accidentium. Et *immediatum*, quod eſt quantitas, cui inſunt alia accidentia.

Reſp. 1. Non habent ſubjectum mediatum, quia tota ſubſtantia panis & vini converſa eſt in Corpus & Sanguinem Chriſti, ut definivit Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 13. *can.* 2. Unde Concil. Conſtantienſe damnavit hanc propoſitionem Wicleffi. *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto.*

Reſp. 2. Habent ſubjectum immediatum, quia ſicut accidentia panis & vini, puta color, frigus, &c. ſubjectabantur immediate in quantitate ante conſecrationem, & mediante quantitate in ipſâ panis ſubſtantia, ita & poſt conſecra-

ſecrationem, ſublata ſubſtantia, ſubjectantur in quantitate.

Objicies: Eſſe in ſubjecto mediato eſt de eſſentia accidentis; ergo, &c.

Reſpond. diſt. ant. Eſſe in ſubjecto mediato, aptitudine & radicaliter, *conc.* actu, *nego*. Nam inhærentia radicalis & aptitudinalis, non autem actualis eſt de eſſentia accidentis.

Quæres 15. *Quandonam Corpus Chriſti deſinat eſſe ſub ſpeciebus?*

Reſp. Deſinit quando accidentia neceſſaria ad conſervandam ſubſtantiam panis & vini corrupta ſunt.

§. IV. *De miniſtro, & ſubjecto Euchariſtiæ.*

Quæres 1. *Quinam ſit miniſter Euchariſtiæ conficiendæ?*

Reſp. Eſt ſolus ſacerdos rite ordinatus: nam ſolis ſacerdotibus Chriſtus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut conſtat ex perpetua traditione Eccleſiæ, & hac Concilii Trid. definitione ſeſſ. 22. can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis*, hoc facite in meam commemorationem, *Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos, Sacerdotes, aut non ordinaſſe ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem ſuum, anathema ſit.*

Objiciet Lutherus, D. Petrus; *Epiſt.* 1. *cap.* 2. alloquens omnes fideles, ait: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium*; ergo omnes ſunt Sacerdotes.

Reſp. diſt. conſeq. Sunt Sacerdotes, Sacerdotio improprie ſumpto, nempe, pro ſpirituali poteſtate offerendi Deo preces, & alia pietatis opera, quæ ſunt ſpirituales hoſtiæ, *conc.* Sacerdotio,

ctio proprie ſumpto, nempe, pro poteſtate confecrandi Euchariſtiam, *nego*. Seipſum exponit D. Petrus, cum addit: *Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum.*

Quæres 2. *Quotuplex ſit miniſter Euchariſtiæ diſpenſandæ?*

Reſp. Duplex, nempe, *ordinarius*, qui eam auctoritative diſpenſat. Et *extraordinarius*, qui eam diſpenſat ex commiſſione Epiſcopi, vel Sacerdotis.

Quæres 3. *Quinam ſint ordinarii miniſtri diſpenſandæ Euchariſtiæ?*

Reſp. Sunt ſoli Sacerdotes: nam confectio Euchariſtiæ ordinatur ad ejuſdem diſpenſationem; ergo ſoli poſſunt auctoritative Euchariſtiam diſpenſare, qui poſſunt eam conficere. Hinc Concil. Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 8. ait: *Semper in Eccleſia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent .... qui mos tanquam ex traditione apoſtolica deſcendens, jure ac merito retineri debet.*

Quæres 4. *Quinam ſit extraordinarius miniſter diſpenſandæ Euchariſtiæ?*

Reſp. Solus Diaconus, ut conſtat ex praxi veteris Eccleſiæ, quæ olim hoc officium commiſerat Diaconis, ut declaratur in Concilio Carth. IV. ubi dicitur: *Diaconus, præſente presbytero, Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget.* Et Concilium Aquiſgranenſe, cap. 7. *Sicut in Sacerdote conſecratio, ita in miniſtro diſpenſatio Sacramenti eſt: ille oblata ſanctificat, hic ſanctificata diſpenſat.*

Quæres 5. *Quinam ſit ſubjectum Euchariſtiæ?*

Reſp. Eſt omnis & ſolus homo viator, baptizatus, & mentis compos .... Dicitur 1.

Omnis,

Omnis, ſive ſanus, ſive moribundus, modo nullum vel vomitus, vel alterius indecentiæ adſit periculum . . . . Dicitur 2. *Baptizatus*, quia Baptiſmus eſt janua aliorum Sacramentorum . . . Dicitur 3. *Viator*, quia pro ſolis viatoribus Sacramenta ſunt inſtituta . . . . Dicitur 4. *Rationis compos*, quia ſoli rationis compotes ſunt capaces augumenti gratiæ.

Quæres 6. *Quot ex parte corporis requirantur diſpoſitiones ad recipiendam cum fructu Euchariſtiam?*

Reſp. Requiritur regulariter. 1. *Jejunium naturale*, conſiſtens in eo quod nihil omnino per modum cibi & potus, vel medicinæ, a primo ictu duodecimæ nocturnæ, ab ore in ſtomachum trajicitur; atque *per univerſum orbem mos iſte ſervetur*, ait Div. Auguſt. *Epiſt.* 118. & ideo jejunii obligatio eſt gravis, & ſub mortali obligans.

Excipitur 1. Cum Euchariſtia datur in viaticum. 2. Cum periculum eſt ne hoſtia male tractetur ab hæreticis. 3. Cum Sacerdos, inchoata Miſſa, recordatur ſe non eſſe jejunum, nec poteſt ſine ſcandalo recedere. 4. Cum Sacerdos celebrans poſt conſecrationem impotens evadit ulterius proſequendi, tunc Sacerdos non jejunus, jejunio deficiente, ſacrificium abſolvere tenetur. 5. Cum Sacerdos advertit in calice, quem hauſit, ſolam aquam appoſitam fuiſſe, curare debet vinum infundi, illud conſecrare, & haurire, quia tenetur ſacrificium perficere. 6. Cum poſt ablutionem apprehendit celebrans aliquas particulas, quæ commode aſſervari non poſſunt; nam ſumuntur per modum unius refectionis.

Requiritur 2. Puritas, ſeu immunitas a pollutione etiam inculpabili, *non quidem ex neceſſitate* ait D. Thom. quæſt. 80. art. 7. *ſed ex qua-*

quadam congruentia, præcipue quando cum turpi imaginatione contingit.

Quæres 7. *Quot requirantur diſpoſitiones ex parte animæ?*

Reſp. Requiruntur tres, 1. eſt ſtatus gratiæ, ita *ut nullus* (fidelis) *ſibi conſcius peccati mortalis quamvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat*, ait Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7.

2. Quæ maxime optanda eſt, eſt immunitas ab affectu peccati venialis, quia obicem ponit uni ex effectibus hujus Sacramenti, nempe remiſſioni peccati illius venialis; neque enim remitti poteſt peccatum veniale cum affectu ad illud.

3. Eſt legitima præparatio, & ſingularis reverentia erga Chriſtum in Sacramento præſentem.

§. V. *De uſu Euchariſtiæ.*

Quæres 1. *Utrum Euchariſtia ſit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem?*

Reſpondi negat. Nam cum ſolo Baptiſmo quis poteſt ſalvari, Rom. 8. *Nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Unde Concil. Trid. *ſeſſ.* 21. definit: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, anathema ſit.*

Objicies 1. Hæc verba, Joann. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Et iſta: Luc. 13. *Niſi pœnitentiam habueritis*, &c. Important neceſſitatem medii; ergo & iſta: *Niſi manducaveritis*, &c.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod duo primi textus loquantur de rebus ad primam gratiam neceſſariis: tertius vero loquitur tantum.

tum de re quæ ſupponit primam gratiam, nempe, de nutritione ſpiritualis vitæ per Baptiſmum acceptæ, vel per pœnitentiam reparatæ, quæ vita per varia media nutriri, conſervari, & augeri poteſt: & ideo Euchariſtia non eſt neceſſaria ad ſalutem, niſi neceſſitate præcepti.

Objicies 2. D. Auguſt. multique Patres aſſerunt Euchariſtiæ uſum ipſis etiam infantibus neceſſarium eſſe, neceſſitate medii; ergo, &c.

Reſp. diſt. antec. Eſſe neceſſarium neceſſitate medii, quoad illius effectum, nempe incorporationem cum Chriſto, *conced.* quoad oralem manducationem, *nego*. Seſe exponit D. Auguſt. explanans textum Joann. *Niſi manducaveritis*: ait enim Tract. 26. in Joann. *hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere*. Ita etiam explicat D. Auguſt. S. Fulgentius, *Epiſt.* ad Fernandum: *Arbitror S. Frater*, inquit, *diſputationem noſtram præclari Doctoris Auguſtini ſermone firmatam, nec quidquam aliquatenus eſſe ambigendum, tunc unumquemque fidelium participem Corporis & Sanguinis fieri, quando in baptiſmate membrum Corporis Chriſti efficitur: nec alienari ab illo panis conſortio, etiamſi antequam panem illum comedat, de hoc ſæculo in unitate Corporis Chriſti conſtitutus diſcedat*.

Quæres 2. *Utrum communio ſub utraque ſpecie ſit jure divino præcepta fidelibus non ſacrificantibus?*

Reſp. Minime: *Si quis dixerit*, inquit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 21. can. 1. *ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem SS. Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit*. Definitio Tridentina fundatur 1. In Scriptura, quæ fructum Euchariſtiæ tribuit ſumentibus unam ſpe-

ſpeciem panis, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, Joann. 6. 2. In traditione Eccleſiæ; nam primis Eccleſiæ ſæculis, Euchariſtia in ſola panis ſpecie domum deferebatur, miniſtrabatur infirmis, aſſervabatur, &c. Ratio eſt, quia Chriſtus totus & integer ſub una ſpecie præſens eſt, & conſequenter totus Sacramenti effectus in una ſpecie ſalvatur.

Objicies 1. Chriſtus, *Joann.* 6. ait: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem*, &c. ergo præcepit Communionem ſub utraque ſpecie.

Reſpond. nego conſeq. Nam particula, *&*, eo in loco ſumitur pro disjunctiva, *vel*, ut conſtat ex Apoſt. 1. Cor. 11. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne*, &c. Præterea, cum totus Chriſtus ſit ſub qualibet ſpecie, qui ſumit unam ſpeciem, Corpus & Sanguinem ſumit.

Inſt. Chriſtus uſum calicis omnibus præcepit dicens: *Bibite ex eo omnes*; ergo.

Reſp. diſt. ant. Præcepit omnibus Apoſtolis qui ſacrificaturi erant, *conc.* omnibus fidelibus, *nego*. Unde, *Marci* 14. dicitur: *Biberunt ex eo omnes*, ſcilicet, Apoſtoli.

Objicies 2. Chriſtus facultatem reliquit fidelibus ſumendi Euchariſtiam ſub utraque ſpecie; ergo Eccleſia Romana non potuit, nec debuit, illos hac facultate privare.

Reſp. nego conſeq. Nam Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. *declarat hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva eorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret*. Porro Eccleſia per ſuam legem conſuluit venerationi Sacramenti, auferendo illius effu-

effuſionis periculum, nec ullo effectu ſpirituali fideles privavit, cum totus Chriſtus contineatur ſub una ſpecie.

Quæres 3. *Utrum detur præceptum divinum ſumendi Euchariſtiam?*

Reſp. Datur; Joann. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis . . . . non habebitis vitam in vobis.* Quæ verba exprimunt præceptum divinum omnes adultos obligans, 1. *In morali vitæ periculo*, quia tunc quiſque jure divino, ſibi providere tenetur de omnibus mediis ad pugnandum contra dæmonis tentationes neceſſariis, quale eſt Euchariſtia. 2. *Sæpius in vita*, quia eſt animæ cibus, ac proinde ſicut corpus ſæpe cibo indiget, ita anima Euchariſtia.

Quæres 4. *Utrum extet præceptum Eccleſiaſticum ad ſacram Euchariſtiam accedendi?*

Reſp. Extat, ſancitumque eſt in Concilio Lateranenſi IV. ac refertur cap. *Omnis utriuſque ſexus*, de pœnit. & remiſſ.

Quæres 5. *Quoſnam, quandonam, & quomodo obliget præceptum Eccleſiaſticum ad Euchariſtiam accedendi?*

Reſp. 1. Obligat omnes utriuſque ſexus fideles, *poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint*, cujus judicium Paſtori reliquit Eccleſia.

2. Obligat ſemel in anno, *ad minus in Paſcha.* Hinc 1. qui ante quindenam communicavit in ſua Parochia, tenetur iterum ſub mortali intra quindenam communicare, quia circumſtantia temporis cadit ſub præcepto. 2. Qui intra quindenam non communicavit, tenetur illo anno quamprimum communicare, quia ratio obligationis præciſe non eſt tempus Paſchale, ſed ut communio ultra annum non differatur, qua parte præceptum eſt negativum.

2. Ob-

2. Obligat ad Euchariſtiam *devote* & *reverenter* ſuſcipiendam, quia illud præceptum eſt divinum quoad ſubſtantiam, Deus autem non tantum præcipit actum externum, ſed & internum. Unde Innoc. XI. hanc damnavit prop. *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.*

Quæres 6. *Utrum qui prævidet impedimentum communicandi tempore paſchatis, tenentur illud prævenire?*

Reſp. Tenetur, quia obligatio communicandi cadit in totum annum; ergo debet impleri in decurſu anni, ſi in fine impleri nequeat.

Quæres 7. *Utrum frequens eſſe debeat Euchariſtica communio?*

Reſp. 1. Si ſpectetur in ſe & abſolute, debet eſſe frequentiſſima, quia eſt cibus ſpiritualis animæ, ideo Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 6. *Optaret, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent.*

Reſp. 2. Si ſpectetur relative ad diſpoſitiones ſuſcipientis, debet eſſe rarior vel frequentior, juxta majorem vel minorem ejus diſpoſitionem, ut probat Divus Thomas, *3. part. quæſt. 80. art. 1.*

§. VI. *De effectibus Euchariſtiæ.*

Quæres 1. *Utrum Euchariſtia conferat per ſe remiſſionem peccatorum?*

Reſpond. Non confert: nam ad Euchariſtiam recipiendam requiritur ſtatus gratiæ, 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, &c. Unde Concil. Trid. contra Lutherum & Calvinum definit: *Si quis dixerit vel præcipuum fructum SS. Euchariſtiæ eſſe remiſſionem*

nem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema ſit.

Objicies: Matth. 26. dicitur: *Hic eſt Sanguis meus . . . . qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum;* ergo Euchariſtia confert per ſe remiſſionem peccatorum.

Reſpond. nego conſeq. Chriſtus enim ibi non loquitur de Sanguine bibendo, ſed de Sanguine fundendo in ara crucis, unde in futuro dicit: *Effundetur.*

Quæres 2. *Quot ſint effectus Euchariſtiæ præcipui?*

Reſp. Sunt ſex. *Primus*, eſt ſpiritualis animæ nutritio, quam ſignificat Chriſtus, Joann. 6. *Caro mea vere eſt cibus*, &c. Et quæ conſiſtit tum in augmento gratiæ ſanctificantis, tum in jure ad gratias actuales neceſſarias ad conſervandam charitatem & unionem cum Chriſto.

Secundus, eſt liberatio a peccatis venialibus, & præſervatio a mortalibus, & conſequenter perſeverantia in bono; eſt enim *antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervamur*, ait Concil. Trident. *Seſſ.* 13. *c.* 2.

Tertius, eſt ineffabilis unio cum Chriſto, ex Conc. Florent. *Hujus Sacramenti effectus . . . eſt adunatio hominis ad Chriſtum.*

Quartus, eſt imminutio fomitis peccati: *Diminuit tamen fomitem ex quadam conſequentia*, ait D. Thom. 3. part. quæſt. 79. art. 6. ad 3. *In quantum auget charitatem, quia ſicut Aug. dicit, augmentum charitatis, eſt diminutio cupiditatis.*

Quintus, eſt quod ſit pignus futuræ gloriæ, & ſemen reſurrectionis, Joann. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum . . . reſuſcitabo eum in noviſſimo die.*

Sextus, eſt quod remittat per accidens pecca-

catum mortale, *ſi*, nempe, *percipiatur ab eo qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam & affectum non habet; forte enim primo non fuit ſufficienter contritus, ſed devote & reverenter accedens conſequitur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remiſſionem peccati*, ait D. Thom. *q.* 78. *art.* 3.

Quæres 3. *Quandonam Euchariſtia in ſuſcipiente producat ſuum effectum?*

Reſpond. Tunc producit, cum in ſtomachum projecta eſt, quia tunc verum eſt dicere quod nutriat vitam ſpiritualem animæ.

Quæres 4. *Utrum affectus ad peccatum veniale impediat effectum Euchariſtiæ?*

Reſp. Licet impediat fervorem charitatis, & dulcedinem refectionis actualis, non tamen impedit augmentum gratiæ habitualis, vel charitatis, ut docet S. Thom. 1. *p. q.* 80. *a.* 8.

Quæres 5. *Utrum Euchariſtia, quatenus eſt Sacramentum, aliis quam ſumentibus, prodeſſe poſſit?*

Reſp. 1. Non poteſt prodeſſe *directe & ex opere operato*, quia per modum cibi fuit inſtituta; at cibus non prodeſt niſi ſumenti.

Reſp. 2. Poteſt prodeſſe *indirecte, & ex opere operantis*, ſi nimirum communicans in aliorum gratiam Communionem ſuam offerat.

CAPUT II.

De Euchariſtia prout eſt Sacrificium.

Quæres 1. *Quomodo definiatur Sacrificium proprie dictum?*

Reſp. Definitur, *Oblatio externa rei ſenſibilis, legitime inſtituta, ſoli Deo, a legitimo miniſtro facta, per realem Hoſtiæ immutationem, ad teſtan-*

ſtandum Dei ſupremum dominium in omnes creaturas, & noſtram ſubjectionem.

Dicitur 1. *Oblatio externa rei ſenſibilis*, ut excludatur a ratione Sacrificii proprie dicti oblatio interna, qua quis ſe ſuaque Deo offert.

Dicitur 2. *Legitime inſtituta*, nempe a Deo, qui hanc ſibi poteſtatem in utroque Teſtamento reſervavit.

Dicitur 3. *Soli Deo facta*; quia eſt cultus latriæ, qui ſoli Deo exhiberi poteſt.

Dicitur 4. *A legitimo miniſtro*, id eſt, a perſona ad id ſpecialiter a Deo deputata.

Dicitur 5. *Per realem hoſtiæ immutationem*, quæ fit vel per deſtructionem, quomodo animalia occidebantur; vel per mutationem ſtatus, quomodo caper emiſſarius tanquam exul ejiciebatur in deſertum.

Dicitur 6. *Ad teſtandum*, &c. Ut habeatur finis ſacrificii.

Quæres 2. *Quomodo in lege veteri ſacrificium dividebatur ratione materiæ?*

Reſp. Dividebatur in *victimas*, quæ erant ex animantibus: *immolationes*, quæ erant ex rebus inanimis, ſed ſolidis, v. g. farina, pane, &c. Et *libamina*, quæ erant ex rebus liquidis, v. g. vino, oleo, &c.

Quæres 3. *Quomodo dividebatur ratione formæ?*

Reſp. Dividebatur in *holocauſtum*, in quo res oblata tota cremabatur. *Hoſtiam pro peccato*, cujus pars cremabatur, altera cedebat in uſum Sacerdotum, qui in atrio templi ex ea veſcebantur. Et *hoſtiam pacificam*, cujus una pars cremabatur, altera cedebat in uſum Sacerdotum & offerentium.

Quæres 4. *Quomodo dividitur ratione finis?*

Reſp. Dividitur in *latreuticum*, quod offertur ad Deum latria colendum. *Eucharisticum*, quod offertur ad gratias Deo pro beneficiis ab eo acce-

acceptis referendis. *Impetratorium*, quod offertur ad obtinenda a Deo beneficia. Et *propitiatoriam*, quod offertur pro remiſſione peccatorum.

Nota: Agemus hic 1. De exiſtentia & eſſentia ſacrificii Miſſæ. 2. De ejuſdem efficacia, & valore. 3. De ejus cauſa efficiente, & iis pro quibus applicari poteſt. 4. De ſtipendio celebrantibus conceſſo. 5. De circumſtantiis ad celebrationem requiſitis.

§. I. *De exiſtentia & eſſentia ſacrificii Miſſæ.*

Quæres 1. *Utrum Miſſa ſit verum ac propriè dictum ſacrificium?*

Reſp. affirm. Prout Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *can.* 1. definivit: *Si quis dixerit in Miſſa non offerri Deo verum & proprium ſacrificium, aut quod offerri non ſit aliud quam nobis Chriſtum ad manducandum dari, anathema ſit.* Ratio eſt, quia in Miſſa fit 1. *Oblatio*, nempe Corporis & Sanguinis Chriſti tanquam hoſtiæ. 2. *Illa oblatio eſt externa rei ſenſibilis*; nam Corpus & Sanguis Chriſti ſunt ſenſibilia per ſpecies panis & vini. 3. *Eſt legitime inſtituta*, a Chriſto, nempe, cum Apoſtolis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* 4. *Fit ſoli Deo*, & quidem *a legitimo miniſtro*, nempe a Sacerdotibus, quos inſtituit, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, prout Conc. Trid. *can.* 2. definivit. 5. *Fit per realem hoſtiæ immutationem*, quia Chriſtus victima in Miſſa myſtice immolatur, quatenus vi verborum, tanquam gladio ſpirituali, Sanguis ejus a Corpore ſeparatur, ad recognoſcendum ſupremum Dei dominium.

Objicies: Chriſtus per Sacrificium crucis omnia nobis meruit: *Una enim oblatione conſum-*

mavit in ſempiternum ſanctificatos, ait Apoſt. *Hebr.* 10. Ergo Miſſæ Sacrificium eſt injurioſum cruci Chriſti; ergo non datur.

Reſp. nego conſeq. Quia. 1. Sacrificium Miſſæ idem eſt cum Sacrificio crucis, ſola offerendi ratione diverſa. 2. Quia Sacrificium Miſſæ nihil addit meritis paſſionis Chriſti, ſed ſolum ea nobis applicat, quæ Chriſtus pro nobis in cruce meritus eſt.

Inſt. Euchariſtia eſt Sacramentum; ergo non eſt Sacrificium: hæc enim duo pugnant inter ſe.

Reſp. nego conſeq. Eſt enim utrumque ſub diverſo reſpectu, nempe, eſt Sacramentum, quatenus tendit ad ſanctificationem hominis efficiendam; eſt etiam Sacrificium, quatenus directe & primario tendit ad recognoſcendum ſupremum Dei in omnes creaturas dominium.

Quæres 2. *In quo præciſe Miſſæ ritu conſiſtat tota Sacrificii eſſentia?*

Reſp. Conſiſtit in ſola conſecratione; nam ſola conſecratio eſt actio quam Sacerdos exercet in perſona Chriſti, dicens: *Hoc eſt Corpus meum*; ergo, &c.

Objicies 1. In conſecratione Corpus & Sanguis Chriſti non deſtruuntur; ergo.

Reſp. diſt. antec. Non deſtruuntur cruente, *conc.* myſtice, *nego*. Nam vi verborum Corpus ſeparatur a Sanguine, & ideo Chriſtus ibi eſt ut immolatus.

Inſt. Chriſtus per conſecrationem producitur; ergo non deſtruitur.

Reſpond. Producitur per actionem ſacrificativam, unde una eademque actione producitur & immolatur.

Objicies 2. In die Paraſceves non fit conſecratio, & tamen fit Sacrificium; ergo.

Reſpond. nego 2. *partem ant.* Ritus enim ille non eſt Sacrificium, ſed mera commemoratio

Sacri-

Sacrificii, quod pridie fuit oblatum; unde vocatur Miſſa præſanctificatorum.

Ergo, *eſſentia Sacrificii non conſiſtit in oblatione panis & vini ante conſecrationem*, 1. quia non eſt inſtituta a Chriſto; 2. quia panis & vinum non ſunt hoſtia Sacrificii. *Nec conſiſtit in oblatione Corporis & Sanguinis poſt conſecrationem*; nam 1. non eſt inſtituta a Chriſto; 2. in hac oblatione nulla fit victimæ oblatio. *Nec conſiſtit in fractione, & commixtione ſpecierum*; quia per illas actiones victima nec offertur, nec immutatur. *Nec conſiſtit in communione Sacerdotis*; nam actio ſcrificativa debet eſſe propria Sacerdotis; atqui communio eſt communis Sacerdoti & Laicis; ergo, &c. Equidem communio Sacerdotis requiritur ad perfectionem integralem Sacrificii, ſed non ad eſſentiam.

Quæres 3. *Utrum ad eſſentiam Sacrificii neceſſaria ſit utriuſque ſpeciei conſecratio?*

Reſp. affirmat. Nam in iis quæ ſunt inſtitutionis divinæ, quidquid eſt neceſſarium jure & præcepto divino, ad eſſentiam rei inſtitutæ pertinet; atqui conſecratio utriuſque ſpeciei eſt neceſſaria jure & præcepto divino, juxta illud, *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo, &c.

Objicies: Per conſecrationem unius ſpeciei, Chriſtus ponitur in altari tanquam victima; ergo nihil deeſt ad Sacrificium.

Reſp. nego conſeq. Deeſt enim expreſſa ſignificatio mortis Chriſti, quæ in ſeparatione utriuſque ſpeciei repræſentari debet juxta Chriſti inſtitutionem.

Inſt. Per ſeparationem animæ à corpore ſufficienter repræſentatur Sacrificium crucis; atqui per conſecrationem unius ſpeciei ſeparatur anima a corpore, quia vi verborum eſt corpus exangue; ergo.

Reſp. nego maj. Quia Sacrificium crucis debet repræſentari per cauſam mortis, effuſionem nempe ſanguinis; atqui talem effuſionem proxime & immediate repræſentat utriuſque ſpeciei conſecratio, mors vero nonniſi mediate & conſequenter; ergo, &c.

§. II. *De efficacia & valore Sacrificii Miſſæ.*

Quæres 1. *Quid ſua efficacia comprehendat Miſſæ Sacrificium?*

Reſp. Comprehendit omnia antiquæ legis Sacrificia: nam,

1. *Eſt latreuticum:* offertur enim Deo ad teſtandum ſupremum ejus in omnes creaturas dominium.

2. *Eſt Euchariſticum:* nam offertur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis.

3. *Eſt impetratorium:* nam habet vim impetrandi omnia beneficiorum genera, in hypotheſi quod ex Dei ordinatione conferant ad ſalutem: *Pro infirmis, & terræ, & maris, & univerſi orbis fructibus ſacrificamus*, ait D. Chryſoſtomus, *Homil.* 71. *in Joann.*

4. *Eſt propitiatorium;* quia eſt inſtitutum in remiſſionem peccatorum, Matthæi 26. *Hic eſt Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Hinc Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 22. *can.* 3. definit: *Si quis dixerit, Miſſæ Sacrificium tantum eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti; non autem propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere, anathema ſit.* Porro hos effectus producit ex opere operato, cum idem Conc. Trid. dicat: *Illa munda oblatio*

tio eſt, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt.

Objicies: Si Sacrificium Miſſæ peccata dimittat, inutile erit Sacramentum Pœnitentiæ; falſum conſeq. ergo.

Reſp. diſt. maj. Si peccata dimittat immediate, *conc.* mediate tantum, *nego*. Enim vero Sacramenta remittunt peccata immediate, Sacrificium vero peccata non dimittit, *quoad culpam*, niſi mediate, quatenus, nempe, intuitu hujus Sacrificii Deus peccatori, pro quo oblatum eſt, largitur gratias actuales, quibus movetur ad pœnitentiam, diſponiturque ad Sacramentum Pœnitentiæ, in quo immediate fit peccatorum remiſſio.

Quæres 2. *Utrum valor Sacrificii Miſſæ ſit infinitus?*

Reſpond. 1. Eſt infinitus ex parte rei oblatæ & quoad ſufficientiam; nam idem eſt cum Sacrificio crucis, *ſola offerendi ratione diverſa*, ait Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *can.* 2. Atqui Sacrificium crucis valore & pretio eſt infinitum; ergo, &c.

Reſpond. 2. Eſt finitus & determinatus quoad applicationem; quia, ut magis excitetur pietas fidelium, & frequentior hujus Sacrificii procuretur celebratio, Chriſtus non vult meritum ſuæ paſſionis applicare ſecundum totam latitudinem virtutis ſuæ, ut conſtat 1. Ex praxi Eccleſiæ, quæ plures Miſſas ad eandem rem impetrandam celebrari permittit. 2. Ex damnatione hujus propoſitionis ab Alexandro VII. *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & unum Sacrificium offerre.*

§. III. *De cauſa efficiente Sacrificii Miſſæ & iis pro quibus applicari poteſt.*

Quæres 1. *Quinam ſit principalis offerens in Sacrificio Miſſæ.*

Reſpond. Eſt Chriſtus, qui ideo dicitur, *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech;* quia Sacrificium Corporis & Sanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & vini offert, miniſterio Sacerdotum, uſque ad conſummationem ſæculi.

Quæres 2. *Quinam ſit Sacrificii Miſſæ Miniſter?*

Reſp. Sunt ſoli Sacerdotes rite per Epiſcopum ordinati, quibus ſolis Chriſtus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Quæres 3. *Utrum Sacerdos poteſtatem ſpecialem habeant fructum Miſſæ applicandi?*

Reſp. Tres ſunt fructus Sacrificii portiones, 1. Eſt generalis, quæ toti Eccleſiæ advenit, & principaliter omnibus qui in Canone Miſſæ exprimuntur. Hæc a Chriſto ipſo applicatur. 2. Eſt ſpecialis, quæ ipſi celebranti advenit, etiamſi, accepto ſtipendio pro aliis celebret. 3. Eſt ea quæ ipſis advenit, pro quibus Sacerdos celebrare intendit; de hac poteſt diſponere pro libitu: non vero de fructu ſpeciali, qui ex natura ſua pertinet ad Sacerdotem.

Quæres 4. *Qualis requiratur intentio in Miſſæ applicatione?*

Reſp. Requiritur & ſufficit intentio habitualis, non retractata; nam illa applicatio ſe habet per modum donationis, quæ valida eſt, donec retractetur.

Quæres 5. *Pro quibus non liceat offerre Miſſæ Sacrificium?*

Reſp. Non licet offerre; 1. Pro infidelibus, hære-

hæreticis, & publice excommunicatis; quia Eccleſia eos a ſuis orationibus & ſuffragiis excludit. 2. Pro damnatis, quia, cum *in inferno nulla ſit redemptio*, non ſunt capaces fructus Sacrificii.

Quæres 6. *Pro quibus licitum eſt offerre Miſſæ Sacrificium?*

Reſp. 1. Offerre licitum eſt pro omnibus fidelibus, ſive juſtis, ut eis proſit ad augmentum juſtitiæ: ſive peccatoribus, ut eis proſit ad pœnitentiam, ut conſtat ex Canone Miſſæ, ubi ſic loquitur Sacerdos: *Hæc ſancta Sacrificia illibata quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta Catholica .... & omnibus Orthodoxis atque Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ cultoribus.* Ergo nullum Eccleſiæ membrum excludit.

Reſp. 2. Rite offertur pro animabus Purgatorii, ut definivit Concil. Tridentin. ſeſſ. 22. can. 3. *Si quis dixerit Miſſæ Sacrificium .... neque pro vivis & defunctis offerri debere, anathema ſit.* Quæ definitio fundatur in Scriptura, 2. *Machab.* 12. & traditione Apoſtolica, ut docet D. Chryſoſt. Homil. 69. *Non temere ab Apoſtolis hæc ſancita fuere*, inquit, *ut in tremendis Myſteriis defunctorum agatur commemoratio.*

Quæres 7. *Utrum Miſſæ Sacrificium offeratur Sanctis?*

Reſp. Non offertur Sanctis, ſed Deo in honorem Sanctorum, ut definivit Concil. Trid. ſeſſ. 22. can. 3. *Si quis dixerit impoſturam eſſe Miſſas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum interceſſione apud Deum obtinenda, ſicut Eccleſia intendit, anathema ſit.*

§. IV. *De ſtipendio Celebrantibus conceſſo.*

Quæres 1. *Quo titulo liceat Sacerdoti ſtipendium pro Miſſa accipere?*

Reſp. Poteſt ſtipendium accipere, 1. Pro honeſta ſuſtentatione, 1. Corinth. 9. *Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt: & qui Altari deſerviunt, cum altari participant?* 2. Pro labore Miſſæ extrinſeco, verb. gr. quod tali hora, tali loco, &c. ſit celebranda; ea enim ſunt pretio æſtimabilia. Juſtum autem ſtipendium, illud eſt quod uſu recepto, vel taxa Epiſcopi eſt determinatum.

Quæres 2. *Utrum Sacerdos, qui minora ſtipendia accepit pro pluribus Miſſis, poſſit Miſſas reducere ad numerum proportionatum ſolito ſtipendio?*

Reſp. Non poteſt, ut ſtatuit *Urbanus VIII.* quia ubi ſtipendium, licet minus congruum, acceptavit, obligationem induit Miſſam integram celebrandi.

Quæres. 3. *Utrum liceat Sacerdoti duplicatum percipere pro eadem Miſſa?*

Reſp. Non poteſt, ut declaravit Alex. VII. in damnatione prop. contrariæ.

Quæres. 4. *Utrum Sacerdos, qui pinguius accepit ſtipendium, poſſit alium Sacerdotem hac Miſſa onerare pro minori, licet juſto, ſtipendio?*

Reſp. Non poteſt, quia nullum titulum habet retinendi; ut definierunt *Urbanus VIII.* & *Alexand. VII.*

Quæres. 5. *Utrum beneficiarius, qui ratione beneficii tenentur certis diebus celebrare, poſſit pro eadem Miſſa ſtipendium ab aliis accipere, eiſque fructum Sacrificii applicare?*

Reſp. Non poteſt, quia duplicatum acciperet pro eadem Miſſa.

Quæres 6. *Utrum liceat Sacerdoti ſtipendia accipere pro multis Miſſis, quas prævidet nonniſi multo poſt tempore celebrari poſſe?*

Reſpond. Non licet, niſi adſit conſenſus ſal-

tem præſumptus offerentium; nam Sacrificium offerri ſolet pro iis rebus, quæ urgent. Hinc *Urbanus VIII.* decrevit non licere Sacerdoti Miſſis ſeſe onerare, quibus intra duos menſes non poteſt ſatisfacere.

Quæres 7. *Quid ſi neceſſitas ſit urgens, nec moram patiatur?* v. gr. pro puerpera, agonizante, &c.

Reſp. In tali caſu Sacerdos non poteſt abſque gravi peccato & reſtitutionis obligatione, Miſſæ celebrationem differre; quia non datur ſtipendium, niſi ſub conditione quod Sacrificium, ſtante cauſa, offeratur.

§. V. *De circumſtantiis ad celebrationem requiſitis.*

Quæres 1. *Quo tempore liceat celebrare?*

Reſpond. Quolibet die, exceptis die Paraſceves, & Sabbato ſancto, in quo unica Miſſa ſolemnis in ſingulis Eccleſiis dici poteſt, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ, decretis SS. Pontificum firmata.

Quæres 2. *Qua hora liceat celebrare?*

Reſp. Ab aurora ad meridiem, ut fert conſuetudo Eccleſiæ firmata a Pio V. Conſtit. *Sanctiſſimus....* Excipitur 1. Prima Miſſa Nativitatis Domini quæ celebratur media nocte. 2. Caſus neceſſitatis.. 3. Conſuetudo legitime præſcripta, vel ab Epiſcopo ſaltem tacite approbata.

Quæres 3. *In quo loco debeat celebrari Miſſa?*

Reſp. 1. Jure communi debet celebrari in Eccleſia, vel alio loco ab Epiſcopo conſecrato, vel ſaltem auctoritate Epiſcopi benedicto, ut ſtatuit Concil. Trid. *decreto de obſervat. in Sacrif. Miſſa....* Dixi: *Jure communi*: nam ex privilegio poteſt celebrari in caſtris pro exercitu, in littore maris pro navigantibus, &c.

Reſp. 2. Debet celebrari in altari lapideo, ab Epiſcopo, aut ex conceſſione ſolius Papæ ab alio Sacerdote conſecrato, ut ſtatuitur, *cap.* altaria, *de conſec. diſt.* 1.

Quæres 4. *Quibus ornamentis inſtructum debet eſſe altare, ut in eo rite celebrari poſſit?*

Reſp. 1. Debet eſſe ornatum triplici mappa linea, vel ad minus duplici, quarum prima ſit duplicata, eæque ab Epiſcopo, vel alio habente talem poteſtatem benedictæ... 2. Debet eſſe inſtructum corporali & purificatorio lineis ab Epiſcopo benedictis: item palla linea, ſaltem qua parte calicem tangit; eaque benedicta.... 3. In eo debet eſſe crucifixus exſculptus, niſi expoſitum ſit SS. Sacramentum.... 4. Debent eſſe duo luminaria cerea: tamen in caſu neceſſitatis unum ſufficit, immo in caſu gravioris neceſſitatis, candela ex ſebo adhiberi poteſt.

Quæres 5. *Quænam vaſa requirantur ad celebrationem?*

Reſp. Requiruntur calix & patena ex auro vel argento, vel ſaltem, cogente paupertate, ex ſtanno, eaque ab Epiſcopo, vel alio, ex privilegio Papæ, conſecrata, *capit.* calix, *de conſec. diſt.* 1.

Quær. 6. *Quotuplicis generis ſint rubricæ Miſſalis?*

Reſp. Aliæ ſunt *directoriæ* tantum; *aliæ obligatoriæ*: vel graviter, vel leviter, juxta gravitatem, vel levitatem materiæ & ſignificationis ab Eccleſia intentæ.

Quæres 7. *Quænam rubricæ ſint tantummodo directoriæ?*

Reſp. Sunt ſequentes: 1. Quod Sacerdos celebraturus prius vacet orationi. 2. Quod præmittat preces quæ dicuntur: *Præparatio ad Miſſam.* 3. Quod matutinum & laudes ante celebrationem perſolverit, dum officium a Miſſa diſcrepat.

Quæ-

Quæres 8. *Quænam rubricæ ſint obligatoriæ?*

Reſp. Sunt 1. Quod Sacerdos recitet preces inter ſe veſtiendum recitari ſolitas. 2. Quod induat veſtem talarem. 3. Quod recitet Miſſam officio conformem in diebus duplicibus, in quibus poteſt dici unica Miſſa *de requiem*, corpore præſente. 4. Quod Miſſam celebret ſine intermiſſione, niſi gravis neceſſitas urgeat. 5. Quod nihil detrahat aut addat eis quæ in Miſſali præſcripta ſunt.

DISSERTATIO V.

De Pœnitentia.

Quæres 1. Q*Uot modis accipiatur pœnitentia?*

Reſpond. Duobus modis, nimirum, prout eſt virtus, & prout eſt novæ legis Sacramentum.

Quæres 2. *Quid ſit pœnitentia virtus?*

Reſp. Definitur: *Habitus ſupernaturalis, quo peccator movetur ad odium & deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, juſtitiæque divinæ ſatisfaciendi*: Ex hac definitione, quæ colligitur ex Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. patet Pœnitentiam, *prout eſt virtus*, eſſe omnino idem cum contritione, quam Chriſtus evexit ad rationem Sacramenti.

Quæres 3. *Quid ſit Pœnitentia Sacramentum?*

Reſp. Definitur: *Sacramentum a Chriſto inſtitutum, ad peccata poſt Baptiſmum commiſſa, remittenda, per actus pœnitentis, & abſolutionem Sacerdotis* ..... Dixi: *Peccata poſt Baptiſmum commiſſa*: quia peccata ante Baptiſmum commiſſa, non delentur per Sacramentum Pœni-

tentiæ, cujus non ſunt capaces non baptizati; ſed per actum virtutis Pœnitentiæ, cum receptione Baptiſmi in re, vel in voto.

Quæres 4. *Quomodo differat pœnitentia virtus a Sacramento Pœnitentiæ?*

Reſp. Differt 1. Quod Pœnitentia virtus tota poſita ſit in actibus pœnitentis; Sacramentum vero inſuper requirat abſolutionem Sacerdotis. 2. Quod pœnitentia virtus fuerit quovis tempore neceſſaria homini lapſo ad juſtitiam aſſequendam, ut affirmant PP. Tridentini, *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Sacramentum vero Pœnitentiæ nonniſi a Chriſto fuerit inſtitutum, nec pertineat niſi ad eos, qui, poſt Baptiſma receptum, in peccata lapſi fuerint. 3. Quod Sacramentum Pœnitentiæ ſit totum, virtus vero Pœnitentiæ ſit pars materiæ Sacramenti.

Nota: Agemus hic 1. De exiſtentia Sacramenti Pœnitentiæ. 2. De ejus materia & forma. 3. De contritione. 4. De confeſſione. 5. De ſatisfactione. 6. De miniſtro. 7. Tandem de effectibus Pœnitentiæ.

§. I. *De exiſtentia Sacramenti Pœnitentiæ.*

Quæres 1. *Utrum Chriſtus Eccleſiæ ſuæ veram conceſſerit poteſtatem dimittendi omnia peccata poſt Baptiſmum commiſſa?*

Reſp. Conceſſit, Joann. 20. dicens: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quem locum afferens Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 1. ait: *Quo tam inſigni facto & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis .... fuiſſe communi-*

nica-

nicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit, &c.

Objicies: Sunt quædam peccata ex natura ſua irremiſſibilia, dicitur enim Hebr. 6. *Impoſſibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati . . . . . & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam.* Ergo, &c.

Reſpond. diſt. antec. Impoſſibile eſt renovari per pœnitentiam, quæ præit Baptiſmum, cum non poſſit iterari Baptiſmus, *conc.* per Sacramentum Pœnitentiæ, *ſubdiſt.* eſt impoſſibile moraliter, id eſt, valde difficile, *conc.* phyſice & abſolute, *nego antec.* Nam & ipſe Apoſtolus abſolvit inceſtuoſum Corinthium. Loquitur ergo de Apoſtatis, qui, agnitam veritatem contemnentes, a Chriſto ad Judaiſmum diſcedebant, quibus valde difficilis erat converſio.

Inſt. 1. D. Joann. *Epiſt.* 1. *cap.* 5. ait: *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Ergo eſt quoddam peccatum irremiſſibile.

Reſpond. nego conſeq. Non enim loquitur de quocumque peccato mortali, ſed de apoſtaſia a Chriſto, nec prohibet pro illo orare, ſed non audet hortari, ut pro tali oret cum ea impetrandi fiducia, de qua egit verſu ſuperiori, dicens: *Et hæc eſt fiducia quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos*; cum difficulter impetretur hujus peccati venia.

Inſt. 2. Matth. 12. Blaſphemia in Spiritum ſanctum *non remittetur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Non remittetur tam facile ac alia peccata, *conc.* abſolute, *nego*. Itaque qui peccant in Spiritum ſanctum, cum ex malitia manifeſtæ veritati reſiſtant, impugnentque gra-

tiam Spiritus ſancti, ſine qua peccata remitti nequeunt, difficile moventur ad pœnitentiam: unde peccatum illud non dicitur irremiſſibile defectu poteſtatis in Eccleſia, ſed defectu peccatoris non pœnitentis.

Quæres 2. *Utrum Sacramentum Pœnitentiæ ſit diſtinctum a Baptiſmo, Baptiſmique memoria?*

Reſp. affirmat. Nam Baptiſmus & Pœnitentia habent materiam, formam, ſubjectum, miniſtrum, & effectus omnino diverſos, & diſtinctos. Unde Concilium Trident. *ſeſſ.* 14. *can.* 2. contra Lutheranos definit: *Si quis, Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari, anathema ſit.*

Objicies: D. Joannes, Lucæ 3. prædicavit *Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Nam D. Joannes non loquitur de Sacramento Pœnitentiæ, ſed de ſuo proprio Baptiſmo; cujus cum tota vis eſſet a virtute pœnitentiæ, merito vocatur Baptiſmus Pœnitentiæ.

Quæres 3. *Utrum Sacramentum Pœnitentiæ ſit lapſis neceſſarium?*

Reſpond. Eſt abſolute neceſſarium in re, vel in voto; nam abſque eo non poteſt obtineri remiſſio peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum: *Eſt autem*, ait Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. *hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.* Nam eodem modo quo Chriſtus, Joann. 3. dixit: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Dixit Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.*

Dixi: *In re, vel in voto*, quia homo in tali

ſtatu

ſtatu conſtitutus, in quo non habet copiam Confeſſarii, poteſt per actum contritionis juſtificari & ſalvari.

Quæres 4. *Utrum abſolutio ſacramentalis vere ac proprie dimittat peccata, vel an tantum declaret peccata eſſe dimiſſa?*

Reſp. Vere & proprie peccata dimittit: nam Chriſtus, *Joann.* 20. non dixit quorum declaraveritis dimiſſa peccata, ſed, *quorum remiſeritis peccata*, quæ verba in ſenſu proprio & naturali ſignificant poteſtatem judiciariam remittendi peccata. Hinc Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *can.* 9. contra Novatores definit: *Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti . . . anathema ſit.*

Objicies: Solus Deus poteſt dimittere peccata, Lucæ 5. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Solus Deus poteſt dimittere peccata auctoritate propria & independente, *conc.* per excluſionem cauſæ miniſterialis, *nego*. Chriſtus enim conceſſit hominibus, ad id deputatis, ut ſuo nomine remitterent peccata.

§. II. *De materia & forma Sacramenti Pœnitentiæ.*

Quæres 1. *Quotuplex ſit materia pœnitentiæ?*

Reſp. Duplex, nempe, *remota*, ſeu, *circa quam*, &, *proxima*, ſeu, *ex qua*.

Materia remota, ſunt *omnia* peccata poſt Baptiſmum commiſſa, ſive jam confeſſa fuerint, ſive non, cum hoc tamen diſcrimine, quod peccata venialia & mortalia jam confeſſa ſint materia *libera*, mortalia vero nondum confeſſa ſint materia *neceſſaria*, quia ſine Sacramento in-

re

re, vel ſaltem in voto, remitti nequeunt. Hoc conſtat apud omnes: ſed:

Quæres 2. *Quænam ſit materia proxima, ſeu, ex qua, Sacramenti Pœnitentiæ?*

Reſp. Sunt tres actus pœnitentis, contritio, nimirum, confeſſio, & ſatisfactio. Nam ex Conciliis Florent. & Trid. *ſeſſ.* 14. *can.* 4. definitur actus pœnitentis eſſe *quaſi materiam*, &, *partes* Sacramenti Pœnitentiæ; ergo ſunt materia ex qua conſtat: nec obeſſe poteſt particula, *quaſi*, qua utuntur Concilia, nam, *hi actus quaſi materia a S. Synodo appellantur*, inquit Catechiſmus Roman. *Non quia veræ materiæ rationem non habeant: ſed quia ejus generis materia non ſit, quæ extrinſecus exhibeatur, ut aqua in Baptiſmo, Chriſma in Confirmatione.*

Objicies: Ex Trid. actus pœnitentis ſunt diſpoſitiones ad Sacramentum Pœnitentiæ; ergo.

Reſp. nego conſeq. Nam ſunt diſpoſitiones ſimul & materia Sacramenti. Sunt diſpoſitiones quatenus præciſe ſpectantur prout procedunt a pœnitente ſeipſum ad Sacramentum præparante. Sed quatenus ſpectantur prout a Sacerdote per poteſtatem clavium evehuntur ad Sacramentum conſtituendum, ſunt partes intrinſece componentes Sacramentum.

Objicies 2. Materia Sacramenti debet eſſe ſenſibilis; atqui contritio non eſt ſenſibilis; ergo.

Reſp. diſt. min. Contritio non eſt ſenſibilis, per ſe, *conc.* per aliud, *nego*. Eſt enim ſenſibilis, vel per Confeſſionem, vel per actum ejus exterius prolatum.

Inſtab. 1. Sacramentum moribundi, confiteri non valentis, eſt validum abſque Confeſſione; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Eſt validum abſque Confeſſione actuali & explicita, *conc.* virtuali & implicita, *nego min.* Illa autem Confeſſio virtualis includitur

ditur in petitione Confeſſarii, vel etiam, ut multi volunt, in vita chriſtiane peracta.

Inſt. 2. Valet Sacramentum ſine ſatisfactione, ſi nempe pœnitens ſtatim poſt acceptam debite abſolutionem moriatur, ſalvabitur, non peracta ſatisfactione; ergo non eſt pars eſſentialis Sacramenti.

Reſp. diſt. ant. Sine ſatisfactione actuali, *conc.* ſine ſatisfactione in voto, *nego*. Itaque ſatisfactio in voto, quæ neceſſario, ſaltem implicite, includitur in contritione, eſt pars eſſentialis Sacramenti; ſed ſatisfactio actualis eſt pars tantum integralis, ſine qua eſſentialiter ponitur Sacramentum.

Quæres 3. *Quænam ſit forma Sacramenti Pœnitentiæ?*

Reſp. Ex Concil. Florent. *Sunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit:* Ego te abſolvo in nomine Patris, &c.

Ergo, nec ſcriptis poteſt dari abſolutio, cum forma conſtet eſſentialiter verbis humana voce prolatis; nec poteſt dari abſenti, quia pronomen, *te*, ſupponit perſonam præſentem loquenti. Unde Clemens VIII. hanc propoſit. *Licet per litteras, ſeu internuntium, Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere*; damnavit, *ut falſam, temerariam, & ſcandaloſam*, ac prohibuit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ea in praxi uti.

Quæres 4. *Utrum forma abſolutionis debeat eſſe deprecativa, aut indicativa?*

Reſp. Debet eſſe indicativa, ut probat Div. Thom. opuſc. 22. cap. 1. *Sed contra eſt*, inquit, *quod ſicut Dominus dixit diſcipulis*, euntes docete omnes gentes, baptizantes eos: *Ita dixit Petro*, quodcumque ſolveritis ſuper terram; *ſed Sacerdos, auctoritate illorum verborum*

Chri-

Chriſti fretus, *dicit*: ego te baptizo, *ergo eadem auctoritate dicere debet in hoc Sacramento*, ego te abſolvo; ergo forma ex inſtitutione Chriſti eſt indicativa.

Objicies 1. Chriſtus non determinavit an forma abſolutionis debeat eſſe indicativa vel deprecativa; ergo alterutram poteſt eligere Eccleſia.

Reſp. nego ant. Nam inſtituit ut Sacerdos verbis exprimeret ſe peccata remittere, non vero præciſe peccata a Deo remitti.

Prob. antec. Eccleſia Latina adhibuit formam deprecativam uſque ad ſæculum XII. ergo, &c. .... *Reſp. nego ant.*

Prob. ant. 1. Quia in antiquis Ritualibus manuſcriptis nulla forma indicativa reperitur, ſed ſolum orationes, quibus Deus exorabatur, ut indulgeret pœnitentibus. 2. Quia SS. Patres, qui ante ſæculum XII. floruere, affirmant pœnitentes abſolvi per orationes Sacerdotum; ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Nam, 1. In prioribus Eccleſiæ ſæculis formæ Sacramentorum non ſcripto, ſed viva voce tradebantur, ne Paganis aut Judæis facile innoteſcerent, & ab eis irriderentur. 2. Ideo Patres dicunt peccatores abſolvi per orationes Sacerdotum, tum quia per vocem, *oratio*, totum ritum Pœnitentiæ comprehendunt, in quo variæ orationes formæ ſacramentali uniuntur; tum ut ſignificarent miniſtros eſſe tantum cauſam inſtrumentalem, Deum vero ſolum eſſe cauſam principalem gratiæ & remiſſionem peccatorum.

Objicies 2. In Euchologiis Græcorum veteribus & recentioribus, non alia reperitur forma quam deprecativa; ergo, &c.

Reſp. nego ant. Nam, 1. Vetera Euchologia fuerunt condita tempore quo formæ Sacramentorum ſolum viva voce ſolis miniſtris tradeban-

bantur. 2. In recentioribus Euchologiis reperitur hæc forma: *Habeo te venia donatum*, quam refert Arcudius Græcus, *lib. 4. de pœnit. c. 3.* quæ eadem eſt ac iſta: *Abſolvo te*.

Inſtab. Clemens VIII. in inſtructione ſuper ritibus Græcorum, ait: *in caſu neceſſitatis Presbyteri Græci Catholici poſſunt Latinos abſolvere. Utantur forma abſolutionis in generali Concilio Florent. præſcripta, & poſtea, ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujus abſolutionis dicere tantum conſueverunt.* Ergo 1. Græci formam tantum deprecativam uſurpabant. 2. Græci valide abſolvuntur a Græcis per ſolam formam deprecativam.

Reſp. diſt. 1. conſeq. Græci aliqui ex ignorantia formam tantum deprecativam adhibebant, *conc.* omnes, *nego*. Ita teſtatur Arcudius.

Reſp. nego 2. conſeq. Quia Papa abſolute loquitur, dicens, *utatur forma*, non vero dicit, cum abſolvunt Latinos.

Quæres 5. *Quænam verba formæ abſolutionis ſint neceſſaria neceſſitate Sacramenti?*

Reſp. Sola iſta, *Abſolvo te*; nam ſufficienter exprimunt miniſtrum, ſubjectum, & effectum primarium Sacramenti, nempe, reconciliationem.

§. III. *De Contritione.*

Quæres. 1. *Quid ſit contritio?*

Reſp. Eſt ipſamet pœnitentia virtus, quæ definitur a Concilio Tridentino, ſeſſ. 14. cap. 14. *Animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Huic definitioni addi debent: *Et voto confitendi ac ſatisfaciendi*, ut habeatur definitio contritionis prout legis evangelicæ eſt propria.

Tria ergo in vera contritione neceſſario reperiri

periri debent, nempe, 1. *Animi dolor*, id eſt, triſtitia voluntatis. 2. *Deteſtatio de peccato*, id eſt, odium & diſplicentia de peccato. 3. *Propoſitum non peccandi de cætero*; quod propoſitum, juxta probabiliorem ſententiam, debet eſſe formale & explicitum, nam implicitum includitur in dolore ac deteſtatione, attamen Conc. Trid. ultra dolorem ac deteſtationem, requirit, *propoſitum*; ergo, &c. Alias iſta verba; *Cum propoſito non peccandi de cætero*, eſſent ſuperflua.

Quæres 2. *Qualis debeat eſſe contritio, ut ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ?*

Reſpond. 1. *Debet eſſe vera & realis*, quia eſt pars Sacramenti veri & realis. Hinc qui cum contritione ficta accederet ad Sacramentum, non perciperet Sacramentum, etiamſi ſuam contritionem exiſtimaret veram.

2. *Debet eſſe formalis & expreſſa*, quia pars Sacramenti debet adeſſe formaliter & in ſe.

3. *Debet eſſe ſupernaturalis*; id eſt, debet elici per auxilium gratiæ, & ex motivo per fidem propoſito; nemo enim poteſt ſolis naturæ viribus ſe ad juſtificationem diſponere, prout definivit Conc. Trid. *ſeſſ. 6. can. 3.* Hinc Innocentius XI. & poſt eum Clerus Gallican. ann. 1700. hanc prop. damnarunt: *Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.*

4. *Debet eſſe univerſalis*: ita ut ad omnia peccata mortalia generatim ſe extendat, & nullum prorſus excludat; quia unum mortale non poteſt remitti ſine alio.

5. *Debet eſſe ſumma*, non quidem *intenſive*, cum intenſio graduum non ſit in poteſtate hominis, & Scripturæ teſtimonia recte exponi poſſint *de totalitate integritatis & perfectionis, non vero de totalitate gradualis intenſionis*, ait Canus, *de pœnit. p. 3.* ſed debet eſſe ſumma,

appre-

appretiative, ita ut peccator deteſtetur peccatum ſuper omnia alia mala, juxta illud Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, ſcilicet, totalitate appretiationis.

Quæres 3. *Utrum quoties datur nova abſolutio, toties requiratur nova contritio?*

Reſp. In praxi requiritur, 1. Quia oppoſita ſententia eſt improbabilis; 2. Quia fit novum Sacramentum; ergo requiritur nova materia.

Quæres 4. *Utrum contritio ſit neceſſaria jure divino?*

Reſp. affirm. Illud præceptum traditur, Luc. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis*. Præterea, quidquid eſt neceſſarium neceſſitate medii, eſt neceſſarium neceſſitate præcepti divini.

Quæres 5. *Quandonam obliget* per ſe *præceptum contritionis divinum?*

Reſp. Obligat, 1. In probabili vitæ periculo, quia non eſt impio alia via, per quam homo ſuæ ſaluti conſulere poſſit. 2. Obligat aliquoties in vita, hinc Eccleſia præcepit Confeſſionem annuam, an vero ſæpius facienda ſit in anno: judicabit Confeſſarius prudens & pius.

Quæres 6. *Quandonam obliget per accidens, præceptum contritionis divinum?*

Reſpond. Obligat impium, cum urget præceptum adminiſtrandi aut recipiendi aliquod Sacramentum. Sed.

Quæres 7. *Utrum obliget ſtatim a peccato commiſſo?*

Reſpond. negat. Nam, 1. Præceptum reſurgendi a peccato, eſt affirmativum; ergo non obligat pro omni tempore. 2. Quia homo toties peccaret, & quidem ſpecialiter, quoties adverteret ad hanc obligationem, & eam non impleret, atqui hoc eſt contra ſenſum, tum con-

confitentium, qui hanc circumſtantiam declarare non conſueverunt; tum Confeſſariorum, qui de hac circumſtantia ſuos pœnitentes non interrogant.

Objicies 1. Eccl. 5. dicitur: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Ergo, &c.

Reſpond. nego conſeq. Non enim eſt præceptum, ſed conſilium ab omnibus Confeſſariis ſuadendum.

Objicies 2. Graviter peccat, qui alienum, cum poteſt, non reſtituit; ergo & qui non compenſat injuriam Deo illatam, cum primum fieri commode poteſt.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod præceptum reſtitutionis ſit affirmativum ſimul & negativum, *quo prohibemur rem alterius detinere*, ait D. Thom. *quæſt.* 62. *art.* 8. *ad* 1. præceptum vero reſurgendi a peccato eſt tantum affirmativum.

Objicies 3. Lapſus in morbum tenetur ſtatim recurrere ad Medicum; ergo & lapſus in peccatum.

Reſp. diſt. antec. Tenetur, quando medicina differri non poteſt ſine probabili periculo, *conc.* quando differri poteſt, *nego*. Similiter dicendum de contritione & confeſſione, quæ in periculo mortis, amentiæ, impœnitentiæ finalis, oblivionis gravis peccati, vel affectus retinendi ad peccatum, &c. non debet differri.

Quæres 8. *Quotuplex ſit contritio?*

Reſp. Duplex, nempe, *perfecta*, quæ ex motivo charitatis concipitur, *hominemque Deo reconciliat, priuſquam Sacramentum Pœnitentiæ actu ſuſcipiatur*, non tamen, *ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur*, ait Conc. Trid. *Seſſ.* 14. *c.* 4. Ex quo patet ſufficere, ut illud votum ſit implicitum & virtuale. Et *imperfecta*, quæ

quæ *attritio* dicitur, *quoniam*, inquiunt Patres Tridentini, *vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur*. Hæc non juſtificat ſine Sacramento.

Quæres 9. *In quo differant contritio perfecta & imperfecta?*

Reſp. Differunt in duobus; 1. *In motivo*; nam contritio perfecta concipitur ex perfecto Dei amore charitatis; attritio vero vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu. 2. *In effectu*; contritio enim perfecta cum ſolo Sacramenti voto juſtificat; non vero attritio, ut docet Conc. Trid.

Quæres 10. *Utrum contritio concepta ex amore charitatis Dei ſuper omnia, juſtificet, non tantum in gradu intenſo, ſed etiam in gradu remiſſo?*

Reſpond. Juſtificat: nam 1. Scriptura & SS. Patres actui charitatis abſolute & ſimpliciter ſumpto, ſine ulla mentione gradus & intenſionis promittunt juſtificationem, 1. Pet. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Chryſoſt. hom. 7. in 2. ad Tit. *Ubi charitas eſt, omnia ſublata ſunt mala*. Aug. Serm. 35. de Proverb. c. 12. *Deus clamat nobis, amate me, & habebitis me, quia non poteſtis amare me, niſi habueritis me*. 2. Ubi eſt eſſentia alicujus formæ, ibi eſt effectus ejus formalis; atqui ubi eſt charitas in infimo gradu, ibi eſt eſſentia charitatis; ergo ubi eſt charitas in infimo gradu, ibi eſt juſtificatio, quæ eſt ejus formalis effectus.

Ergo merito damnatæ ſunt hæ Baji propoſitiones 31. *Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum*. Propoſ. 33. *Catechumenus juſte, recte, & ſancte vivit*,

vivit, & mandata Dei obſervat, & legem implet per charitatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demum percipitur.

Objicies 1. Scriptura, *Joel.* 2. ait: *Convertimini ad me in toto corde veſtro*; ergo requirit intenſionem graduum in contritione, ut juſtificet impium.

Reſp. nego conſeq. Hæ enim voces, *in toto corde*, ſignificant totalitatem appretiationis, non intenſionis. Præterea Scriptura hortatur ad id quod optimum, non quod abſolute neceſſarium eſt.

Inſt. 1. Chriſtus de Magdalena, *Luc.* 7. ait: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo.

Reſp. nego conſeq. Nam ibi non eſt ſolum ſermo de remiſſione quoad culpam, ſed de remiſſione etiam quoad pœnam, quæ major vel minor eſt pro majori vel minori intenſione graduum dilectionis; unde Chriſtus addit: *Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Porro unum mortale non poteſt quoad culpam dimitti ſine alio.

Inſt. 2. Ananias, *Act.* 22. Paulo perfecte contrito dixit: *Baptizare, & ablue peccata tua.* Ergo.

Reſp. nego conſeq. Ideo hoc Paulo dictum eſt, quia perfecta contritio non juſtificat, niſi cum obligatione recipiendi Sacramenti.

Objicies 2. D. Auguſt. *lib.* 1. *de Symbolo ad Catec.* ait: *Deus non dimittit peccata, niſi baptizatis.* Ergo.

Reſp. diſt. conſeq. Non dimittitur ordinarie, *conc.* extraordinarie, *nego.* Nam D. Aug. *lib.* 4. *de Bapt. cap.* 24. de Cornelio, ait: *In Cornelio præceſſit ſanctificatio ſpiritalis in dono Spiritus ſancti, & acceſſit Sacramentum regenerationis in lavacro Baptiſmi.*

Obji-

Objicies 3. Scintilla ignis, etſi verus ſit eſſentialiter ignis, impar tamen eſt comburendo ligno, vel expellendo frigori; ergo a pari licet charitas in gradu remiſſo ſit eſſentialiter perfecta, non poteſt tamen expellere peccatum ſine certa gradus intenſione.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas eſt, quod actio phyſica fiat ſucceſſive, applicando activa paſſivis, quod certam temporis menſuram, certumque intenſionis gradum exigit; econtra actio ſpiritualis fit in inſtanti, & ideo nec menſuram temporis, nec certum actus gradum requrit.

Quæres 11. *Utrum contritio ex amore charitatis in gradu remiſſo concepta, juſtificet extra Sacramentum in caſu neceſſitatis tantum?*

Reſp. Juſtificat ſemper: neque enim habet virtutem juſtificandi propter caſum neceſſitatis, ſed ex propria ſua perfectione; ergo, cum, juxta adverſarios, juſtificet in caſu neceſſitatis, juſtificat ordinarie & in omni caſu.

Quæres 12. *Ex quotuplici timore concipi poſſit attritio?*

Reſp. Poteſt concipi, 1. *Ex timore ſerviliter ſervili*, qui definitur, *fuga peccati ut pœnæ cauſativi, cum affectu illius committendi, ſi hæc abeſſet.* Hic timor eſt malus & vitioſus propter affectum peccati, qui intrinſece malus eſt ſicut & peccatum. 2. *Ex timore ſimpliciter ſervili*, qui definitur, *fuga peccati ut pœnæ per fidem apprehenſæ cauſativi; ſine affectu illius committendi, ſi hæc abeſſet.* Hic timor eſt vere poſſibilis; *Servilitas* enim, ait D. Thomas 2. 2. qu. 19. art. 4. *non pertinet ad ſpeciem timoris ſervilis ſicut nec informitas ad ſpeciem fidei informis.*

Quæres 13. *Utrum attritio concepta ex timore ſimpliciter ſervili ſit bona & laudabilis?*

Reſp. Eſt bona, ut Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *can.* 5. definivit contra Lutherum, docentem eam eſ-

ſe malam, hominemque reddere magis hypocritam & peccatorem. Ratio eſt, quia Scriptura & Patres nos hortantur ad illum timorem: *Timete eum*, inquit Chriſtus, Luc. 12. *qui, poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam*. Et D. Aug. in Pſ. 127. *Bonus eſt iſte timor & utilis, quo homo timet ne mittatur in gehennam.*

Quæres 14. *Utrum attritio concepta ex timore ſimpliciter ſervili, ſit ſupernaturalis, voluntatemque peccandi excludat?*

Reſp. affirm. Nam 1. Dicitur, Proverb. 8. *Timor Domini odit malum*; & Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum*. 2. Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 4. de attritione loquens, dicit, eam *donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat*; ergo, &c. Merito ergo Alex. VIII. has prop. damnavit: 14. *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.* 15. *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus & ſupernaturalis.*

Objicies: D. Aug. *Epiſt.* 145. ait: *Inaniter ille putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat . . . . inimicus juſtitiæ eſt, qui timore pœnæ non peccat . . . . nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere.* Ergo timor ſervilis non tollit voluntatem peccandi.

Reſp. diſt. conſeq. Timor ſerviliter ſervilis, *conc.* ſimpliciter ſervilis, *nego*. Sese explicat D. Doctor, *Serm.* 161. ubi reprehendens eum, qui, pœnæ timore non peccans, peccaret, ſi eum non videret Deus, ait: *Ergo pœnam times, ſerviliter times.*

Quæres 15. *Utrum, in attritione ex metu gehennæ concepta, requiratur aliquis amor, ut ſit diſpoſitio ſufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè & utiliter percipiendum?*

Reſp.

Reſp. Requiritur. Nam Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. agens de diſpoſitionibus ad juſtificationem in Baptiſmo conſequendam requiſitis, perinde requirit amorem *initialem* & imperfectum, ac actus fidei & ſpei: *Illumque*, inquit, *tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, atqui actus fidei & ſpei neceſſario prærequirit; ergo, &c. Hinc Clerus Gallican. *ann.* 1700. Conc. Trid. interpretans, ait: *De dilectione Dei, ſicut ad Sacramentum Baptiſmi in adultis; ita ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ eſt laborioſus Baptiſmus, requiſita, ne neceſſariam doctrinam omittamus; hæc duo in primis ex S. Synodo Trident. monenda & docenda eſſe duximus:* Primum, *ne quis putet in utroque Sacramento requiri ut præviam contritionem, eam quæ ſit charitate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, antequam actu ſuſcipiatur, hominem Deo reconciliet.* Alterum, *ne quis putet in utroque Sacramento ſecurum ſe eſſe, ſi præter fidei & ſpei actus, non incipiat diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem. Neque vero ſatis adimpleri poteſt utrique Sacramento neceſſarium vitæ novæ inchoandæ, ac ſervandi mandata divina propoſitum, ſi pœnitens primi & maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec ſit ſaltem animo ita præparato, ut ad illum exequendum, divina opitulante gratia, ſeſe excitet ac provocet.*

Objicies: Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 4. tractans ex profeſſo de attritione & ejus motivis, nullam facit mentionem amoris Dei; ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Nam licet Concilium nullam fecerit mentionem amoris Dei, nihilominus recte infertur, diſcurſu theologico, aliquem Dei amorem neceſſarium eſſe, 1. Ex eis quæ docet circa naturam contritionis tum perfectæ, tum imperfectæ. 2. Ex eo quod *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. requirat, ut ii qui ſe ad juſtitiam diſponunt,

Deum diligere incipiant tanquam omnis juſtitiæ fontem.

Inſt. Solus timor gehennæ, abſque ullo Dei amore, voluntatem peccandi excludere poteſt; ergo, &c.

Reſp. nego ant. Impoſſibile enim eſt timorem gehennæ excludere voluntatem peccandi, quin includat amorem boni quo peccator privari metuit, bonum autem illud eſt Deus poſſidendus.

Quæres 16. *Quotuplex diſtinguatur amor Dei?*

Reſp. Duplex, nempe, *amor charitatis*, quo Deus ſuper omnia diligitur propter ſe. Et *amor ſpei*, quo Deus ſuper omnia diligitur, quatenus nobis bonus eſt, noſtra beatitudo, & finis ultimus.

Porro in amore formali ſpei reperitur virtualis amor charitatis: nam attritio ex amore ſpei concepta, importat firmum melioris vitæ, & mandatorum Dei obſervationis propoſitum, inter quæ *dilectio* primum locum tenet; ſed qui proponit Deum diligere, jam virtualiter diligit, cum ſit proxime diſpoſitus ad illum propter ſe diligendum, &c. ex Divo Thoma, diſpoſitio proxima ad aliquid, ſit initium ſeu inchoatio illius; ergo, &c.

Quæres 17. *Quinam ex illo duplici amore ſufficiat in attritione, ad juſtificationem in Sacramento obtinendam?*

Reſpond. Sufficit amor ſpei. Nam 1. Amor amicitiæ in quocumque gradu intentionis juſtificat ante actualem Sacramenti receptionem; ergo &c. D. Bonaventura, *in 4. diſt. 4. dub. 1.* ait: *Non oportet igitur quod actus pœnitentiæ formatus, qui dicitur contritio, præcedat, ſed ſufficit quod actus ſit informis, utpote attritio.* Et D. Thom. in 4. diſt. 6. artic. 3. ad 5. *Ad hoc ut homo ſe præparet ad gratiam in Baptiſ-*

mo

mo recipiendam praexigitur fides, ſed non charitas, quia ſufficit attritio præcedens, etſi non ſit contritio. 2. Concil. Trident. de attritione ex metu gehennæ loquens, ait: *Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit;* ergo eſt diſpoſitio ſufficiens, non tantum remota, ut volunt adverſarii, ſed proxima, nam 1. Conc. loquitur de diſpoſitione in ipſomet Sacramento, non extra Sacramentum. 2. Loquitur de diſpoſitione quæ cum ſolo Sacramento gratiam infallibiliter impetrat; ergo, &c.

Objicies 1. Patres Tridentini verbum, *diſponit*, ſubſtituerunt verbo, *ſufficit*, quod primum ab iis fuerat uſurpatum; ergo non eſt diſpoſitio ſufficiens.

Reſp. nego conſeq. Ideo enim tantum verbum *ſufficere* fuit deletum, ne daretur occaſio exiſtimandi nullum amorem Dei imperfectum requiri in attritione.

Objicies 2. Ex noſtra ſententia ſequitur aliquem poſſe dari caſum in quo quis ſalvaretur ſine actu charitatis Dei: v. g. poteſt fieri, ut qui per totam vitam imple vixit, nec unquam actum charitatis elicuit, actum attritionis eliciat, abſolvatur, & ſtatim moriatur) abſurdum conſeq. ergo.

Reſp. nego conſeq. maj. Nam attritio importat firmum propoſitum obſervationis mandatorum Dei pro tempore quo urgent, & cum, in caſu propoſito, urgeat præceptum charitatis, qui atteritur, tenetur actum charitatis elicere, quem ſi omittat, fit reus peccati omiſſionis.

§. IV. *De Confeſſione.*

Quæres 1. *Quid ſit confeſſio?*

Reſp. Definitur: *Sacramentalis accuſatio peccatorum ſuorum poſt Baptiſmum commiſſorum, facta Sacerdoti, ad eorum veniam obtinendam, virtute clavium.*

Quæres 2. *Utrum confeſſio ſit neceſſaria neceſſitate præcepti divini?*

Reſp. Eſt iis qui poſt Baptiſmum in peccatum mortale lapſi ſunt: nam Chriſtus dedit ſacerdotibus judiciariam poteſtatem dimittendi & retinendi peccata; atqui hæc poteſtas non poteſt rite exerceri niſi cognita prius cauſa per confeſſionem; ergo, &c. Hinc Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *can.* 6. definit: *Si quis negaverit confeſſionem ſacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino ...... anathema ſit.*

Objicies: Nectarius Patriarcha Conſtantin. abrogavit confeſſionem; ergo.

Reſp. diſt. ant. Abrogavit confeſſionem ſecretam, *nego*. Publicam, *ſubdiſt.* pro peccatis occultis, *conc.* pro publicis, *nego*, hoc eſt, Nectarius abrogavit uſum quædam peccata occulta publice confitendi, depoſuitque pœnitentiarium, ac permiſit ut unuſquiſque pro arbitrio & animi ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem accederet poſt ſecretam confeſſionem factam apud, quem mallet, Sacerdotem. Ita Socrates & Sozomenus.

Inſt. D. Cryſoſt. Nectarii ſucceſſor, *hom.* 57. *de pœnit.* ait: *Deo ſoli dic peccatum tuum, & dimittitur tibi peccatum*; ergo rejicit confeſſionem auricularem & ſecretam factam Sacerdoti.

Reſp. nego conſeq. Nam confeſſio, quæ fit Sacerdoti, fit ſoli Deo, cujus vices gerit Sacerdos.

Quæ-

Quæres 3. *Utrum fideles teneantur præcepto eccleſiaſtico confiteri?*

Reſp. Tenentur omnia ſua peccata proprio Sacerdoti confiteri fideliter, ſaltem ſemel in anno, ut præſcribitur can. *Omnis utriuſque ſexus*.

Quæres 4. *Quoſnam, & ſub qua pœna, obliget præceptum annuæ confeſſionis?*

Reſp. Obligat omnes utriuſque ſexus fideles, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, & quidem ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ, ferenda ..... Porro huic præcepto non ſatisfit per confeſſionem nullam, unde Alexand. VII. damnavit hanc propoſit. *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

Quæres 5. *Utrum qui toto anno confeſſionem omiſit, teneatur adhuc præcepto eccleſiaſtico ſatisfacere?*

Reſp. affirm. Quia terminus ab Eccleſia non fuit appoſitus ad finiendam, ſed ad non differendam obligationem, ut patet ex his canonis verbis; *Saltem ſemel in anno.*

Quæres 6. *Quot ſint conditiones ad legitimam confeſſionem requiſitæ?*

Reſp. Sexdecim vulgo aſſignantur his verſibus comprehenſæ:

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis:
Necnon nuda, frequens, diſcreta, libens, verecunda.
Integra, ſecreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Harum conditionum duæ ſunt, (nimirum integritas & ſecretum confeſſionis) quæ ple-

niorem a nobis exigunt expoſitionem: quare:

Quæres 7. *Quotuplex diſtinguatur integritas confeſſionis?*

Reſp. Duplex, nempe, *materialis*, quæ eſt accuſatio omnium peccatorum mortalium, nullo dempto: hæc non eſt ſemper neceſſaria, cum plerumque ſit impoſſibilis. Et *formalis*, quæ eſt accuſatio peccatorum quæ pœnitens poteſt & debet hic & nunc confiteri. Hæc neceſſario requiritur.

Quæres 8. *Quid requiratur ad integritatem confeſſionis formalem?*

Reſpond. Requiritur 1. Ut pœnitens confiteatur omnia & ſingula peccata mortalia, eorum ſpecies, numerum, & circumſtantias peccati ſpeciem mutantes, quæ poſt diligens examen occurrunt; ita definiit Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *can.* 7.

Requiritur 2. Ut declaret circumſtantias peccatum in eadem ſpecie notabiliter aggravantes, quia rationes quas Concil. Trident. affert ut probet obligationem confitendi circumſtantias ſpeciem mutantes, militant pro obligatione confitendi circumſtantias aggravantes, nempe, *quod ſine illis peccata ipſa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innoteſcant: & fieri nequeat ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere.*

Requiritur 3. Ut confiteatur peccata dubia ut dubia, quia, ut ait D. Thom. in 4. diſt. 21. artic. 3. ad 3. *Periculo ſe committit, qui de hoc quod dubitat eſſe mortale, negligit confiteri*; ergo peccat mortaliter diſcrimini ſe committens.

Quæres 9. *Utrum perſona complicis debeat declarari in confeſſione?*

Reſpond. Non debet, cum pœnitens ſine de-

cla-

claratione complicis poteſt peccati ſpeciem, & ejus circumſtantias neceſſario aperiendas declarare, quia non licet ſine legitima cauſa infamare proximum. Debet econtra, ſi id non poſſit, modo urgeat præceptum confeſſionis, & pœnitens ſine gravi incommodo non poſſit adire alterum Confeſſarium, cui complex ſit ignotus. Ratio eſt, quia complex criminis amiſit jus ad ſuam apud Confeſſarium famam.

Quæres 10. *Utrum infirmus, qui ſubita vi morbi obmuteſcit, poſſit abſolvi abſque confeſſione?*

Reſpond. Si aliqua dederit doloris ſigna coram uno ſaltem adſtante ea de re teſtimonium ferente, poteſt abſolvi, quia in caſu propoſito reperitur confeſſio virtualis & confuſa; ita definiit Conc. Carthaginenſe IV. quod ſi nulla ſigna deſiderii confeſſionis dederit, vel chriſtiane vixit, vel non: *Si non vixit chriſtiane*, non eſt abſolvendus, quia ejus voluntas, obfirmata in malo, non cenſetur mutata. *Si chriſtiane vixit*, juxta multos non poteſt abſolvi defectu materiæ ſenſibilis, juxta alios poteſt abſolvi ſub hac conditione, *ſi es capax*: quia in vita chriſtiana, quam duxit abſolutionis deſiderium, ſaltem in articulo mortis, includitur. Ita Rituale Tullenſe, *pag.* 138.

Quæres 11. *Quot ſint cauſæ a materiali confeſſionis integritate excuſantes?*

Reſpond. Sunt quatuor, 1. Eſt naturalis oblivio inculpabilis. 2. Ignorantia invincibilis. 3. Moralis impotentia. 4. Eſt grave damnum ſive temporale, ſive ſpirituale, vel ſibi, vel Confeſſario, vel alteri, ex alicujus peccati declaratione imminens probabiliter; quia præceptum poſitivum non obligat cum tanto incommodo.

Quæres 12. *An, & quo jure Confeſſarius teneatur ad ſigillum?*

Reſpond. Tenetur jure naturali, divino, & eccleſiaſtico. *Caveat omnino Sacerdos*, (inquit canon, *omnis utriuſque ſexus*), *ne verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem*. Porro hæc obligatio tanta eſt, ut nunquam, nec ullo prorſus caſu, ſigillum in minimo infringere liceat. Immo non ſolum Sacerdos, ſed etiam omnes & ſinguli, qui ex confeſſione ſacramentali, immediate vel mediate, licite vel illicite, verbis vel ſignis, aliquam ſigilli materiam noverunt, tenentur ad ſecretum: nam res ad quoſcumque perveniat cum ſuo onere tranſit.

Quæres 13. *Quænam cadunt ſub ſigillo?*

Reſp. Omnia omnino, etiam minima, quæ fuerunt ſacramentaliter depoſita, & nata ſunt reddere confeſſionem vel leviſſime odioſam; quia quidquid fuit ſacramentaliter depoſitum, ab ipſo Sacramento manet ſigillatum.

Quæres 14. *Utrum Confeſſarius extra confeſſionem poſſit loqui cum ſuo pœnitente de auditis in ejus confeſſione?*

Reſpond. Non poteſt, niſi ex conſenſu pœnitentis formali, expreſſo, & omnimode libero: quia hæc agendi ratio pœnitenti moleſta eſt.

§. V. *De ſatisfactione.*

Quæres 1. *Quid ſit ſatisfactio ſacramentalis?*

Reſp. Definitur: *Voluntaria pœna a Confeſſario injuncta toleratio ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam, expungendamque pœnam temporalem.*

Quæres 2. *Quot ſint opera pœnalia?*

Reſp. Juxta Concilium Tridentinum ſunt tria, nem-

nempe, *jejunium*, per quod intelligitur omnis corporalis afflictatio; *eleemoſyna*, ſive corporalis, ſive ſpiritualis; & *oratio*, per quam intelliguntur omnes actus religionis.

Quæres 3. *Quo fundamento nitatur debitum imponendi ſatisfactionem pœnitentibus?*

Reſp. Petitur ex hoc quod Sacramentum Pœnitentiæ non tollat cum culpa pœnam quæ peccato debetur, ſed æternam mutet in temporalem, ut conſtat exemplo Davidis, qui, poſt impetratam veniam ſui adulterii & homicidii, fuit punitus morte filii, 2. *Reg.* 12. & definivit Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. *can.* 30.

Objicies. D. Ambroſius, *lib.* 10. *in Luc.* ait: *Lacrymas Petri lego, ſatisfactionem non lego*. Ergo, dimiſſa culpa, non remanet pœna temporalis.

Reſp. nego conſeq. Nam per *ſatisfactionem*, intelligit *excuſationem*; addit enim, *quod defendi non poteſt, ablui poteſt*.

Quæres 4. *Utrum Confeſſarius teneatur imponere pœnitentiam pœnitenti?*

Reſpond. affirm. Nam tenetur procurare integritatem Sacramenti. Et ideo pœnitens tenetur pœnitentiam acceptare, quia obligatio præcipiendi, & debitum obediendi, ſunt eſſentialiter correlativa, adeo ut unum ſine altero eſſe nequeat.

Porro Sacerdos in injungenda ſatisfactione debet attendere hæc Concilii Tridentini verba ſeſſ. 14. cap. 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere: ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Ha-*

beant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.

Ergo duplex eſt ſatisfactio, ſcilicet, *vindicativa*, quæ datur præciſe ad peccata præterita vindicanda, & *medicinalis*, quæ datur præcipue ad peccata futura in poſterum præcavenda.

Quæres 5. *Utrum neceſſe ſit, neceſſitate Sacramenti, ut ſatisfactio ante abſolutionem impleatur?*

Reſpond. Non eſt neceſſe, ut conſtat tum ex praxi Eccleſiæ, tum auctoritate Sixti IV. & Alexand. VIII. qui contrariam opinionem damnarunt.

Quæres 6. *Quandonam pœnitens teneatur implere ſatisfactionem?*

Reſpond. Tenetur tempore a Confeſſario præſcripto, quia determinatio temporis includitur in præcepto. Quod ſi tempus non fuerit determinatum, tenetur illam implere quamprimum commode fieri poteſt: nam id exigunt Sacramenti integritas, & ratio debiti ac medicinæ.

Quæres 7. *An ſatisfactio impleri debeat in ſtatu gratiæ?*

Reſpond. negat. Quia opus ipſum, non modus implendi cadit ſub præcepto. Cavendum eſt tamen, ut impleatur in ſtatu gratiæ, cum ſolus juſtus poſſit Deo ſatisfacere de condigno.

Quæres 8. *An pœnitentia ab uno Confeſſario impoſita, poſſit ab alio mutari?*

Reſpond. Si ſit conveniens & ſalutaris, non poteſt mutari: econtra, ſi fuerit impoſita, *clave errante*, vel ſi ſuperveniat circumſtantia quæ

pœ-

pœnitentem efficiat pœnitentiæ implendæ impotentem, poteſt mutari in ſacramentali tantum Confeſſione, & quidem auditis peccatis, propter quæ fuit impoſita?

Quæres 9. *Quotuplex ſit pœnitentia publica?*

Reſpond. Triplex, ſcilicet, canonica, quæ complectebatur quatuor ſtationes ex præſcripto Canonum decurrendas, publica cum ſolemnitate, v. g. ſtando ad fores Eccleſiæ cum cereo accenſo; & publica ſine ſolemnitate, v. grat. peracta coram iis qui ſcandalum paſſi ſunt.

Quæres 10. *An poſſit imponi pœnitentia publica?*

Reſp. 1. Non poteſt imponi pœnitentia *canonica*, quia jamdiu ab Eccleſia ſublata eſt.... Non poteſt imponi *pœnitentia publica cum ſolemnitate*, niſi ab Epiſcopo, vel de ſolius Epiſcopi conſilio & auctoritate, ita Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8..... 3. *Pœnitentia publica ſine ſolemnitate*, poteſt & debet imponi pœnitentibus, quia ſcandalum neceſſario debet tolli, & injuria illata reparari.

§. VI. *De miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.*

Quæres 1. *Quis ſit miniſter Sacramenti Pœnitentiæ?*

Reſp. Solus Sacerdos; ſolis enim Sacerdotibus dictum eſt, Joann. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c.

Objicies: Jacobi 5. dicitur: *Confitemini alterutrum peccata veſtra*; ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Nam 1. Juxta plures Patres, ille textus non debet intelligi de Confeſſione ſacramentali, ſed de Confeſſione facta, humilitatis, vel reconciliationis mutuæ cauſa. 2. Si intelligatur de Confeſſione ſacramen-

mentali, ſic debet reddi cum Cornelio a Lapide, *Confitemini alterutrum*, id eſt, homines hominibus, non quibuslibet, ſed iis quibus a Chriſto demandata eſt abſolvendi poteſtas.

Inſt. In antiquis Conciliis & Patribus legitur, pœnitentes, urgente neceſſitate, apud Diaconos exomologeſim, id eſt, Confeſſionem feciſſe; ergo.

Reſpond. Loquuntur de Confeſſione cæremoniali, qua pœnitentes a ſtadio pœnitentiæ canonicæ dimittebantur, & Eccleſiæ reconciliabantur; non vero de Confeſſione ſacramentali.

Quæres 1. *Quotuplex poteſtas requiratur in Sacerdote, ut poſſit pœnitentem abſolvere?*

Reſpond. Duplex, *Ordinis*, nempe, quæ confertur in ordinatione, & *juriſdictionis*, ſive *ordinaria*, quæ datur per beneficium Parochiale, ſive *delegata*, quæ datur per approbationem Ordinarii: unde Conc. Trident. *ſeſſ.* 14. *can.* 7. declarat, *nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.*

Objicies: Quilibet Sacerdos in ſua ordinatione accepit poteſtatem abſolvendi a peccatis: *Accipite Spiritum ſanctum*, ait Epiſcopus, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. Ergo poteſtas Ordinis ſufficit.

Reſp. diſt. antec. Accepit poteſtatem inchoatam, *conc.* completam, *nego*. Neque enim poteſtas judicandi eſt completa ex parte termini, niſi aſſignentur ſubditi; unde, cum Eccleſiæ ſit aſſignare ſubditos, ipſa cenſetur immediate juriſdictionem actualem & completam conferre, cum conferatur tantum radicalis & inchoata in ordinatione.

Inſt.

Inſt. Quilibet Sacerdos poteſt abſque juriſdictione abſolvere a peccatis venialibus, ergo, &c.

Reſp. nego antec. Contrarium enim declaravit Congregatio Cardinalium ſub Innoc. XI. ann. 1679. non minus enim juriſdictio neceſſaria eſt ad jus dicendum in minoribus cauſis, quam in majoribus.

Quæres 3. *Quis poſſit delegare ad audiendas Confeſſiones?*

Reſp. Poteſt omnis & ſolus qui habet juriſdictionem ordinariam, ut definivit Bonif. VIII. *capit.* 7. de officio Ordinarii, *in* 6. Hinc delegatus non poteſt ſubdelegare; tamen, *cap.* 62. *de appellationibus*, excipitur Legatus Papæ.

Quæres 4. *An aliquando defectum juriſdictionis ſuppleat Eccleſia?*

Reſpond. Supplet, modo hæc tria concurrant; 1. Quod Confeſſarius habeat titulum coloratum; 2. Quod adſit error communis moraliter invincibilis; 3. Quod defectus ſit juris eccleſiaſtici, non divini.

Quæres 5. *Quid ſit approbatio?*

Reſp. Definitur, *authenticum Ordinarii teſtimonium, quo Sacerdos ad Confeſſiones audiendas idoneus declaratur ac deputatur.*

Quæres 6. *Utrum, præter poteſtatem Ordinis & Juriſdictionis, requiratur in Sacerdote approbatio, ut valide abſolvere poſſit?*

Reſp. Requiritur in Sacerdote non habente beneficium Parochiale; ut ſtatuit Concilium Trid. *ſeſſ.* 23; *cap.* 15. Ibique revocat omnia privilegia, quibus ſummi Pontifices concedunt Regularibus facultatem audiendi fidelium Confeſſiones, non obtenta prius Epiſcoporum licentia & approbatione.

Quæres 7. *Qualis debeat eſſe approbatio, ſicut & juriſdictio delegata?*

Reſp. Debet eſſe formalis & expreſſa, nec ſuffi-

ſufficit, ut ſit interpretativa aut præſumpta; quia tunc non adeſt, ſed tantummodo adeſſet ſub conditione, nempe, ſi poſtularetur.

Quæres 7. *Utrum Ordinarii poſſint ſibi reſervare aliquos caſus?*

Reſp. Poſſunt, ut definivit Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *can.* 7. nam poſſunt pro libitu juriſdictionem denegare; ergo & ipſam reſtringere; *Verumtamen*, ait Trident. cap. 7. *pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſint.* Porro per articulum mortis intelligitur morale periculum mortis, ut conſtat ex cap. *Eos qui*, de ſent. excomm.

Quæres 9. *Quot requirantur ut caſus cenſeatur reſervatus?*

Reſp. Quatuor; 1. Ut peccatum ſit mortale in ſua ſpecie; 2. Ut ſit externum; 3. Ut ſit conſummatum in ſua ſpecie, niſi aliud in ſtatuto exprimatur; 4. Ut ſit a pubere commiſſum. niſi impubes exprimatur in ſtatuto. *Quintum poteſt addi*, nempe, ut peccatum ſit certum, quia, cum reſervatio ſit odioſa, eſt reſtringenda, & conſequenter non extenditur ad caſus dubios.

Quæres 10. *Quibuſnam Confeſſarius teneatur concedere abſolutionem?*

Reſp. Tenetur concedere iis, quos, prudenter & cum certitudine morali, judicat eſſe vere contritos & rite diſpoſitos; nam per Confeſſionem acquiſierunt jus ad abſolutionem.

Quæres 11. *Quibuſnam Confeſſarius teneatur denegare abſolutionem?*

Reſp. Tenetur denegare eis, quos cognoſcit carere contritione & debitis diſpoſitionibus; eo-

eorum enim abſolutio eſſet invalida defectu materiæ debitæ. Tales ſunt, 1. Qui nulla ſigna dant doloris, aut præceptis Confeſſarii parere detrectant. 2. Qui rem alienam reſtituere, aut damnum illatum reſarcire nolunt, cum poſſunt. 3. Qui odia & inimicitias deponere, & inimicis reconciliari nolunt. 4. Qui occaſionem peccandi proximam deſerere recuſant. 5. Qui, publicum dantes ſcandalum, illud tollere non curant. 6. Qui nolunt abſtinere ab uſura, artibus, & commerciis illicitis. 7. Qui ignorantia myſteriorum fidei voluntaria laborant, nec volunt curare illa addiſcere.

Quæres 12. *Quibuſnam Confeſſarius tenetur differre abſolutionem?*

Reſp. Extra periculum mortis, eis quorum dubia ei apparet contritio, & diſpoſitio debita, debet differre, donec adſint ſigna converſionis moraliter certa. Ratio eſt, quia, extra mortis periculum, non licet uti materia dubia, alias Sacramentum abſque neceſſitate exponeretur periculo nullitatis & profanationis.

Hinc debet differri abſolutio, 1. Eis qui, etiam inculpabiliter, ignorant myſteria fidei neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, mandata Dei & Eccleſiæ, obligationes ſui ſtatus, donec illa didicerint.

2. Eis qui nonniſi æquivoca dant doloris ſigna.

3. Eis qui peccaverunt ex habitu & relapſu, donec operibus probata fuerit eorum ſincera converſio.

4. Eis qui verſantur in occaſione proxima *per ſe* peccati; ſi ea ſit voluntaria, differenda eſt abſolutio donec occaſionem reliquerint. Si vero ſit involuntaria, (qualis eſt occaſio fratris cum ſorore peccantis) differenda eſt abſolutio, donec, per executionem mediorum a Confeſſario præſcriptorum, ſigna converſionis non

non æquivoca dederint . . . . quod ſi, mediis ad emendationem adhibitis, adhuc peccet ut antea, tunc per negationem abſolutionis cogendus erit pœnitens ad deſerendam illam occaſionem, cum quantocumque damno temporali, etiam cum famæ & ſtatus jactura. Ita, *Rit. Tullenſe*, *&* *D. Carol. in inſtruct. confeſſ.*

5. Eis qui ſunt in occaſione peccati proxima *per accidens*, ſi ſit involuntaria (v. g. vir cui uxor eſt occaſio juramenti) differenda eſt abſolutio donec videatur emendatio. Si vero ſit voluntaria, (ut ignorantia in judice) vel tolli poteſt, vel non: *Si tolli poſſit*, differenda eſt abſolutio, donec tollatur. *Si tolli non poſſit*, differenda eſt, donec pœnitens reliquerit occaſionem.

6. Eis qui dant proximo occaſionem peccandi differenda eſt abſolutio, donec ſcandalum prorſus abſciderint.

7. Eis qui tenentur ad reſtitutionem notabilem, differenda eſt abſolutio, donec reſtituerint; quod ſi reſtitutio non ſit notabilis, abſolvi poſſunt ante reſtitutionem quam facere ſincere promittunt. Quod ſi eam ſuperiori Confeſſione præceptam, facere neglexerint, tunc non ſunt abſolvendi antequam reſtitutionem, ipſis poſſibilem, fecerint.

8. Eis qui inveteratas cum proximo inimicitias exercent, differenda eſt, donec ei ſe reconciliaverint.

9. Eis qui aliquod grave ſcelus perpetrarunt, abſolutio, *ſaltem ad aliquod tempus*, differenda eſt, donec operibus probaverint contritionem, quæ in iis, qui, ſtatim a patrato tali ſcelere, abſolvi præſumunt, eſt maxime æquivoca, cum tam ab infamia per peccatum contracta, vel confuſione inde percepta, poſſit oriri, quam ex odio & deteſtatione peccati.

§. VII.

§. VII. *De effectibus pœnitentiæ.*

Quæres 1. *Quinam ſint effectus Sacramenti pœnitentiæ?*

Reſp. Certum eſt, apud omnes, quod effectus hujus Sacramenti ſint 1. Gratiæ habitualis & ſacramentalis infuſio. 2. Omnis culpæ remiſſio. 3. Condonatio pœnæ æternæ peccatis debitæ, non tamen ſemper totius pœnæ temporalis. Verum utrum reviviſcentia meritorum per peccatum mortificatorum ſit effectus Sacramenti Pœnitentiæ controverſia eſt inter Theologos. Quare:

Quæres 2. *Utrum viva juſtorum opera; per peccatum mortificata, per ſubſequentem pœnitentiam reviviſcant?*

Reſp. Reviviſcunt. Nam Deus, peccatores ad pœnitentiam invitans, *Joel.* 2. promittit ſe eis redditurum *annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca*, id eſt, juxta interpretationem Patrum, omnia merita quæ per peccatum amiſerant.

Objicies: Ezechiel 18. de juſto mortaliter peccante, dicitur: *Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ergo.

Reſpond. nego conſeq. Nam Propheta loquitur de eo qui in peccato ſuo moritur. Addit enim, *in prævaricatione, qua prævaricatus eſt, & in peccato ſuo quod peccavit, in ipſis morietur.*

Quæres 3. *Quomodo merita mortificata reviviſcant?*

Reſpond. Reviviſcunt juxta omnem gratiæ gradum, quem ante peccatum habebant, & juxta totum jus ad gloriam quod merebantur, juxta illud Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die converſus fuerit*; atqui multum noceret, ſi, &c.

Quæ-

Quæres 4. *Utrum peccata per pœnitentiam dimiſſa reviviſcant per peccatum ſubſequens?*

Reſpond. 1. Non reviviſcunt *ſimpliciter*, quia vere & realiter fuerunt deleta, cum econtra merita non fuerint per peccatum deleta, ſed tantum ſuſpenſa propter peccati impedimentum, quo ſublato reviviſcunt.

Reſp. 2. Reviviſcunt *ſecundum quid*, quatenus peccatum ſequens ratione ingratitudinis gravius fit, quam alias fuiſſet: *Unde reatus eorum, ratione ingratitudinis, virtualiter continetur in peccato ſequenti*, ait D. Thom. *3. p. q. 88. art. 2. ad 4.*

APPENDIX I.

De ſatisfactione per ſuffragia.

Nota: Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. decreto, de Purgatorio, & *ſeſſ. 6. can.* 3. definit: *Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari.* Cum ergo ſuffragiorum communio ſuppônat Purgatorium, ideo:

Quæres 1. *Utrum detur Purgatorium?*

Reſpond. De fide eſt dari, ut conſtat 1. Ex Script. 2. *Machab.* 12. ubi Judas Machabæus curavit *offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium*; additque Scriptura: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur* ... Chriſtus, Matth. 12. ait: *Qui dixerit verbum contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Ergo aliqua peccata remittuntur in futuro ſæculo . . . Apoſtolus, 1. *Cor.* 3. ait: *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, Purgatorii, ut Interpretantur Patres ... 2. Ex traditione: *Non poterit a corpore egreſſus, divinitatis particeps fieri*, inquit Sanct. Gregor. Niſſen.

Niſſen. orat. pro mortuis, *niſi maculas animo immixtas Purgatorius ignis abſtulerit*. Et Div. Auguſt. *homil.* 16. *inter* 50. dicit: *Qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, per ignem quemdam Purgatorium tranſibunt, de quo Apoſtolus inquit, ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.*

Objicies 1. Eccleſ. 11. dicitur: *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Ergo non datur locus medius.

Reſp. nego conſeq. Hic enim agitur de ſtatu gratiæ vel peccati in quo aliquis decedit: ſi in ſtatu gratiæ, nunquam eam perdet; ſi in ſtatu peccati mortalis, ſimiliter in eo permanebit, quia in inferno nulla eſt redemptio.

Inſt. Pſ. 126. dicitur: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, eſſe hæreditas Domini.* Ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Textus enim intelligitur de iis, quibus, poſt mortem, nihil luendum ſupereſt.

Objicies 2. Peccata venialia non poſſunt remitti poſt hanc vitam; nam pœnitentia proprie dicta non habet locum poſt obitum; ergo.

Reſpond. nego antec. Ad prob. *nego conſeq.* Neque enim neceſſaria eſt pœnitentia proprie dicta ad remiſſionem venialium; ſed ſufficit virtualis diſplicentia in hac vita, & pœna purgatoria in altera, ut docet D. Thom. *in ſuppl. q. 72. art. 4.*

Quæres 2. *Quid intelligatur nomine ſuffragii?*

Reſp. Intelligitur, *translatio ſatisfactionum unius in alterum?*

Quæres 3. *Utrum ſuffragiorum communio detur inter vivos?*

Reſp. Datur: nam 1. Unus poteſt orare pro alio, ut conſtat ex Job ult. *Ite ad ſervum*

meum

meum Job, ille orabit pro vobis. Ex Apoſt. dicente, Rom. 15. *Obſecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus veſtris*. 2. Unus poteſt ſatisfacere pro alio: *Adimpleo*, inquit Apoſt. Coloſſ. 1. *ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*: id eſt, offerendo paſſiones meas pro Eccleſiæ membris, ad hoc ut Chriſti paſſiones fiant illis in actu ſecundo utiles: unde in Symbolo Apoſtolorum *Credimus communionem Sanctorum*.

Quæres 4. *Utrum detur ſuffragiorum communio inter vivos & defunctos?*

Reſpond. Datur: nam 1. Animæ defunctorum orant pro vivis, *Jerem.* 15. legitur, defunctum Jeremiam pro populo multum orare: & Div. Petrus, *Epiſt.* 2. *cap.* 1. ait: *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum ut horum* (meorum documentorum) *memoriam faciatis*. 2. Suffragia vivorum proſunt defunctis ad ſatisfactionem pro pœnis debitis, ut conſtat ex articulo de *communione Sanctorum*.

Objicies: Animæ in Purgatorio ſpectant ad aliud forum; ergo non poſſunt a vivis juvari.

Reſp. nego conſeq. Nam pertinent ad idem corpus, unde poſſunt a nobis juvari per modum ſuffragii, licet juvari non poſſint per modum ſententiæ.

Quæres 5. *Quot requirantur conditiones in eo qui offert aliis ſuas ſatisfactiones.*

Reſp. Requiritur 1. Ut habeat intentionem ſuffragium applicandi alteri. 2. Ut opus ſit voluntarium. 3. Ut ſit factum in ſtatu gratiæ, ſi opus ſit ſatisfactorium *ex opere operantis*: nam in opere ſatisfactorio *ex opere operato*, ut eſt Sacrificium Miſſæ, non requiritur ſtatus gratiæ, cum ejus valor non dependeat a probita-

bitate operantis, ſed ex dignitate Sacrificii.

Quæres 6. *Quot requirantur conditiones in eis pro quibus offeruntur ſuffragia?*

Reſp. Requiritur. 1. Ut ſint viatores, ſaltem aliquo modo. 2. Ut ſint in ſtatu gratiæ. 3. Ut culpa, pro qua exhibetur ſatisfactio, ſit remiſſa. Porro his omnibus conditionibus poſitis, ſuffragia alicui applicata, ei proſunt infallibiliter, quia applicatio ejuſmodi pendet ex intentione applicantis, quaſi ſolutio pecuniæ ab uno facta pro altero.

APPENDIX II.

De Indulgentia.

Quæres 1. QUid ſit indulgentia?

Reſp. Eſt, *relaxatio pœnæ temporalis pro peccatis jam quoad culpam remiſſis debitæ, a legitimo miniſtro facta, per applicationem theſauri Eccleſiæ* . . . . . alia eſt *plenaria*, pro tota pœna remittenda: alia *partialis*, pro remittenda tantum parte pœnæ debitæ, talis eſt indulgentia 100. aut 7. annorum, 40. dierum, &c. Item indulgentia vel eſt annexa perſonæ, & dicitur *perſonalis*, vel eſt annexa loco, & dicitur *localis*, vel eſt affixa rei, & dicitur *realis*.

Quæres 2. *Unde hauriatur pretium indulgentiarum?*

Reſpond. Ex theſauro Eccleſiæ, juxta illud Clementis VI. extravag. *Unigenitus*, de pœnit. & remiſſ. *Unigenitus Dei Filius . . . . theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit . . . quem quidem theſaurum . . . . per beatum Petrum cali clavigerum, ejuſque ſucceſſores, ſuos in terris vicarios commiſit, fidelibus ſalubriter diſpenſandum.*

Quæ-

Quæres 3. *Ex quibus coaleſcat theſaurus Eccleſiæ?*

Reſp. Coaleſcit primario ex meritis & ſatisfactionibus Chriſti infinitis; & ſecundario ex ſatisfactionibus Deiparæ & Sanctorum; ut definivit *Clemens VI.* & conſtat tum ex articulo fidei *de communione ſanctorum*. Tum ex hac prop. Lutheri a Leone X. damnata: *Theſauri Eccleſiæ, unde Papa dat indulgentias, non ſunt merita Chriſti & Sanctorum.*

Objicies 1. Theſaurus ex Chriſti & Sanctorum ſatisfactionibus, eſt Chriſto injurioſus; ergo, &c.

Reſp. nego ant. Satisfactiones enim Sanctorum infinitis Chriſti ſatisfactionibus non ideo adjungimus, quod ſatisfactiones Chriſti ſe ſolis non ſufficiant, aut quod augeantur ſatisfactionibus Sanctorum, abſit; ſed ideo adjungimus, ut illæ non ſint otioſæ; ut Sancti hoc honore gaudeant; & ut efficacitas meritorum Chriſti magis eluceſcat, quæ non ſolum per ſe poſſunt expiare peccata & reatus peccatorum, ſed etiam efficere, ut merita Sanctorum vim habeant expiandi reatum pœnæ temporalis peccatis debitæ.

Objicies 2. Doctrina de communicatione ſatisfactionum alienarum, 1. Evertit fundamenta contritionis, 2. Promittit impunitatem pro peccatis; ergo.

Reſp. nego ant. Nam 1. Indulgentia ſolis contritis datur; 2. Hoc unum præſtat, ut ſatisfactio illius, cui conceditur, ſatisfactionibus Sanctorum juvetur ex miſericordia Dei.

Quæres 4. *Utrum Eccleſia acceperit a Chriſto poteſtatem concedendi Indulgentias?*

Reſpond. Accepit, ut definivit Concil. Conſtantienſe, *ſeſſ.* 15. adverſus Wicleſitas, & Concil. Trident. adverſus Lutheranos & Calvini-

vinitas. Probatur 1. Ex Matt. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Hac poteſtate uſus eſt Apoſtolus erga Corinthium inceſtuoſum, cui, *in perſona Chriſti* reliquum pœnæ condonavit, dum reſcivit ipſum de peccato doluiſſe, ac pœnitentiam inchoaſſe. 2. Ex perpetua traditione, qua conſtat Eccleſiam poteſtate concedendi Indulgentias ſemper uſam fuiſſe.

Quæres 5. *Quinam poſſint dare Indulgentias?*

Reſpond. Poſſunt ſummus Pontifex in tota Eccleſia, & Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, *ſecundum limitationem ſacrorum Canonum*, ait Martinus V. in Concil. Conſtantienſi, quæ eſt ut non poſſint concedere, niſi Indulgentias unius anni in Dedicatione Eccleſiæ, & 40. dierum in aliis temporibus.

Quæres 6. *An aliqua requiratur cauſa ad concedendam Indulgentiam?*

Reſp. Requiritur *cauſa pia & juſta*, ait Martinus V. Ratio eſt, quia Papa & Epiſcopi diſpenſatores ſunt tantummodo, non domini Eccleſiæ theſauri.

Hinc, ad valorem Indulgentiæ requiritur, ut cauſa quædam habeat proportionem cum Indulgentia, quæ conceditur; alias non eſſet juſta & rationabilis.

Dices: Ex axiomate, *Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant*; ergo non requiritur proportio cauſæ.

Reſp. diſt. ant. Tantum valent, quantum ſonant, clave non errante, *conc.* clave errante, *nego*. Ut autem clavis non erret, requiritur, ex parte dantis, auctoritas & juſta cauſa; & ex parte accipientis, gratia ſanctificans, & executio eorum quæ in Litteris Indulgentiarum præcipiuntur.

Quæres 7. *Quibuſnam concedi poſſunt Indulgentiæ?*

Reſp. Concedi poſſunt vivis & defunctis, cùm hac differentia, quod vivis dentur *per modum abſolutionis juridicæ*, defunctis vero, *per modum ſuffragii ſatisfactorii*, quia Eccleſia in eos juriſdictionem non habet. Ergo Eccleſia non ipſis immediate remittit pœnam peccatis debitam; ſed offert Deo pretium ex theſauro Eccleſiæ, ut ipſe remittat pœnam ſuæ juſtitiæ debitam.

Objicies 1. Indulgentiæ non proſunt defunctis.

Reſp. nego ant. Nam 1. Leo X. hanc Lutheri prop. damnavit: *Sex hominum generibus Indulgentiæ nec ſunt neceſſariæ, nec utiles, mortuis, &c.* 2. Ex conſtanti Eccleſiæ traditione.

Inſt. Animæ Purgatorii damnatæ ſunt definitive ad ſubeundas pœnas Purgatorii; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Damnatæ ſunt definitive conditionate, *conc.* abſolute, *nego*. Damnantur ad pœnas ſub hac conditione, *niſi aliquis fidelis ipſis applicet Eccleſia Indulgentias*.

Quæres 8. *Quænam diſpoſitiones ſint neceſſariæ ad lucrandas Indulgentias?*

Reſp. Tres requiruntur, 1. *Ut lucraturus Indulgentiam præſtet complete ea quæ præſcripta ſunt a Superiore Indulgentiam concedente;* quia ſub hac conditione eſt conceſſa. 2. *Ut ſit in ſtatu gratiæ;* quia non poteſt remitti pœna temporalis, niſi prius remittatur culpa. 3. *Ut habeat propoſitum efficax Deo ſatisfaciendi;* quia Indulgentiæ ſolis vere pœnitentibus conceduntur, ſed vera pœnitentia eſſentialiter includit propoſitum pro viribus Deo ſatisfaciendi; ergo;

Quæres 9. *Utrum omnia opera injuncta debeant impleri in ſtatu gratiæ?*

Reſp. Requiritur equidem, ut ultimum opus im-

impleatur in ſtatu gratiæ; quia eo inſtanti Indulgentia ſuum ſortitur effectum; ſed ſufficit, ut alia opera injuncta fiant animo religioſo, vere pœnitenti, & ab omni affectu lethalis peccati libero.

Quæres 10. *Quid ſit Jubilæus?*

Reſp. Definitur, *Indulgentia plenaria cum privilegiis annexis*: v. g. abſolvendi ab omnibus caſibus & cenſuris reſervatis, commutandi vota, & cætera quæ in Bulla exprimuntur, quæ ideo attente perlegi debet.

DISSERTATIO VI.

De Extrema Unctione.

Quæres 1. *Quid ſit Extrema Unctio?*

Reſp. Definitur, *Sacramentum a Chriſto inſtitutum, quo infirmi de vita periclitantes, per unctionem Olei, & orationem Sacerdotis, obtinent ſalutem animæ, & ſanationem membrorum, ubi ſaluti animæ expedit.*

Quæres 2. *Utrum Extrema Unctio ſit Sacramentum proprie dictum?*

Reſp. affirm. Et prob. ex Script. Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*; atqui illa Unctio habet omnia requiſita ad rationem Sacramenti: nam 1. Eſt ſignum ſenſibile, nempe, *Unctio*, &, *oratio*. 2. Habet vim producendi gratiam, *& ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. 3. Eſt a Chriſto præcepta, *inducat Presbyteros Eccleſiæ*. 4. Eſt perpetua & conſtans in Eccleſia, ut conſtat ex perpetua ejus praxi, & conſtanti tra-

ditione Patrum: ad quam attendens Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *can.* 1. definit: *Si quis dixerit Extremam Unctionem non eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a B. Jacobo promulgatum ..... anathema ſit.*

Quæres 3. *Quo tempore Chriſtus inſtituerit Extremam Unctionem?*

Reſp. Plane incertum eſt; probabilius tamen eſt quod ipſam inſtituerit poſt ſuam reſurrectionem, nam ex Trid. Extrema Unctio eſt *Pœnitentiæ conſummativum Sacramentum*; ergo probabilius eſt quod fuerit inſtituta eo ipſo tempore, quo Sacramentum Pœnitentiæ, nimirum inter reſurrectionem & aſcenſionem.

Quæres 4. *Quænam ſit materia Extremæ Unctionis?*

Reſp. 1. Materia *remota*, eſt oleum, & quidem olivarum, quod eſt oleum ſimpliciter dictum, ſicut panis triticeus eſt ſimpliciter panis: item debet eſſe ab Epiſcopo benedictum, juxta illud Concil. Flor. *Extrema Unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum*. Idem habet Conc. Trid. poteſt tamen Sacerdos ex commiſſione Epiſcopi illud benedicere, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ Græcæ, in qua ſimplices Presbyteri, (ex conceſſione ſaltem tacita SS. Pontificum, ut aſſerit Goarius, pag. 436.) oleum iſtud benedicunt, quam praxim approbavit Clemens VIII. *ann.* 1595.

Reſp. 2. Materia *proxima*, eſt Unctio, *ungentes eum oleo*, inquit D. Jacobus, porro ad Sacramenti validitatem una ſufficit Unctio, nam Div. Jacobus Unctionis ſimpliciter facit mentionem, non plurium: ex præcepto vero Eccleſiæ multiplex adhibetur, pro cujuſque Diœceſis diſciplina neceſſario conſulenda & religioſe obſervanda, cum illam tacite ſaltem approbet Eccleſia univerſa.

Quæ-

Quæres 5. *Quid facere debeat Sacerdos, quando oleum benedictum deficit?*

Reſp. Debet oleo conſecrato admiſcere non conſecratum; ex c. *quod in dubiis*, tit. *de conſecr. Eccleſiæ*. Ex illa enim unione oleum non conſecratum conſecrationem quamdam contrahit.

Quæres 6. *Quænam ſit forma Extremæ Unctionis?*

Reſp. Sunt hæc verba: *Per iſtam ſanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid per viſum* (& ita de aliis ſenſibus) *deliquiſti*. Ita præſcribunt Conc. Florent. in decreto, & Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 1.

Objicies: Forma aliorum Sacramentorum eſt abſoluta; ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Diſparitas petitur ex inſtitutione Chriſti, qui æque potuit gratiam alligare formæ deprecativæ, ac indicativæ.

Quæres 7. *Quinam ſit miniſter Extremæ Unctionis?*

Reſp. Eſt ſolus Sacerdos: *Inducat Presbyteros Eccleſiæ*, inquit D. Jacobus. Unuſque Sacerdos ſufficit, ut definivit Alex. III. c. *quæſivit*, de verborum ſignificatione, *Sacerdos*, inquit, *uno præſente Clerico, & etiam ſolus poteſt infirmum ungere*. Nullus tamen Sacerdos poteſt, extra caſum neceſſitatis, hoc Sacramentum licite adminiſtrare, niſi habeat juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, ex Clementina 1. *De privilegiis*.

Quæres 8. *Quodnam ſit ſubjectum Extremæ Unctionis?*

Reſp. Eſt infirmus, de cujus morte timetur, uſu rationis aliquando præditus: in infantibus enim ac perpetuo amentibus, nulla peccata, nullæve peccatorum reliquiæ, ſunt abſtergendæ.

Quæres 9. *Quænam diſpoſitiones requirantur in ſubjecto Extremæ Unctionis?*

Reſp. Duæ, ſcilicet, *ſtatus gratiæ*, quia eſt Sacramentum vivorum; & *intentio*, ſaltem habitualis, recipiendi Sacramenti. Inſuper Div. Thom. *q.* 32. *art.* 4. *in Supplem.* requirit devotionem actualem; attamen virtualem ſufficere exiſtimamus: quare Parochi curare debent, ut infirmis adminiſtretur, cum adhuc ſunt integris ſenſibus.

Quæres 10. *Utrum Extrema Unctio ſit neceſſaria?*

Reſp. Non eſt neceſſaria neceſſitate medii, ſed eſt neceſſaria neceſſitate præcepti, tum divini, juxta illud D. Jacobi: *Inducat Presbyteros*, quod importat præceptum, ut interpretatur Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 2. tum Eccleſiaſtici, in omnibus Ritualibus manifeſtati.

Quæres 11. *Quinam ſint effectus Extremæ Unctionis?*

Reſpond. Sublato obice, ſunt, 1. Productio gratiæ ſanctificantis. 2. Remiſſio peccatorum. 3. Abſterſio reliquiarum peccati, hoc eſt, propenſionis ad malum, torporis ad faciendum bonum, debilitatis mentis a peccato provenientis, qua fit ut homo non ſit ita expeditus ad intuenda & meditanda cæleſtia. 4. Alleviatio animæ infirmi, per magnam divinæ miſericordiæ fiduciam quæ in eo excitatur. 5. Corporis ſanatio, ſi expedierit animæ ſaluti. Hi enim omnes effectus in verbis D. Jacobi continentur, & a Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. tit. *de Extrema Unctione*, recenſentur.

Quæres 12. *An Sacramentum Extremæ Unctionis ſit iterabile?*

Reſp. affirm. Nam non imprimit characterem: unde, juxta Conc. Trid. c. 3. *Si infirmi, poſt ſuſceptam hanc unctionem, convaluerint, iterum hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterunt, cum in aliud ſimile vitæ diſcrimen incide-*

derint. Ex quo ſequitur non poſſe iterari durante eodem morbo, niſi infirmus convaluerit, & poſtea in novum mortis periculum relabatur.

DISSERTATIO VII.

De Sacramento Ordinis.

AGemus hic, 1. De Ordine in genere, variiſque Ordinis ſpeciebus. 2. De materia & forma ſingulorum Ordinum. 3. De miniſtro, ſubjecto, & effectibus Ordinis. 4. De irregularitate quæ removet ab Ordinibus. 5. De cenſuris, ex quarum violatione incurritur irregularitas.

§. I. *De Ordine, variiſque Ordinis ſpeciebus.*

Quæres 1. *Quotuplici modo ſumi poteſt Ordo?*

Reſp. Duplici: 1. Sumitur pro Clero, ſeu, Hierarchia Eccleſiaſtica, & definitur, *Certus hominum ſtatus, in quo varii ſunt diſtincti ac ſubordinati Ordinationum gradus, alii aliis ſuperiores, deſtinati ad celebrandum Euchariſtiæ Sacramentum, aut ad inſerviendum ex officio ipſius celebrationi.*

2. Sumitur pro ſacra Ordinatione, & definitur, *Sacramentum, a Chriſto inſtitutum, quo gratia, ſpiritualiſque poteſtas Clerico traditur ad Euchariſtiam conſecrandam, conſecranti inſerviendum, cæteraque munia Eccleſiaſtica rite obeunda.*

Quæres 2. *Utrum Ordinatio ſit verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum?*

Reſp. affirmat. Nam 1. Eſt ſignum ſenſibile, productivum gratiæ, 2. ad Tim. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per*

impoſitionem manuum meurum. 2. Eſt a Deo præcepta, *Act.* 13. Spiritus ſanctus juſſit *ſegregari Paulum & Barnabam ad opus, ad quod aſſumpſerat eos, tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque eis manus*, &c. 3. Eſt perpetua & conſtans in Eccleſia, eſt enim inſtituta ad confectionem Sacrificii uſque ad ſæculi conſummationem perſeveraturi. Hinc Conc. Trid. *can.* 13. definit: *Si quis dixerit Ordinem, ſive ſacram Ordinationem non eſſe vere ac proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum . . . . anathema ſit*.

Quæres 3. *Quomodo dividuntur Ordines?*

Reſp. Dividuntur in majores & minores. Ordo major, eſt ille, *qui propinque verſatur circa Euchariſtiam, habetque annexam legem continentiæ & horarum*. Ordo minor, eſt ille, *qui remote tantum verſatur circa Euchariſtiam, nec habet annexam legem continentiæ & horarum*.

Quæres 4. *Quot ſint in Eccleſia Ordines?*

Reſp. Ex Concil. Trident. Sunt ſeptem, nempe, tres majores, *Presbyteratus*, *Diaconatus*, & *Subdiaconatus*; & quatuor minores, *Exorciſtatus*, *Lectoratus*, *Acolytatus*, & *Oſtiariatus*.

Ergo prima Tonſura non eſt Ordo, nullum enim habet officium annexum circa miniſterium Altaris: nihil ergo aliud eſt, quam, *ritus ab Eccleſia inſtitutus, quo quis a ſtatu Laicorum diſtinguitur, ut ad Ordines ſuſcipiendos melius diſponatur*. Atque eo titulo gaudet privilegio Canonis & Fori.

Quæres 5. *Utrum Epiſcopatus ſit Ordo a Presbyteratu natura diſtinctus?*

Reſpond. affirmat. Nam 1. Veram & ſpecialem poteſtatem indelebilem confert, ad ordinandos Miniſtros Eccleſiæ, & conferendum Sacramentum Confirmationis, quæ non poſ-

ſunt

ſunt conferri a ſimplici Sacerdote. 2. Ordinatio Epiſcopalis habet materiam & formam a materia & forma ſacerdotali diſtinctam; ergo eſt Ordo diſtinctus, & Sacramentum diſtinctum.

Objicies: Epiſcopatus eſt tantum extenſio characteris Presbyteratus ad altiora munia; ergo, &c.

Reſpond. nego anteced. Nam ad extendendum characterem par requiritur efficacia, quæ requiritur ad imprimendum novum; non eſt ergo ratio cur Epiſcopatus novum non imprimat.

Inſtab. 1. Si Epiſcopatus eſſet Ordo diſtinctus, eſſent octo Ordines; atqui illud repugnat Concil. Trident. ergo.

Reſp. diſt. maj. Eſſent Octo Ordines, ſpecie infima, *conc.* ſpecie ſubalterna, *nego*. Itaque Ordo generatim ſumptus immediate dividitur in ſeptem ſpecies, quarum prima, nempe, Sacerdotium, ſubdividitur in Presbyteratum & Epiſcopatum, qui in Sacerdotio continetur tanquam nobilior ſpecies in ſuo genere.

Inſtab. 2. Epiſcopatus non habet habitudinem ad Euchariſtiam, diſtinctam ab ea quam habet Presbyteratus; ergo, &c.

Reſpond. nego antec. Dat enim poteſtatem ordinandi Sacerdotes, qui Euchariſtiam conſecrent.

Quæres 6. *Utrum jure divino Epiſcopi ſint Presbyteris ſuperiores?*

Reſp. affirm. Nam jure divino regunt Eccleſiam Dei, ac proinde & ipſos Presbyteros, Act. 22. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Quare Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *can.* 7. definit: *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores... anathema ſit.*

Quæres 7. *Utrum omnes Ordinationes ſint Sacramenta?*

Reſp. 1. De fide eſt Presbyteratum eſſe proprie dictum Sacramentum: nam Concil. Trid. definivit ſacram Ordinationem eſſe Sacramentum proprie dictum; ergo Presbyteratus, qui eſt inter Ordines præcipuus, eſt Sacramentum.

Reſp. 2. Certum eſt Diaconatum eſſe verum Sacramentum: nam 1. Eſt cæremonia ſacra, Actor. 6. *Orantes impoſuerunt eis manus.* 2. Per illam cæremoniam confertur gratia ſanctificans, ex Trid. *can.* 4. definiente, *Per ſacram Ordinationem dari Spiritum ſanctum, nec fruſtra Epiſcopos dicere: accipe Spiritum ſanctum*; atqui in Ordinatione Diaconi dicitur: *Accipe Spiritum ſanctum.* 3. Eſt a Christo, inſtituta, ex Trid. definiente, can. 6. *In Eccleſia Catholica eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris.* Per Miniſtros haud dubie intelligit ad minus Diaconos; ergo.

Reſp. 3. Probabilius eſt Subdiaconatum & minores Ordines eſſe proprie Sacramenta: nam illa opinio eſt conformior menti & doctrinæ Conciliorum; Florent. enim in decreto ait: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per ..... Subdiaconatus vero per Calicis vacui cum Patena vacua ſuperpoſita traditionem: & ſimiliter de aliis* (Ordinibus) *per rerum ad ſua miniſteria pertinentium aſſignationem*; ergo cum aſſignando materiam illius Sacramenti, aſſignet materiam Subdiaconatus & minorum, conſequens eſt illos Ordines eſſe Sacramenta ... 2. Poſtquam Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *can.* 2. enumeravit omnes Ordines, *can.* 3. definit, *Ordinem, ſeu ſa-*

ſacram Ordinationem, eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum: ſed quidquid convenit generi, convenit etiam omnibus ſuis ſpeciebus; ergo..... 3. Subdiaconatus & minores conferunt characterem poteſtatis ſpiritualis collativum, ut docet D. Thom. *q. 35. art. 2. ad* 1. & 2. Atqui hoc eſt proprium ſolius Sacramenti; ergo, &c.

Objicies 1. Scriptura nullam facit mentionem Subdiaconatus & minorum; ergo.

Reſpond. nego conſeq. Inde enim tantum concludi poteſt, quod Chriſtus per ſemetipſum non promulgaverit iſtos Ordines, ſed per Apoſtolos, a quorum traditione illorum ſeriem habemus.

Objicies 2. Subdiaconatus non ſemper, minores vero nunquam fuerunt Ordines ſacri; ergo, &c.

Reſpond. diſt. antec. Non ſunt ſacri, ex parte functionum, quæ non attingunt immediate res ſacras, & ex parte ſtatus ordinati, qui voto caſtitatis non eſt adſtrictus, *conc.* ex parte ſui, *nego*. Conferunt enim ſacram functionem.

Inſtab. Poſſunt exerceri a Laicis; ergo non ſunt ſacri ratione ſui.

Reſp. diſt. ant. Exerceri poſſunt a Laicis ex officio & ſolemniter, *nego*, ſecus, *conc.* alias nec diſtributio Euchariſtiæ, quæ olim fiebat a Laicis, nec Baptiſmus, qui etiam nunc in neceſſitate datur a Laicis, eſſent quid ſacrum.

§. II. *De materia & forma ſingulorum Ordinum.*

Quæres 1. *Quænam ſint materia & forma Epiſcopatus?*

Reſpond. Materia Epiſcopatus eſſentialis, eſt ſola manuum impoſitio ab Epiſcopo conſecra-

tore & aſſiſtentibus Epiſcopis facta; forma vero ſunt hæc verba impoſitioni manuum correſpondentia: *Accipe Spiritum ſanctum*. Cætera ad ſolam integritatem ordinationis pertinere videntur.

Quæres 2. *Quænam ſint materia & forma Presbyteratus?*

Reſpond. Eſt traditio calicis cum vino, & patenæ ſuperpoſitæ cum hoſtia, & ultima manuum impoſitio; forma vero ſunt hæc verba: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini, amen*: quæ correſpondent traditioni inſtrumentorum, & iſta: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*, quæ verba correſpondent impoſitioni manuum.

Objicies: Si tam impoſitio manuum, quam traditio inſtrumentorum eſt materia presbyteratus, erit duplex Sacramentum, falſum conſeq.

Reſp. nego ſeq. maj. Materiæ enim illæ partiales in unum confluunt Sacramentum, eo modo quo Euchariſtia unicum eſt Sacramentum, quamvis duas habeat partiales materias & formas.

Inſt. Ordinatio imprimit duos characteres, nam confert duas poteſtates; ergo ſunt duo Sacramenta.

Reſp. nego conſeq. Nam illi duo characteres ſunt partiales & inadæquati, qui in unum Sacramentum confluunt.

Quæres 3. *Quænam ſit materia & forma Diaconatus?*

Reſpond. Eſt impoſitio manus dexteræ a ſolo Epiſcopo facta ſuper caput ordinandi, cum hac forma: *Accipe Spiritum ſanctum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo & tentationibus ejus*

in

in nomine Domini. Et traditio libri Evangeliorum cum hac forma: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei pro vivis & defunctis*, &c.

Quæres 4. *Quanam ſit materia & forma Subdiaconatus?*

Reſp. Eſt traditio calicis vacui cum patena vacua: ſub hac forma: *Videte cujuſmodi miniſterium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos adhibeatis, ut Deo placere poſſitis.* Et traditio libri Epiſtolarum, ſub hac forma: *Accipe librum Epiſtolarum, & habe poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis.* ... onera Subdiaconi ſunt, recitatio officii divini, & votum caſtitatis Ordini ſuſcepto annexum.

Quæres 5. *Quanam ſint materia & forma Ordinum minorum?*

Reſp. 1. Materia Acolytatus, eſt traditio candelabri cum cereo extincto, ſub hac forma: *Accipe ceroferarium cum cereo*, &c. Et traditio urceolorum vacuorum, ſub hac forma: *Accipe urceolos ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam Sanguinis, in nomine Domini.*

2. Materia Exorciſtatus, eſt traditio libri exorciſmorum, ſub hac forma: *Accipe & commenda memoriæ, & habe poteſtatem manus imponendi ſuper energumenos, ſive baptizatos, ſive catechumenos.*

3. Materia & forma Lectoratus, eſt liber lectionum, ſub hac forma: *Accipe & eſto Verbi Dei relator, habiturus*, &c.

4. Materia & forma oſtiariatus, eſt traditio clavium Eccleſiæ, ſub hac forma: *Sic age, quaſi Deo redditurus rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.*

Quæres 6. *Quanam ſint Ordinum germanæ definitiones?*

Reſpond.

Reſpond. 1. Epiſcopatus definitur: *Ordinatio, qua, per manuum impoſitionem ab Epiſcopo conſecratore & aſſiſtentibus Epiſcopis factam, ſub præſcripta verborum forma, traditur Presbytero poteſtas regendi Eccleſiam Dei.*

2. Presbyteratus definitur: *Ordinatio, qua, per traditionem calicis cum vino, & patena cum hoſtia, & impoſitionem manuum, ſub præſcripta verborum forma, traditur poteſtas Euchariſtiam conficiendi, & a peccatis abſolvendi.*

3. Diaconatus definitur: *Ordinatio, qua, per traditionem libri Evangeliorum, & impoſitionem manuum, ſub præſcripta verborum forma, confertur poteſtas Evangelium legendi, & Sacerdoti immediate aſſiſtendi.*

4. Subdiaconatus definitur: *Ordinatio, qua, per traditionem calicis vacui cum patena vacua, & traditionem libri Epiſtolarum, ſub præſcripta verborum forma, confertur poteſtas legendi Epiſtolas in Eccleſia, & proxime inſerviendi Diacono ſolemniter miniſtranti.* Et ſic de cæteris ordinibus.

§. III. *De miniſtro, ſubjecto, & effectibus Ordinis.*

Quæres 1. *Quis ſit miniſter Ordinis?*

Reſp. 1. Miniſter ordinarius eſt ſolus Epiſcopus, ut definierunt Conc. Florent. in decreto, & Trid. *ſeſſ.* 23. *can.* 7.

Reſpond. 2. Simplex Sacerdos poteſt, ex commiſſione S. Pontificis, tonſuram & quatuor minores conferre, ut conſtat, tum ex cap. *requiſivit*, tit. de ordinatis ab Epiſcopo qui renuntiavit, in quo dicitur: *Minores ordines a non Epiſcopis quandoque conferuntur.* Tum ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. in quo prohibetur Abbatibus, ne conferant *tonſuram vel minores Ordi-*

nes,

nes, niſi regularibus ſibi ſubditis; ergo, &c.

Quæres 2. *A quonam Epiſcopo Ordines debeant recipi?*

Reſp. A proprio Epiſcopo; nullo modo ab alieno, abſque litteris dimiſſoriis proprii Epiſcopi, ut ſtatuit Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *de reform.*

Quæres 3. *Quid ſit proprius Epiſcopus?*

Reſp. Triplex a Bonifacio VIII. *cap.* Cum nullus, *de temp. Ordinationis*, *in* 6. diſtinguitur, nempe, 1. *Originis*, in cujus Diœceſi quis natus eſt: 2. *Beneficii*, in cujus Diœceſi aliquis beneficium obtinet, modo tamen illud beneficium non fuerit per fraudem obtentum, ad quam vitandam Clerus Gallic. in comitiis anni 1657. ſtatuit neminem ordinandum abſque conſenſu Epiſcopi originis, exceptis caſibus neceſſitatis. *Puta*, inquit Habert in compend. *ſi difficilior ſit recurſus ad Epiſcopum originis, vel ſedes ejus vacet, & beneficium, ratione cujus ordinant, reſidentiam poſtulet.* 3. *Epiſcopus domicilii*, in cujus Diœceſi aliquis commoratur cum propoſito ibidem perpetuo manendi, excipitur familiaris Epiſcopi, quem juxta Trid. poteſt ordinare, *ſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim reipſa illi conferat.*

Quæres 3. *Quinam ſit ſubjectum Ordinis?*

Reſp. Eſt homo baptizatus; nam 1. Solus baptizatus eſt capax aliorum ſacramentorum. 2. Mulieres jure divino arcentur a ſacris miniſteriis, 1. Cor. 14. *Turpe eſt mulierem loqui in Eccleſia.*

Quæres 1. *Quid requiratur ad validam receptionem Ordinum?*

Reſpond. Requiritur *intentio*, ſine qua nulla & invalida foret ordinatio, ut probavimus in diſſert. de Sacramentis in genere.

Quæ-

Quæres 5. *Quænam requiruntur ad licitam receptionem Ordinum?*

Reſpond. Requiruntur novem: 1. *Vocatio Dei*, quia, *nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*, ait Apoſt. Hebr. 5. 2. *Status gratiæ*, quia eſt Sacramentum vivorum. 3. *Confirmatio & prima tonſura*, prout ſtatuit Concil. Trid. cap. 4. de ref. 4. *Congruæ ſuſtentationis titulus*, ſive ex beneficio, ſive ex patrimonio, ſive ex penſione, ita ut qui ficto titulo ordinatus fuiſſet, ab exercitio Ordinum *ipſo jure* ſuſpenſus foret, *Trid. ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *de reform.* Mendicantes tamen ordinantur ſub titulo paupertatis. 5. *Ætas legitima*, quæ eſt juxta Trid. annus 22. pro Subdiaconatu; 23. pro Diaconatu; 25. pro Presbyteratu: ſufficit autem annus ut ſit inchoatus. 6. *Tempus*, a jure ſtatutum pro ordinationibus. 7. *Obſervatio interſtitiorum*, prout ſtatuitur in Conc. Trident. 8. *Ut ordinatio non fiat per ſaltum*, id eſt, ut non ſuſcipiatur Ordo minor, omiſſo inferiori; alias, ſic ordinatus, eſſet ab exercitio Ordinis ſic ſuſcepti ſuſpenſus, cap. *tuæ litteræ*, de Clerico per ſaltum ordinato. 9. *Immunitas ab omni irregularitate*, ut infra probabitur.

Quæres 6. *Quinam ſint effectus Ordinis?*

Reſp. Sunt quatuor: 1. *Eſt gratia ſanctificans*, in augmento: 2. *Eſt gratia ſacramentalis*, quæ definitur: *Gratia habitualis, ſacræ poteſtatis traditiva, annexum habens jus ad gratias actuales neceſſarias ad officia cuilibet Ordini propria rite perſolvenda.* Gratia ergo ſacramentalis, nihil eſt aliud quam illud jus fundatum in gratia ſanctificante. 3. *Eſt character*, ratione cujus ordinatio ſemel valide data iterari non poteſt. 4. *Eſt cælibatus*, qui ſacris ordinibus eſt annexus & qui in hoc conſiſtit, ut qui in Eccleſia

latina

ſatina ſacris initiantur, nec matrimonium contrahere, nec matrimonio prius contracto uti poſſint: in Eccleſia vero græca liceat quidem ſacris initiatis (exceptis Epiſcopis) retinere uxores legitimas ante ordinationem ductas, & omni jure matrimonii uti, ſed omnino, & quidem ſub pœna depoſitionis, prohibitum ſit eis poſt ordinationem ducere uxores, ex Conc. Trid. *can.* 6. & 12.

§. IV. *De irregularitatibus.*

Quæres 1. *Quid ſit irregularitas?*

Reſp. Definitur: *Impedimentum canonicum, quo quis directe redditur inhabilis ad Ordines & beneficia licite ſuſcipienda, & eorum functiones obeundas.*

Dicitur 1. *Impedimentum*, ut diſtinguatur a cenſura, quæ eſt pœna.

Dicitur 2. *Canonicum*, quia non incurritur, niſi in caſibus a jure expreſſis.

Dicitur 3. *Quo quis directe*, ut iterum diſtinguatur a cenſuris, quæ nonniſi indirecte poſſunt impedire receptionem Ordinum: ideo enim excommunicatio impedit, quia non licet cum excommunicato communicare: ſuſpenſio impedit uſum Ordinum, non vero receptionem.

Dicitur 4. *Ad Ordines*, tam proprie dictos quam improprie, quale eſt tonſura.

Dicitur 5. *Et beneficia*, ad quæ irregularis dicitur ineligibilis, *cap. ult. de temporib. Ordin. in* 6.

Dicitur 2. *Et eorum functiones*, ut declaratur in toto tit. *de tempore ordin.*

Quæres 2. *Utrum quis in dubio, irregularis ſit judicandus?*

Reſpond. Judicandus eſt in dubio facti, ut definivit Clem. III. *capit.* ad audientiam, *de*

homic.

impoſitionem manuum meærum. 2. Eſt a Deo præcepta, *Act.* 13. Spiritus ſanctus juſſit *ſegregari Paulum & Barnabam ad opus, ad quod aſſumpſerat eos, tunc jejunantes, & orantes, impònenteſque eis manus*, &c. 3. Eſt perpetua & conſtans in Eccleſia, eſt enim inſtituta ad confectionem Sacrificii uſque ad ſæculi conſummationem perſeveraturi. Hinc Conc. Trid. *can.* 13. definit: *Si quis dixerit Ordinem, ſive ſacram Ordinationem non eſſe vere ac proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum . . . . anathema ſit*.

Quæres 3. *Quomodo dividuntur Ordines?*

Reſp. Dividuntur in majores & minores. Ordo major, eſt ille, *qui propinque verſatur circa Euchariſtiam, habetque annexam legem continentiæ & horarum*. Ordo minor, eſt ille, *qui remote tantum verſatur circa Euchariſtiam, nec habet annexam legem continentiæ & horarum*.

Quæres 4. *Quot ſint in Eccleſia Ordines?*

Reſp. Ex Concil. Trident. Sunt ſeptem, nempe, tres majores, *Presbyteratus*, *Diaconatus*, & *Subdiaconatus*; & quatuor minores, *Exorciſtatus*, *Lectoratus*, *Acolytatus*, & *Oſtiariatus*.

Ergo prima Tonſura non eſt Ordo, nullum enim habet officium annexum circa miniſterium Altaris: nihil ergo aliud eſt, quam; *ritus ab Eccleſia inſtitutus, quo quis a ſtatu Laicorum diſtinguitur, ut ad Ordines ſuſcipiendos melius diſponatur*. Atque eo titulo gaudet privilegio Canonis & Fori.

Quæres 5. *Utrum Epiſcopatus ſit Ordo a Presbyteratu natura diſtinctus?*

Reſpond. affirmat. Nam 1. Veram & ſpecialem poteſtatem indelebilem confert, ad ordinandos Miniſtros Eccleſiæ, & conferendum Sacramentum Confirmationis, quæ non poſ-

ſunt conferri a ſimplici Sacerdote: 2. Ordinatio Epiſcopalis habet materiam & formam a materia & forma ſacerdotali diſtinctam; ergo eſt Ordo diſtinctus, & Sacramentum diſtinctum.

Objicies: Epiſcopatus eſt tantum extenſio characteris Presbyteratus ad altiora munia; ergo, &c.

Reſpond. nego anteced. Nam ad extendendum characterem par requiritur efficacia, quæ requiritur ad imprimendum novum; non eſt ergo ratio cur Epiſcopatus novum non imprimat.

Inſtab. 1. Si Epiſcopatus eſſet Ordo diſtinctus, eſſent octo Ordines; atqui illud repugnat Concil. Trident. ergo.

Reſp. diſt. maj. Eſſent Octo Ordines, ſpecie infima, *conc.* ſpecie ſubalterna, *nego*. Itaque Ordo generatim ſumptus immediate dividitur in ſeptem ſpecies, quarum prima, nempe, Sacerdotium, ſubdividitur in Presbyteratum & Epiſcopatum, qui in Sacerdotio continetur tanquam nobilior ſpecies in ſuo genere.

Inſtab. 2. Epiſcopatus non habet habitudinem ad Euchariſtiam, diſtinctam ab ea quam habet Presbyteratus; ergo, &c.

Reſpond. nego antec. Dat enim poteſtatem ordinandi Sacerdotes, qui Euchariſtiam conſecrent.

Quæres 6. *Utrum jure divino Epiſcopi ſint Presbyteris ſuperiores?*

Reſp. affirm. Nam jure divino regunt Eccleſiam Dei, ac proinde & ipſos Presbyteros, Act. 22. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Quare Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *can.* 7. definit: *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores ... anathema ſit.*

Quæres 7. *Utrum omnes Ordinationes ſint Sacramenta?*

Reſp. 1. De fide eſt Presbyteratum eſſe proprie dictum Sacramentum: nam Concil. Trid. definivit ſacram Ordinationem eſſe Sacramentum proprie dictum; ergo Presbyteratus, qui eſt inter Ordines præcipuus, eſt Sacramentum.

Reſp. 2. Certum eſt Diaconatum eſſe verum Sacramentum: nam 1. Eſt cæremonia ſacra, Actor. 6. *Orantes impoſuerunt eis manus.* 2. Per illam cæremoniam confertur gratia ſanctificans, ex Trid. *can.* 4. definiente, *Per ſacram Ordinationem dari Spiritum ſanctum, nec fruſtra Epiſcopos dicere: accipe Spiritum ſanctum*; atqui in Ordinatione Diaconi dicitur: *Accipe Spiritum ſanctum*. 3. Eſt a Chriſto inſtituta, ex Trid. definiente, can. 6. *In Eccleſia Catholica eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris.* Per Miniſtros haud dubie intelligit ad minus Diaconos; ergo.

Reſp. 3. Probabilius eſt Subdiaconatum & minores Ordines eſſe proprie Sacramenta: nam illa opinio eſt conformior menti & doctrinæ Conciliorum; Florent. enim in decreto ait: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per ..... Subdiaconatus vero per Calicis vacui cum Patena vacua ſuperpoſita traditionem: & ſimiliter de aliis* (Ordinibus) *per rerum ad ſua miniſteria pertinentium aſſignationem*; ergo cum aſſignando materiam illius Sacramenti, aſſignet materiam Subdiaconatus & minorum, conſequens eſt illos Ordines eſſe Sacramenta ... 2. Poſtquam Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *can.* 2. enumeravit omnes Ordines, *can.* 3. definit, *Ordinem, ſeu*

ſa-

ſacram Ordinationem, eſſe vere & proprie Sacramentum a Christo Domino inſtitutum: ſed quidquid convenit generi, convenit etiam omnibus ſuis ſpeciebus; ergo ..... 3. Subdiaconatus & minores conferunt characterem poteſtatis ſpiritualis collativum, ut docet D. Thom. *q.* 35. *art.* 2. *ad* 1. & 2. Atqui hoc eſt proprium ſolius Sacramenti; ergo, &c.

Objicies 1. Scriptura nullam facit mentionem Subdiaconatus & minorum; ergo.

Reſpond. nego conſeq. Inde enim tantum concludi poteſt, quod Chriſtus per ſemetipſum non promulgaverit iſtos Ordines, ſed per Apoſtolos, a quorum traditione illorum ſeriem habemus.

Objicies 2. Subdiaconatus non ſemper, minores vero nunquam fuerunt Ordines ſacri; ergo, &c.

Reſpond. diſt. antec. Non ſunt ſacri, ex parte functionum, quæ non attingunt immediate res ſacras, & ex parte ſtatus ordinati, qui voto caſtitatis non eſt adſtrictus, *conc.* ex parte ſui, *nego*. Conferunt enim ſacram functionem.

Inſtab. Poſſunt exerceri a Laicis; ergo non ſunt ſacri ratione ſui.

Reſp. diſt. ant. Exerceri poſſunt a Laicis ex officio & ſolemniter, *nego*, ſecus, *conc.* alias nec diſtributio Euchariſtiæ, quæ olim fiebat a Laicis, nec Baptiſmus, qui etiam nunc in neceſſitate datur a Laicis, eſſent quid ſacrum.

§. II. *De materia & forma ſingulorum Ordinum.*

Quæres 1. *Quænam ſint materia & forma Epiſcopatus?*

Reſpond. Materia Epiſcopatus eſſentialis, eſt ſola manuum impoſitio ab Epiſcopo conſecra-

tore & aſſiſtentibus Epiſcopis facta; forma vero ſunt hæc verba impoſitioni manuum correſpondentia: *Accipe Spiritum ſanctum*. Cætera ad ſolam integritatem ordinationis pertinere videntur.

Quæres 2. *Quænam ſint materia & forma Presbyteratus?*

Reſpond. Eſt traditio calicis cum vino, & patenæ ſuperpoſitæ cum hoſtia, & ultima manuum impoſitio; forma vero ſunt hæc verba: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini, amen*: quæ correſpondent traditioni inſtrumentorum, & iſta: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*, quæ verba correſpondent impoſitioni manuum.

Objicies: Si tam impoſitio manuum, quam traditio inſtrumentorum eſt materia presbyteratus, erit duplex Sacramentum, falſum conſeq.

Reſp. nego ſeq. maj. Materiæ enim illæ partiales in unum confluunt Sacramentum, eo modo quo Euchariſtia unicum eſt Sacramentum, quamvis duas habeat partiales materias & formas.

Inſt. Ordinatio imprimit duos characteres, nam confert duas poteſtates; ergo ſunt duo Sacramenta.

Reſp. nego conſeq. Nam illi duo characteres ſunt partiales & inadæquati, qui in unum Sacramentum confluunt.

Quæres 3. *Quænam ſit materia & forma Diaconatus?*

Reſpond. Eſt impoſitio manus dexteræ a ſolo Epiſcopo facta ſuper caput ordinandi, cum hac forma: *Accipe Spiritum ſanctum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo & tentationibus ejus*

in

in nomine Domini. Et traditio libri Evangeliorum cum hac forma: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei pro vivis & defunctis*, &c.

Quæres 4. *Quænam ſit materia & forma Subdiaconatus?*

Reſp. Eſt traditio calicis vacui cum patena vacua: ſub hac forma: *Videte cujuſmodi miniſterium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos adhibeatis, ut Deo placere poſſitis.* Et traditio libri Epiſtolarum, ſub hac forma: *Accipe librum Epiſtolarum, & habe poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis....* onera Subdiaconi ſunt, recitatio officii divini, & votum caſtitatis Ordini ſuſcepto annexum.

Quæres 5. *Quænam ſint materia & forma Ordinum minorum?*

Reſp. 1. Materia Acolytatus, eſt traditio candelabri cum cereo extincto, ſub hac forma: *Accipe ceroferarium cum cereo*, &c. Et traditio urceolorum vacuorum, ſub hac forma: *Accipe urceolos ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam Sanguinis, in nomine Domini.*

2. Materia Exorciſtatus, eſt traditio libri exorciſmorum, ſub hac forma: *Accipe & commenda memoriæ, & habe poteſtatem manus imponendi ſuper energumenos, ſive baptizatos, ſive catechumenos.*

3. Materia & forma Lectoratus, eſt liber lectionum, ſub hac forma: *Accipe & eſto Verbi Dei relator, habiturus*, &c.

4. Materia & forma oſtiariatus, eſt traditio clavium Eccleſiæ, ſub hac forma: *Sic age, quaſi Deo redditurus rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.*

Quæres 6. *Quænam ſint Ordinum germanæ definitiones?*

Reſpond.

Reſpond. 1. Epiſcopatus definitur: *Ordinatio, qua, per manuum impoſitionem ab Epiſcopo conſecratore & aſſiſtentibus Epiſcopis factam, ſub præſcripta verborum forma, traditur Presbytero poteſtas regendi Eccleſiam Dei.*

2. Presbyteratus definitur: *Ordinatio, qua, per traditionem calicis cum vino, & patena cum hoſtia, & impoſitionem manuum, ſub præſcripta verborum forma, traditur poteſtas Euchariſtiam conficiendi, & a peccatis abſolvendi.*

3. Diaconatus definitur: *Ordinatio, qua, per traditionem libri Evangeliorum, & impoſitionem manuum, ſub præſcripta verborum forma, confertur poteſtas Evangelium legendi, & Sacerdoti immediate aſſiſtendi.*

4. Subdiaconatus definitur: *Ordinatio, qua, per traditionem calicis vacui cum patena vacua, & traditionem libri Epiſtolarum, ſub præſcripta verborum forma, confertur poteſtas legendi Epiſtolas in Eccleſia, & proxime inſerviendi Diacono ſolemniter miniſtranti.* Et ſic de cæteris ordinibus.

§. III. *De miniſtro, ſubjecto, & effectibus Ordinis.*

Quæres 1. *Quis ſit miniſter Ordinis?*

Reſp. 1. Miniſter ordinarius eſt ſolus Epiſcopus, ut definierunt Conc. Florent. in decreto, & Trid. *ſeſſ. 23. can. 7.*

Reſpond. 2. Simplex Sacerdos poteſt, ex commiſſione S. Pontificis, tonſuram & quatuor minores conferre, ut conſtat, tum ex cap. *requiſivit*, tit. de ordinatis ab Epiſcopo qui renuntiavit, in quo dicitur: *Minores ordines a non Epiſcopis quandoque conferuntur.* Tum ex Conc. Trid. *ſeſſ. 23. cap.* 10. in quo prohibetur Abbatibus, ne conferant *tonſuram vel minores Ordi-*

nes,

nes, niſi regularibus ſibi ſubditis; ergo, &c.

Quæres 2. *A quonam Epiſcopo Ordines debeant recipi?*

Reſp. A proprio Epiſcopo; nullo modo ab alieno, abſque litteris dimiſſoriis proprii Epiſcopi, ut ſtatuit Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *de reform.*

Quæres 3. *Quid ſit proprius Epiſcopus?*

Reſp. Triplex a Bonifacio VIII. *cap.* Cum nullus, *de temp. Ordinationis*, *in* 6. diſtinguitur, nempe, 1. *Originis*, in cujus Diœceſi quis natus eſt: 2. *Beneficii*, in cujus Diœceſi aliquis beneficium obtinet, modo tamen illud beneficium non fuerit per fraudem obtentum, ad quam vitandam Clerus Gallic. in comitiis anni 1657. ſtatuit neminem ordinandum abſque conſenſu Epiſcopi originis, exceptis caſibus neceſſitatis. *Puta*, inquit Habert in compend. *ſi difficilior ſit recurſus ad Epiſcopum originis, vel ſedes ejus vacet, & beneficium, ratione cujus ordinant, reſidentiam poſtulet.* 3. *Epiſcopus domicilii*, in cujus Diœceſi aliquis commoratur cum propoſito ibidem perpetuo manendi, excipitur familiaris Epiſcopi, quem juxta Trid. poteſt ordinare, *ſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim reipſa illi conferat.*

Quæres 3. *Quinam ſit ſubjectum Ordinis?*

Reſp. Eſt homo baptizatus; nam 1. Solus baptizatus eſt capax aliorum ſacramentorum. 2. Mulieres jure divino arcentur a ſacris miniſteriis, 1. Cor. 14. *Turpe eſt mulierem loqui in Eccleſia.*

Quæres 1. *Quid requiratur ad validam receptionem Ordinum?*

Reſpond. Requiritur *intentio*, ſine qua nulla & invalida foret ordinatio, ut probavimus in diſſert. de Sacramentis in genere.

Quæ-

Quæres 5. *Quænam requiruntur ad licitam receptionem Ordinum?*

Reſpond. Requiruntur novem: 1. *Vocatio Dei*, quia, *nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*, ait Apoſt. Hebr. 5. 2. *Status gratiæ*, quia eſt Sacramentum vivorum. 3. *Confirmatio & prima tonſura*, prout ſtatuit Concil. Trid. cap. 4. de ref. 4. *Congruæ ſuſtentationis titulus*, ſive ex beneficio, ſive ex patrimonio, ſive ex penſione, ita ut qui ficto titulo ordinatus fuiſſet, ab exercitio Ordinum *ipſo jure* ſuſpenſus foret, *Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. de reform.* Mendicantes tamen ordinantur ſub titulo paupertatis. 5. *Ætas legitima*, quæ eſt juxta Trid. annus 22. pro Subdiaconatu; 23. pro Diaconatu; 25. pro Presbyteratu: ſufficit autem annus ut ſit inchoatus. 6. *Tempus*, a jure ſtatutum pro ordinationibus. 7. *Obſervatio interſtitiorum*, prout ſtatuitur in Conc. Trident. 8. *Ut ordinatio non fiat per ſaltum*, id eſt, ut non ſuſcipiatur Ordo minor, omiſſo inferiori; alias, ſic ordinatus, eſſet ab exercitio Ordinis ſic ſuſcepti ſuſpenſus, cap. *tuæ litteræ*, de Clerico per ſaltum ordinato. 9. *Immunitas ab omni irregularitate*, ut infra probabitur.

Quæres 6. *Quinam ſint effectus Ordinis?*

Reſp. Sunt quatuor: 1. *Eſt gratia ſanctificans*, in augmento: 2. *Eſt gratia ſacramentalis*, quæ definitur: *Gratia habitualis, ſacræ poteſtatis traditiva, annexum habens jus ad gratias actuales neceſſarias ad officia cuilibet Ordini propria rite perſolvenda*. Gratia ergo ſacramentalis, nihil eſt aliud quam illud jus fundatum in gratia ſanctificante. 3. *Eſt character*, ratione cujus ordinatio ſemel valide data iterari non poteſt. 4. *Eſt cælibatus*, qui ſacris ordinibus eſt annexus & qui in hoc conſiſtit, ut qui in Eccleſia

latina

ſatina ſacris initiantur, nec matrimonium contrahere, nec matrimonio prius contracto uti poſſint: in Eccleſia vero græca liceat quidem ſacris initiatis (exceptis Epiſcopis) retinere uxores legitimas ante ordinationem ductas, & omni jure matrimonii uti, ſed omnino, & quidem ſub pœna depoſitionis, prohibitum ſit eis poſt ordinationem ducere uxores, ex Conc. Trid. *can. 6. & 12.*

§. IV. *De irregularitatibus.*

Quæres 1. *Quid ſit irregularitas?*

Reſp. Definitur: *Impedimentum canonicum, quo quis directe redditur inhabilis ad Ordines & beneficia licite ſuſcipienda, & eorum functiones obeundas.*

Dicitur 1. *Impedimentum*, ut diſtinguatur a cenſura, quæ eſt pœna.

Dicitur 2. *Canonicum*, quia non incurritur, niſi in caſibus a jure expreſſis.

Dicitur 3. *Quo quis directe*, ut iterum diſtinguatur a cenſuris, quæ nonniſi indirecte poſſunt impedire receptionem Ordinum: ideo enim excommunicatio impedit, quia non licet cum excommunicato communicare: ſuſpenſio impedit uſum Ordinum, non vero receptionem.

Dicitur 4. *Ad Ordines*, tam proprie dictos quam improprie, quale eſt tonſura.

Dicitur 5. *Et beneficia*, ad quæ irregularis dicitur ineligibilis, *cap. ult. de temporib. Ordin. in 6.*

Dicitur 2. *Et eorum functiones*, ut declaratur in toto tit. *de tempore ordin.*

Quæres 2. *Utrum quis in dubio, irregularis ſit judicandus?*

Reſpond. Judicandus eſt in dubio facti, ut definivit Clem. III. *capit.* ad audientiam, *de homic.*

homic. non vero in dubiis juris, quia id non exprimitur in jure.

Quæres 3. *Quam pœnam incurrat irregularis, qui exercet functiones Ordinis?*

Reſp. Licet peccet graviter, tamen nullam pœnam canonicam incurrit, quia nulla decernitur in jure.

Quæres 4. *Quotuplex ſit irregularitas?*

Reſpond. Dividitur 1. In *totalem*, quæ omnium Ordinum receptionem & uſum impedit, ut irregularitas ex homicidio. *Partialem*, quæ Ordinis ſuſcepti aliquem tantum uſum impedit, ſic Sacerdos cæcus, eſt irregularis ad Miſſam celebrandam, non ad audiendas confeſſiones. Et, *temporalem*, quæ impedit ad tempus ſuſceptionem Ordinum, ut *minor ætas* in puero.

Dividitur 2. In eam quæ eſt *ex defectu*, contrahiturque ſine peccato, & eam, quæ eſt *ex delicto*, contrahiturque propter peccatum grave, & actu externo conſummatum.

Quæres 5. *Quot ſint irregularitates ex defectu?*

Reſpond. Sunt octo, nempe;

1. Eſt *ex defectu animæ*, per quem intelligitur, 1. Defectus uſus rationis, ut in infantibus, amentibus, furioſis, energumenis, & epilepticis. 2. Defectus ſcientiæ competentis ad officia Ordinis rite obeunda. 3. Defectus fidei obfirmatæ, ut in Neophitis.

2. *Ex defectu corporis*, qui impediat decentem Ordinis executionem, vel ſcandalum, horrorem & contemptum perſonæ generet. Tales ſunt, 1. Qui carent indice vel pollice, vel oculo ſiniſtro. 2. Claudi, qui ſine baculo non poſſunt incedere, gibboſi, leproſi, tremuli manibus, hermaphroditi. 3. Eunuchi, qui ſibi virilia amputarunt abſque juſta cauſa, vel quibus in pœnam delicti amputata ſunt.

3. *Ex*

3. *Ex defectu natalium*, quem habent omnes illegitimi, etiam occulti.

4. *Ex defectu famæ*, quem habent omnes infames, ſive infamia juris, ſive facti. In Gallia tamen admittitur ſola infamia juris, declarata per ſententiam Judicis.

5. *Ex defectu ætatis*, qui contrahitur ab iis qui non habent ætatem a Canonibus præſcriptam pro receptione Ordinum.

6. *Ex defectu Sacramenti*, propter quem irregulares ſunt bigami, ſive bigamia ſit *vera*, qua quis duas uxores habuit, & cum eis Matrimonium conſummavit. Sive *interpretativa*, qua quis viduam duxit, aut ab altero corruptam; ſive *ſimilitudinaria*, qua quis poſt ſolemnem religionis profeſſionem, vel Ordinis ſacri ſuſceptionem, contrahit Matrimonium etiam cum virgine.

7. *Ex defectu lenitatis*, ex quo contrahunt irregularitatem omnes qui voluntarie & proxime, licet juſte, ad necem, vel mutilationem alicujus concurrunt, ſive *phyſice*, ut homicida, carnifex, ſive *moraliter*, ut accuſator, teſtis, notarius, judex, &c.

8. *Ex defectu libertatis*, irregulares ſunt, 1. *Servi*, quamdiu ſunt ſervi. 2. *Conjugati*. 3. *Curiales*, ut ſunt Judices, milites, quamdiu illi functionibus ſunt dediti. 4. *Obligati ad ratiocinia*, ut ſunt theſaurarii publici, tutores, curatores, procuratores, &c. donec reddiderint rationes, & ſuam depoſuerint obligationem.

Quæres. 6. *Quot ſint irregularitates ex delicto?*

Reſpond. Sunt quatuor: 1. *Provenit ex iteratione Baptiſmi*, propter quam irregulares ſunt omnes qui ſcienter & abſolute rebaptizant, rebaptizantur, & ex officio miniſtrant rebaptizanti.

2. *Ex*

2. *Ex hæreſi*, propter quam irregulares ſunt, non ſolum hæretici, ſed & eorum, receptatores, fautores, ipſorumque filii uſque ad ſecundam generationem ex linea paterna, & primam ex linea materna. Hæc juris diſpoſitio non viget in Gallia, ubi hæretici converſi non habentur irregulares.

3. *Ex indebitis ſuſceptione, vel uſu Ordinis*, propter quam irregulares ſunt, 1. Qui ſuſcipit Ordines per ſaltum, vel furtive; vel ligatus matrimonio; vel ab Epiſcopo non habente juriſdictionem; vel tandem, qui in excommunicatione majori ſuſcipit Ordinem ſacrum. 2. Qui ligatus excommunicatione majori, aut ſuſpenſione, aut interdicto, exercet actum proprium ſui Ordinis. Item, qui exercet actum proprium Ordinis, quem non habet: ii excipiuntur qui cum dalmatica, ſed ſine manipulo, vices Subdiaconi gerunt. Item qui ſcienter celebrat in loco interdicto.

4. *Ex homicidio, mutilatione, & abortu*, propter quam, irregulares fiunt, non ſolum qui homicidium voluntarium injuſte perpetrant, ſed & omnes cooperatores, verb. gr. mandantes, conſulentes, non impedientes, cum tenentur ex juſtitia impedire . . . . Ergo non incurritur irregularitas ex homicidio pure caſuali, omni diligentia adhibita, niſi occiſor vacaverit rei illicitæ, ut ſtatuit Gregor. IX. *cap.* Quidam, *de homicidio*.

Quæres 7. *Quomodo tolli poteſt irregularitas?*

Reſp. 1. Omnes irregularitates ex delicto, & omnes ex defectu qui non remanet poſt Baptiſmum, tolluntur per Baptiſmum. 2. Irregularitas ex defectu temporali, tollitur per ceſſationem defectus. 3. Irregularitas ex defectu natalium, tollitur per ſolemnem Religionis profeſſionem, ſed quoad Ordines tantum, non

quoad

quoad prælaturas & dignitates. 4. Tollitur per diſpenſationem.

Quæres 8. *Quis diſpenſare poſſit in irregularitate?*

Reſpond. 1. S. Pontifex poteſt diſpenſare in omni irregularitate jure humano inducta. 2. Epiſcopus, ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 6. poteſt *diſpenſare in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, nec ad forum contentioſum deducto, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario:* ſed nullo modo poteſt diſpenſare in irregularitate ex defectu, excepta ea quæ provenit ex defectu natalium, in qua poteſt diſpenſare ad Tonſuram, minores Ordines, & beneficia ſimplicia non requirentia ſuſceptionem Ordinis ſacri, ex cap. *Is qui*, de filiis Presbyterorum, in 6.

§. V. *De Cenſuris.*

Quæres 1. *Quid ſit cenſura?*

Reſp. Definitur: *Pœna, ab eccleſiaſtica poteſtate inflicta, hominem viatorem, baptizatum, adultum delinquentem privans uſu bonorum Eccleſiæ ſpiritualium & communium, donec a contumacia reſipiſcat.*

Dicitur 1. *Pœna:* per quod convenit cum depoſitione, degradatione, &c.

Dicitur 2. *Ab eccleſiaſtica poteſtate inflicta:* quia eſt actus juriſdictionis ſpiritualis a Chriſto conceſſæ prælatis Eccleſiæ, his verbis: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo.*

Dicitur 3. *Hominem viatorem baptizatum:* quia ſolus viator & baptizatus ſunt ſubditi Eccleſiæ.

Dicitur 4. *Adultum*, quia infantes non ſunt capaces peccati. Quoad impuberes adultos, poſ-

poſſunt equidem ligari cenſura *a jure*, non vero cenſura *ab homine*, quia non cenſentur habere ſufficientem maturitatem ad intelligendum Ordinem judiciarium.

Dicitur 5. *Delinquentem*; quia gravis pœna ſupponit grave peccatum: quod debet eſſe. 1. *Externum*. 2. *Mortale*, vel ex ſe, vel ex circumſtantiis. 3. *Opere completum & conſummatum*, niſi aliud exprimatur in lege. 4. *Cum contumacia conjunctum*, id eſt, cum præcepti & cenſuræ contemptu.

Dicitur 6. *Privans uſu*, non autem ipſa poteſtate, v. g. titulo beneficii:

Dicitur 7. *Bonorum ſpiritualium* non temporalium, niſi ſecundario: *Et communium*, nempe publicorum Eccleſiæ ſuffragiorum, ſacrificiorum, Sacramentorum, & aliorum, quæ diſpenſat Eccleſia.

Dicitur 8. *Donec contumacia reſipiſcat*, ut denotetur finis cenſuræ, quæ eſt pœna *medicinalis, non mortalis*, ait Innoc. IV.

Quæres 2. *Quænam cauſæ excuſent a cenſuris?*

Reſp. Quatuor: nempe, 1. Ignorantia invincibilis, ſive juris, ſive facti. 2. Impotentia moralis. 3. Metus gravis, 4. Invaliditas cenſuræ, non vero ejus injuſtitia.

Quæres 3. *Quid requiratur, ut cenſura ab homine, ſit valida?*

Reſp. Requiritur 1. Juriſdictio in ferente. 2. Culpa mortalis in ſubjecto. 3. Ut præceſſerit una ſaltem monitio, quæ abſolute ſpectat ordinem ſubſtantialem Judicii.

Quæres 4. *Quid requiratur, ut cenſura ſit juſta?*

Reſp. Requiritur, ut accidentalis ordo Judicii obſervetur, juxta quem. 1. Debet præcedere trina monitio. 2. Sententia debet ferri ſcripto. 3. Denuntiatio illius qui cenſuram con-

ſtra-

traxit, debet fieri publice in Eccleſia, vel ad valvas Eccleſiæ affigi, juxta morem receptum cujuſque Diœceſis.

Quæres 5. *Quinam abſolvere poſſint a cenſura?*

Reſp. 1. Quilibet Sacerdos poteſt abſolvere, 1. A cenſuris non reſervatis; 2. Ab omnibus reſervatis, in articulo mortis.

Reſp. 2. A cenſura ab homine, per ſententiam particularem lata, nullus poteſt abſolvere, niſi qui eam tulit; vel S. Pontifex vel etiam Metropolitanus, ſed jure duntaxat viſitationis, aut appellationis.

Reſp. 3. A cenſura a jure, vel per ſtatutum lata, quam ſibi Legislator reſervavit, nemo poteſt abſolvere, niſi qui eam tulit, vel ejus ſuperior, vel ab ipſo delegatus . . . . . Porro Epiſcopi, velut Papæ delegati, poſſunt abſolvere ab omnibus cenſuris Papæ reſervatis. 1. Quando caſus ſunt occulti, nec ad forum contentioſum deducti. 2. Quando rei ſunt impuberes, ſenes, debiles: vel quando non ſunt ſui juris, ut mulieres, filii familias; vel quando, ob legitimum impedimentum, non poſſunt recurrere ad Papam . . . Sic tamen abſoluti, ceſſante impedimento, tenentur, ſub pœna reincidentiæ, ſe ſiſtere coram Papa, vel ejus Legato, ut mandata ejus ſuſcipiant, *cap.* Mulieres, *& cap.* de cætero, *de ſent. excomm.*

Quæres 6. *Quomodo dividatur cenſura?*

Reſp. Dividitur 1. In eam, quæ eſt a jure, & eam, quæ eſt ab homine; & utraque, vel eſt latæ ſententiæ, vel ferendæ.

Cenſura, *a jure*, eſt ea, *quæ per Canones, ſeu ſtatutum perpetuum fertur generaliter in omnes ſubditos* . . . Cenſura *ab homine*, eſt ea; *quæ per ſententiam Judicis, aut præceptum tranſitorium, fertur propter factum particulare, vel in perſonas particulares.*

Cen-

Cenſura *lata ſententia*, eſt ea, *quæ incurritur ipſa criminis admiſſione abſque ulla ulteriori Judicis ſententia* . . . . Cenſura *ferendæ ſententiæ*, eſt ea, *quæ non contrahitur, niſi accedente Judicis ſententia*: unde vocatur, *comminatoria*. Porro, in dubio utrum ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ, cenſenda eſt ferendæ; quia, *in pœnis benignior eſt interpretatio facienda*, ait: *Reg. 49. jur. in 6.*

Quæres 7. *Quotuplex ſit cenſura?*

Reſp. Eſt triplex, nempe excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum; ita ſtatuitur, *cap.* quærenti, *de verbor. ſignif.*

De Excommunicatione.

Quæres 1. *Quotuplex ſit excommunicatio?*

Reſp. Duplex, nempe, *major*, qua quis privatur omnibus Eccleſiæ bonis communibus, & *minor*, qua quis privatur participatione Sacramentorum, & electione paſſiva ad dignitates & beneficia Eccleſiaſtica. Hæc ſolum contrahitur propter illicitam cum excommunicato non tolerato converſationem.

Quæres 2. *Quinam excommunicati ſint vitandi?*

Reſp. Poſt Bullam Martini V. *Ad evitanda*, ii ſolum ſunt vitandi. 1. Qui per ſententiam Judicis Eccleſiaſtici nominatim ſunt excommunicati, ac ſpecialiter & publice denuntiati. 2. Notorius Clerici percuſſor: verum in Gallia nulla admittitur notorietas facti, unde percuſſor Clerici non eſt vitandus donec per ſententiam Judicis ſit declaratus.

Quæres 3. *Quot ſint effectus excommunicationis majoris?*

Reſp. Sunt ſeptem.

1. Eſt

1. Eſt privatio communium Eccleſiæ ſuffragiorum, etiamſi excommunicatus Deo per contritionem ſit reconciliatus.

2. Eſt privatio adminiſtrationis & receptionis Sacramentorum.

3. Eſt privatio facultatis audiendi Miſſam, & officiis publicis aſſiſtendi.

4. Eſt inhabilitas ad dignitates & beneficia Eccleſiaſtica acquirenda.

5. Eſt privatio exercitii liciti omnis juriſdictionis ſpiritualis: immo & exercitii validi, ſi ſit nominatim denuntiatus, nec toleratus, ut refert Gloſſa, *in cap.* Ad probandum, *de ſent. & re judicata*. Hinc licet excommunicatus non toleratus, poſſit valide conſecrare, quia conſecratio eſt actus Ordinis, non poteſt tamen valide abſolvere, quia abſolutio eſt actus juriſdictionis.

6. Eſt privatio omnis communicationis cum fidelibus; unde diſtinctio tolerati a non tolerato, non eſt in favorem excommunicati, ſed in favorem fidelium, qui non peccant communicando cum excommunicato tolerato licet peccet excommunicatus toleratus communicando cum fidelibus.

7. Eſt privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ, ſi excommunicatus non ſit toleratus: ſi tamen ante mortem ſigna pœnitentiæ dederit, debet abſolvi, & Eccleſiaſtica ſepultura donari.

Quæres 4. *Quot ſint actus in quibus fideles tenentur vitare excommunicatos non toleratos?*

Reſp. Sunt quinque, verſu ſequenti expreſſi:

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Os, ſignificat omnem allocutionem, ſive verbo, ſive ſcripto. *Orare*, ſignificat omnem in

orationibus communicationem, tam intra, quam extra Eccleſiam: *Vale*, ſignificat ſalutationem honorificam; ſive verbo, ſive nutu, ſive facto. *Communio*, ſignificat omnem ſocietatem, ſive in habitatione, ſive in contractibus. *Menſa*, ſignificat omnem in cibo & potu participationem.

Quæres 5. *In quibus caſibus jura permittunt communicare cum excommunicato vitando?*

Reſp. Sunt quinque, hoc verſu comprehenſi:

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Per *utile*, intelligitur utilitas ſpiritualis, vel corporalis, tum noſtra, tum excommunicati. Per *lex*, intelligitur matrimonium. Per *humile*, intelligitur officium ſubjectionis, quam debent filii parentibus, famuli dominis. Per *res ignorata*, intelligitur ignorantia juris & facti, modo non ſit craſſa & affectata. Per *neceſſe*, intelligitur neceſſitas vel ſpiritualis, vel corporalis, tum noſtra, tum excommunicati.

Quæres 6. *Quam pœnam incurrant, qui communicant cum excommunicatis non toleratis?*

Reſp. Incurrunt excommunicationem minorem: immo incurrunt majorem; 1. Cum communicant in crimine crimino ſo. 2. Cum excommunicatum in loco ſacro ſepeliunt. 3. Cum eum admittunt ad divina officia, vel coram illo ſcienter Miſſam celebrant.

Quæres 9. *Quinam ſint effectus excommunicationis minoris?*

Reſp. Sunt duo; 1. eſt privatio receptionis Sacramentorum; non vero adminiſtrationis. 2. Privatio electionis paſſivæ ad dignitates & beneficia Eccleſiaſtica: poteſt ergo eligere, ſed non eligi.

Quæres 8. *Quid ſit monitorium?*

Reſp.

Reſpond. Definitur, *mandatum Judicis Eccleſiaſtici, quo, ſub pœna excommunicationis poſt trinam monitionem incurrendæ, jubet revelari auctores criminis reipublicæ pernicioſi, vel gravioris damni proximo illati.*

Quæres 9. *Quinam excuſentur ab obligatione revelandi?*

Reſpond. Excuſantur, 1. Infantes. 2. Ii qui non ſunt ſubditi Prælati, qui Monitorium decernit. 3. Qui ex revelatione cum fundamento timent grave damnum, vel ſui, vel familiæ. 4. Conſanguinei uſque ad 4. gradum incluſive, & affines uſque ad 2. 5. Ii quibus delictum revelatum eſt capiendi conſilii cauſa. 6. Fidus amicus. 7. Clerici, dum illorum revelatione aliquis extremo ſupplicio plecti poſſet, exceptis cauſis læſæ majeſtatis, hæreſis, &c. tamen in Gallia Clerici in cauſa ſanguinis, licite & abſque periculo irregularitatis, ferunt teſtimonium. 8. Is qui certo novit detentorem, juſto titulo rem poſſidere. 9. Reus & complices, qui nec ſeipſos, nec ſocios criminis tradere tenentur. 10. Famuli rei, ſi a Judice non interrogentur, qui tamen tenentur revelare, ſi a Judice interrogentur.

De Suſpenſione.

Quæres 1. *Quid ſit ſuſpenſio?*

Reſp. Eſt, *cenſura, qua Clericus privatur uſu officii eccleſiaſtici, vel beneficii, vel utriuſque ſimul.* Ergo ſolus Clericus poteſt eſſe ſubjectum ſuſpenſionis.

Quæres 2. *Quotuplex ſit ſuſpenſio?*

Reſpond. Duplex, nempe, totalis & partialis. Suſpenſio, *totalis*, eſt ea, qua Clericus privatur uſu eccleſiaſtici officii, & beneficii ſimul.

Suſpenſio *partialis*, eſt ea, qua Clericus privatur uſu, vel Ordinis tantum; vel juriſdictionis tantum; vel officii tantum, ad quod pertinet poteſtas Ordinis & juriſdictionis; aut uſu beneficii tantum. Verum hæc ultima ſuſpenſio locum non habet in Gallia, ubi Clericus, quamdiu non eſt depoſitus, nec ſpoliatus beneficii titulo, non poteſt, ſine abuſu, privari fructibus beneficii per Judicem eccleſiaſticum.

Quæres 3. *Quinam ſint effectus ſuſpenſionis?*
Reſp. Suſpenſus *ab Ordine*, exercendo functiones Ordinis, fit irregularis. 2. Suſpenſus *ab officio*, eſt inhabilis ad acquirenda beneficia.

De Interdicto.

Quæres 1. *Quid ſit interdictum?*
Reſpond. Definitur: *Cenſura privans hominem, vel locum, vel utrumque ſimul, publica divinorum officiorum celebratione, aliquorum Sacramentorum adminiſtratione, & uſu eccleſiaſticæ ſepulturæ.*

Ergo, triplex eſt interdictum, *Perſonale*, quo quibuſdam perſonis ubique prohibetur divinorum officiorum auditio, aliquorum Sacramentorum participatio, ac ſepultura eccleſiaſtica. *Locale*, quo prohibetur ne in aliquo loco celebrentur officia divina, adminiſtrentur aliqua Sacramenta, neve quiſquam in eo ſepeliatur. *Mixtum*, quod conflatur ex locali & perſonali, omneſque illorum producit effectus.

Ergo non privat adminiſtratione omnium Sacramentorum, ſed quatuor tantum; ſcilicet Euchariſtiæ reſpectu ſanorum., Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii, *ex c.* alma, *de ſent. excomm. in 6.*

Quæ-

Quæres 2. *Quas pœnas incurrant qui violant interdictum?*

Reſpond. 1. Clerici, ſi exerceant actum proprium Ordinis, fiunt irregulares: ſi ſepeliant in loco interdicto, incurrunt excommunicationem Epiſcopo reſervatam. 2. Laici incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam. 3. Regulares, qui non ſervant interdictum locale generale, quando ſervatur ab Eccleſia matrice loci in quo habitant, excommunicationem ipſo facto incurrunt, *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de reform.*

Cætera quæ pertinent ad interdictum, vide *Tom.* 2. *art.* 4. *de interdicto.*

De ceſſatione a divinis, depoſitione, &c.

Quæres 1. *Quid ſit ceſſatio a divinis?*

Reſp. Eſt, *prohibitio celebrandorum officiorum divinorum, adminiſtrandorum aliquorum Sacramentorum, & eccleſiaſticæ ſepulturæ ab homine vel a jure facta ob juſtam cauſam*, v. grat. ob pollutionem Eccleſiæ . . . ex hoc patet quod producat eoſdem effectus ac interdictum; ejus tamen violatio non inducit irregularitatem, quia non eſt cenſura; ſed regulares eam violantes incurrunt ipſo facto excommunicationem. *Clem.* 1. *de ſent. excomm.*

Quæres 2. *Quid ſit depoſitio?*

Reſp. Eſt, pœna eccleſiaſtica, qua Clericus in perpetuum privatur omni beneficio & officio Clericali, retento ſolo privilegio Canonis & fori.

Quæres 3. *Quid ſit degradatio?*

Reſpond. Eſt, pœna eccleſiaſtica, qua Clericus in perpetuum & ſolemniter privatur, non ſolum omni officio & beneficio Clericali,

ſi, ſed etiam privilegio Canonis & fori, retento ſolo charactere, *capit.* degradatio, *de pœnis*, *in* 6.

DISSERTATIO VIII.

De Matrimonio.

AGemus 1. De ſponſalibus. 2. De exiſtentia & eſſentia Matrimonii. 3. De miniſtro & conſenſu requiſito. 4. De ejus bonis & proprietatibus. 5. De ejus impedimentis. 6. De diſpenſatione ab ejus impedimentis.

§. I. *De ſponſalibus.*

Quæres 1. *Quid ſint ſponſalia?*

Reſp. Definiuntur: *Futuri Matrimonii promiſſio*, quæ debet eſſe 1. *Libera*, id eſt, ſine coactione, & metu gravi injuſte incuſſo, quo Matrimonium redditur nullum, ac proinde ſponſalia, quæ naturam Matrimonii ſequuntur. 2. *Mutua, & acceptata*, quia eſt contractus oneroſus. 3. *Vera*, non ficta. 4. *Facta inter perſonas legitimas*, id eſt, habiles ad contrahendum ſuo tempore Matrimonium.

Quæres 2. *Quos effectus producant ſponſalia?*

Reſp. Duos: 1. Eſt impedimentum publicæ honeſtatis, quod ex eis oritur. 2. Eſt gravis obligatio contrahendi Matrimonii tempore præfinito, niſi adſit juſta cauſa differendi.

Quæres 3. *Quot modis ſponſalia, etiam juramento firmata, diſſolvi poſſint?*

Reſp. Diſſolvuntur 1. Mutuo & libero ſponſi & ſponſæ conſenſu. 2. Per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum. 3. Per ingreſſum religionis,

nis, ſaltem quoad partem in ſæculo manentem. 4. Per ſubſequens Matrimonium cum altero contractum. 5. Per ſupervenieus impedimentum affinitatis. 6. Per ſubſequentem unius fornicationem. 7. Per notabilem mutationem ſupervenientem, talis eſt notabilis difformitas, infirmitas, morbus contagioſus, hæreſis, graves inter diſpenſatos, vel inter utramque familiam inimicitiæ. 8. Per diuturnam abſentiam unius partis ſine conſenſu alterius. 9. Per reclamationem, ſi ante pubertatis annos ſponſalia contraxerint.

Quæres 4. *An proclamatio bannorum ſit neceſſaria?*

Reſp. Eſt neceſſaria, neceſſitate præcepti Eccleſiæ in Concil. Later. IV. & Trident. intimati: non autem eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti.

Quæres 5. *Quinam teneantur revelare impedimentum?*

Reſpond. Omnis qui illud extra confeſſionem novit, etiamſi illud ſub juramento promiſiſſet occultare, quia juramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis.

Quæres 6. *Ad quos pertineat facultas diſpenſandi a proclamationibus?*

Reſp. Ad Epiſcopum, qui ex Trident. non debet diſpenſare ſine cauſa, cujus tamen judicium Epiſcopi *prudentiæ & judicio* remittit.

§. II. *De exiſtentia & eſſentia matrimonii.*

Quæres 1. *Quomodo dividitur Matrimonium?*

Reſp. Dividitur in legitimum, ratum, & conſummatum.

Legitimum, eſt illud quod inter perſonas a lege non prohibitas contrahitur. Tale eſt Matrimonium non baptizatorum.

Ra-

Ratum, eſt illud quod a ſolis fidelibus contrahitur, eſtque in ipſis Sacramentum, ratione cujus fit ratum, id eſt, indiſſolubile.

Conſummatum, eſt illud, quod, accedente copula carnali, extrinſece completur.

Quæres 2. *Quid ſit Matrimonium?*

Reſp. 1. Matrimonium, ſumptum pro contractu, definitur: *Contractus quo vir & femina ſibi invicem legitime tradunt & accipiunt corporum ſuorum dominium perpetuum ad actum conjugalem*. Cui definitioni ſi addideris has voces: *Elevatus a Chriſto ad gratiam ſignificandam & conferendam*, habebis definitionem Matrimonii ut eſt Sacramentum.

Reſp. 2. Matrimonium, ſumptum pro vinculo ex contractu habitualiter permanente, definitur: *Viri ac mulieris conjunctio maritalis inter perſonas legitimas, individuam,* (id eſt, perpetuam) *vitæ conſuetudinem retinens:* cui in nova lege addi debet: *Significativa & collativa gratiæ*. Ergo non poteſt ſolvi mutuo partium conſenſu.

Quæres 3. *Utrum Matrimonium, in nova lege, ſit proprie dictum Sacramentum?*

Reſp. affirm. Ita enim definivit Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *can.* 1. his verbis: *Si quis dixerit Matrimonium non eſſe vere unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutum.... nec gratiam conferre anathema ſit.*

Prob. 1. Ex Script. Epheſ. 5. *Propter hoc*, inquit Apoſtol. *relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una; Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

Prob. 2. *Ex* tradit. *In noſtratum quippe nuptiis*, ait Div. Auguſt. lib. de bono conjugii, cap. 18. *plus valet ſanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.*

Prob. 3.

Prob. 3. *Ratione*. Quia Matrimonium habet omnia ad Sacramentum proprie dictum requiſita: nam 1. Eſt ſignum ſenſibile, nempe, conjunctio maritalis, quæ ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia. 2. Eſt productivum gratiæ ſanctificantis, ut ex Epheſ. 5. aſſerit Concil. Trid. 3. Eſt a Chriſto inſtitutum dicente, Matthæi 19. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. 4. Eſt conſtans & perpetuum in Eccleſia, ut conſtat ex uſu Eccleſiæ nunquam interrupto.

Quæres 4. *Utrum Matrimonii uſus ſit licitus & honeſtus?*

Reſpond. affirm. Nam Apoſt. Hebr. 13. ait: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus:* immo 1. Cor. 7. præcipit, ut *uxori vir debitum reddat; & uxor viro;* & infra addit eum bene facere, *qui matrimonio jungit virginem ſuam.*

Objicies: Actum conjugii nonniſi ex indulgentia concedit Apoſtolus, 1. *Cor.* 7. ergo.

Reſp. diſt. ant. Tanquam minus bonum comparate ad virginitatem, *conc.* tanquam malum, *nego*. Alias nullo modo illum conceſſiſſet Apoſtolus.

Inſt. Actus conjugalis pudet conjuges; ergo.

Reſp. diſt. ant. Actus conjugalis pudet conjuges ratione inordinatorum concupiſcentiæ motuum qui ſemper illum comitantur, *conc.* ratione ſui, *nego*. Unde in ſtatu innocentiæ non ipſos puduiſſet.

Quæres 5. *Quare Matrimonium dicatur magnum Sacramentum?*

Reſp. Dicitur propter triplicem ſignificationem 1. Unionis Dei cum anima. 2. Chriſti cum Eccleſia. 3. Verbi divini cum humanitate.

Quæres 6. *Quanam ſit materia Sacramenti Matrimonii?*

Reſpond. Materia *remota* ſunt contrahentium cor-

corpora ; proxima vero eſt corporum traditio ad actum conjugalem; nam ſunt materia contractus ; atqui Chriſtus circa contractum nihil immutavit, niſi quod eum ad rationem Sacramenti elevaverit; ergo.

Quæres 7. *Quænam ſit forma Matrimonii?*

Reſp. Eſt mutuus contrahentium conſenſus, verbis, aut nutibus expreſſus: quia determinat corporum traditionem ad eſſe firmum & ratum contractum.

§. III. *De miniſtro Matrimonii, & conſenſu ad eam requiſito.*

Quæres 1. *Quinam ſit miniſter Matrimonii?*

Reſp. Sunt ipſi contrahentes : conſtat 1. Ex Concilio Flor. dicente : *Septimum, eſt Sacramentum Matrimonii . . . cauſa efficiens Matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus.* 2. Ex Concil. Trid. definiente : *Clandeſtina Matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe Matrimonia, quandiu Eccleſia ea irrita non fecit.* Atqui Matrimonium non eſt *ratum*, niſi quatenus eſt Sacramentum, ut definivit Innocentius III. cap. *Quanta*, de divortiis : *Etſi Matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum ; inter fideles autem verum & ratum exiſtit.*

3. Sacramentum Matrimonii eſt eſſentialiter contractus; ſed in omni contractu contrahentes ſunt miniſtri. 4. Conſtat ad validitatem Sacramenti ſufficere præſentiam Parochi, etiam diſſentientis & contradicentis; ergo.

Objicies 1. Ex Concil. Trid. Sacerdos conjungit contrahentes, dicens : *Ego vos in Matrimonium conjungo;* ergo.

Reſp. diſt. Conjungit approbative, *conc.* efficien-

ſicienter, *nego*. Certum eſt enim quod aliis verbis uti poſſet, ad ſuam approbationem manifeſtandam; *Vel aliis utatur verbis*, ait Concil. Trident. quæ verba exponentes Cardin. Concil. Tridentini interpretes, dicunt: *Etſi Parochus nihil dicat, conſtat tamen Matrimonium, modo partes contrahant & Parochus ſit præſens, & intelligat quod agitur, licet diſſentiat & contradicat.*

Objicies 2. Concil. Mediolanenſe V. ait: *Cum Sacramenta quinque tantum, ſcilicet, Baptiſmum . . . . . Matrimonium . . . . adminiſtrare poſſit*. Ergo Parochus eſt miniſter Matrimonii.

Reſpond. diſt. conſeq. Eſt miniſter improprie, *conc.* proprie, *nego*. Miniſterium ergo Sacerdotis importat puram ſolemnitatem Matrimonii in facie Eccleſiæ, quæ ex decreto Trid. eſt conditio neceſſaria ut valeat Sacramentum.

Inſt. In Sacerdotali Romano legitur: *Sacerdos proferat verba, quæ ſunt forma hujus Sacramenti cum conſenſu utriuſque*. Ergo.

Reſp. diſt. ant. Sunt forma Sacramenti integraliter ſumpti, *conc.* eſſentialiter ſumpti, *nego*. Forma igitur Sacramenti Matrimonii integraliter ſumpti, conſtat tum ex utriuſque contrahentis conſenſu ejus eſſentiam conſtituente, tum ex Sacerdotis verbis ad ejus ſolemnitatem pertinentibus.

Quæres 2. *Quodnam debeat eſſe conſenſus matrimonialis objectum?*

Reſp. Debet eſſe mutua & irrevocabilis in corpora poteſtas, quam neceſſario & eſſentialiter debent intendere contrahentes, cum is ad materiam Matrimonii ſubſtantialem ſpectet: ſed non requiritur ut intendatur uſus Matrimonii, ſeu copulæ carnalis: nam Matrimonium B. M. Virginis cum S. Joſepho fuit verum; atqui

qui tamen neuter conſenſit in copulam, immo ſe per votum obligaverunt ad abſtinendum ab ea; ergo, &c. Ratio eſt, quia uſus rei, de qua contrahitur, non pertinet ad eſſentiam contractus, ſed eſt quid illam conſequens.

Objicies : Eſſentiale eſt Matrimonio, ut ad generationem ordinetur; atqui Matrimonium, in quo excluditur copula, non ordinatur ad generationem; ergo.

Reſp. diſt. maj. Ut ordinetur radicaliter, remote, & implicite, *conc.* proxime, actualiter, & explicite, *nego*. Porro Matrimonium, in quo per votum caſtitatis excluditur copula, ordinatur radicaliter & remote ad generationem, quatenus confert veram poteſtatem ad illam, licet, propter votum emiſſum, hæc poteſtas non ſit libera, expedita, & proxima.

Quæres 3. *Qualis debeat eſſe conſenſus matrimonialis?*

Reſp. Debet eſſe 1. *Verus, mutuus, & aliquo ſigno externo expreſſus.* Id enim exigit natura contractus oneroſi. 2. *Debet eſſe de præſenti.* Per quod differt a ſponſalibus de futuro. 3. *Conſenſus utriuſque debet eſſe ſimul moraliter*, alias non eſſet mutuus duorum in idem conſenſus. 4. *Debet eſſe omnino liber*, ita ut ſit immunis a metu gravi, injuſte, a cauſa libera, ad hoc incuſſo, ut diximus in tractatu de contractibus.

Quæres 4. *Utrum ad valorem Matrimonii filiorum familias, requiratur conſenſus parentum?*

Reſp. Licet requiratur ut Matrimonium ſit licitum, tamen non requiritur ut valeat: nam Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. *Eos anathemate damnat, qui falſo affirmant matrimonia a filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe & parentes ea rata vel irrita facere poſſe.* Ratio eſt, quia omnis homo,

mo, ſufficienti ratione & legitima ætate præditus, plenum atque integrum habet dominium in corpus ſuum independenter a parentibus.

Objicies: Juribus regni Galliæ, Matrimonia ſine conſenſu parentum contracta, declarantur irrita, ut conſtat ex edicto Henrici III. in comitiis Bleſenſibus, *art.* 40. *&* 41. ergo.

Reſp. diſt. ant. Declarantur irrita, quoad effectus civiles, *conc.* quoad effectus ſacramentales, *nego*, nam in ipſos non habet jus poteſtas civilis. Præterea hæc clauſula edicti Bleſenſis: *Invalide contractum*, ſpectat duntaxat Matrimonium, aut clandeſtine, aut in raptu contractum, quæ ſunt duo impedimenta dirimentia, id patet, tum ex attenta lectione articuli Bleſenſis, tum ex Henrico IV. qui dictam clauſulam interpretatur de Matrimoniis clandeſtinis: *Quæ*, inquit, *coram Eccleſia cum forma & ſolemnitate requiſita, celebrata non fuerint; quandoquidem pœna hæc per Concilia indicta eſt ac decreta*. Atqui certum eſt pœnam nullitatis non decerni a Conciliis in Matrimonia, quibus tantum deeſt conſenſus parentum; ergo.

Inſt. Ludovicus XIII. in art. 39. edicti quod ann. 1629. emiſit circa Matrimonia, ſic jubet: *Statutum Bleſenſe de Matrimoniis clandeſtinis ad amuſſim ſervabitur, & illi addendo, volumus omnia Matrimonia, contra dicti ſtatuti tenorem contracta, declarari invalide contracta: obligabunturque judices Eccleſiaſtici cauſas matrimoniales huic articulo dijudicare;* ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Rex Chriſtianiſſimus vult illa Matrimonia *declarari invalide contracta*, quoad effectus civiles, *conc.* quoad effectus ſacramentales, *nego*. Nam cum Clerus Gallicanus Regem rogaſſet ut edictum ſuum vellet interpretari, *ad duarum difficultatum elucidationem*.

1. *Eſt, ut non aliter intelligantur hæ voces, valide aut invalide contractum Matrimonium, quam per relationem ad contractum civilem, & nullatenus ad contractum ſpiritualem Sacramenti;* Reſpondit Rex: *Commonitio Cleri Gallicani, quod ſpectat ad priorem difficultatem, ſic reſoluta fuit. Valide aut invalide contracta Matrimonia non eſſe aliter explicanda, quam per ſolam relationem ad contractum civilem per Laicos Judices.* Quæ explicatio tollit omnem difficultatem.

§. IV. *De bonis & proprietatibus Matrimonii.*

Quæres 1. *Quot ſint bona Matrimonii?*

Reſp. Tria, nempe, *fides*, per quam intelligitur unitas & indiſſolubilitas matrimonii; *proles*; per quam intelligitur prolis ſuſceptio & educatio ad cultum Dei; & *Sacramentum*, per quod ſignificatur tum gratia ſanctificans ſecunda, tum gratia ſacramentalis.

Quæres 2. *Quot ſint proprietates Matrimonii?*

Reſp. Sunt tres; 1. Eſt *unitas*, id eſt, unius cum una conjunctio, cui opponitur poligamia. 2. Eſt *indiſſolubilitas*. 3. Eſt *caſtitas* conjugalis.

Quæres 3. *Quotuplex ſit poligamia?*

Reſp. Duplex, nempe, *ſucceſſiva*, quæ *bigamia* dicitur, eſtque ulterius connubium poſt mortem compartis; & *ſimultanea*, quæ proprie dicitur *poligamia*, eſtque connubium unius viri cum pluribus ſimul uxoribus, vel unius uxoris cum pluribus ſimul viris.

Quæres 4. *Utrum bigamia ſit licita?*

Reſp. affirm. Ita definivit Eccleſia contra Montaniſtas & Novatianos: nam Apoſt. 1. *Cor.* 7. ait: *Mulier alligata eſt legi* (Matrimonii) *quanto tempore vir ejus vivit: quod ſi dormierit vir ejus,*

-rius, liberata eſt, cui vult nubat, tantum in Domino. Unde Concil. Flor. ait: *Declaramus non ſolum ſecundas, ſed tertias, & quartas, atque ulteriores nuptias ... licite contrahi poſſe.*

Quæres 5. *Utrum poligamia ſimultanea ex parte mulieris, ſit jure naturali prohibita?*

Reſp. affirmat. Nam adverſatur primario fini Matrimonii, nempe, prolis generationi, & educationi; unde nunquam fuit, nec potuit eſſe in uſu.

Quæres 6. *Utrum poligamia ſimultanea ex parte viri, ſit contra jus naturale?*

Reſp. Eſt contra jus naturale variabile; ſic enim habetur Geneſ. 2. *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*. Atqui in poligamia ſimultanea, non duo, ſed plures eſſent in carne una; ergo.

Objicies: Jacob, David, & alii Patriarchæ plures habuerunt ſimul uxores; ergo, plures habere uxores, non eſt contra jus naturale.

Reſp. diſt. ant. Habuerunt ex Dei diſpenſatione, *conc.* aliter, *nego*. Ergo non eſt contra jus naturale, invariabile, *conc.* variabile, *nego*. Itaque jus naturale eſt invariabile quoad prima principia, ac primarium naturæ finem, in quibus nulla poteſt eſſe diſpenſatio; ſed variabile eſt quoad concluſiones & ſecundarios naturæ fines: porro quod homo non poſſit habere ſimul plures uxores, pertinet ad ſecundarium naturæ finem, a quo Deus poteſt diſpenſare, & de facto diſpenſavit cum veteribus Patriarchis.

Quæres 7. *Utrum Chriſtus, in lege nova diſpenſationem veteribus Patriarchis datam revocaverit?*

Reſp. Revocavit, atque Matrimonium cum pluribus ſimul uxoribus illicitum ac irritum fe-

cit', Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos, propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Ubi Chriſtus licentiam, antiquis Patriarchis conceſſam, aperte revocat, & Matrimonium ad primævam inſtitutionem reducit: *Non*, enim, *dixit tres, vel plures, ſed duo: nec dixit, adhærebit uxoribus, ſed uxori*, ait Innoc. III. *c.* 8. *de divortiis*.

Quæres 8. *Quotuplex ſit diſſolutio Matrimonii?*

Reſp. Duplex, nempe, *diſſolutio quoad vinculum*, qua conjuges ita priori libertati reſtituuntur, ut alias poſſint inire nuptias. Et *divortium*, quod eſt ſeparatio quoad thorum, & cohabitationem, ſalvo Matrimonii vinculo.

Quæres 9. *Utrum Matrimonium jure divino ſit indiſſolubile quoad vinculum?*

Reſp. Eſt, ut definivit Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. his verbis: *Matrimonii perpetuum indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus inſtinctu pronuntiavit*, &c. Quam indiſſolubilitatem Chriſtus confirmans, *Matth.* 19. ait: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Et Apoſt. 1. *Cor.* 7. dicit: *Iis qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*.

Hinc 1. Matrimonii vinculum non poteſt diſſolvi per adulterium, ut definivit Concil. Trident. can. 7. *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſ-*

ſe,

ſe, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimiſſa adultera, aliam duxerit & eam, quæ dimiſſo adultero, alii nupſerit anathema ſit. Quæ definitio fundatur in Script. *Marci* 1. ubi, generaliter & abſque exceptione, dicitur: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam*; & Lucæ 16. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & aliam ducit, mœchatur; & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur.*

Objicies: Matth. 19. dicitur: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam duxerit mœchatur*; ergo vinculum Matrimonii dirimi poteſt propter adulterium.

Reſp. nego conſeq. Illa enim exceptio referenda eſt ad, *dimiſerit*, non ad, *aliam duxerit*; ſenſus ergo eſt, *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam*, quoad thorum & habitationem, *niſi ob fornicationem, & aliam duxerit*, quamcumque ob cauſam, *mœchatur.*

Hinc 2. Probabilius videtur, quod Papa non poſſit diſpenſare a vinculo Matrimonii rati, ut definivit Alexander III. in Appendice Concil. III. Lateran. part. 6. inſuper aſſerens, aliquos Pontifices, qui dicuntur diſpenſaſſe in Matrimonio, locutos fuiſſe de Matrimonio per verba de futuro, id eſt, de ſponſalibus: alios vero de diſſolutione quoad thorum & cohabitationem.

Quæres 10. *Utrum Matrimonium Chriſtianorum indiſſolubile ſit jure naturæ quoad vinculum?*

Reſp. 1. Si ſolummodo ſit ratum, non eſt jure naturæ indiſſolubile: nam omnes contractus, quantumvis rati, ſi ſpectetur ſolum jus naturæ, ex utriuſque contrahentis conſenſu ſunt diſſolubiles, modo nullum inde contra

naturam ſequatur inconveniens: atqui ex diſſolutione Matrimonii rati, nullum ſequitur contra naturam inconveniens, neque ex parte generationis, neque ex parte prolis educandæ, ut conſtat; ergo, &c.

Reſp. 2. Si Matrimonium ſit conſummatum, jure naturali eſt indiſſolubile quoad vinculum; quia ejus diſſolutio adverſatur fini primario Matrimonii, nempe, debitæ prolis generationi, ejuſque rectæ educationi, quæ exigunt firmum ac perpetuum conjugum nexum.

Objicies: Ex infra dicendis, Matrimonium, etiam conſummatum, poteſt diſſolvi a Deo; ergo non eſt indiſſolubile.

Reſp. diſt. conſeq. Non eſt indiſſolubile, per excluſionem auctoritatis divinæ, *conc.* per excluſionem auctoritatis hominis, *nego*. Deus itaque, pro ſuo ſupremo in res omnes dominio, Matrimonii etiam conſummati vinculum diſſolvere poteſt, auferendo utrique conjugi dominium quod habet in corpus alterius, & ſua providentia impediendo incommoda inde ſequi nata, aut ſuppeditando media ad illa vitanda.

Inſt. Jus naturale eſt immutabile; ergo.

Reſp. diſt. ant. Eſt immutabile quantum ad univerſalia principia, & ea quæ habent inſeparabilem malitiam, *conc.* quantum ad principia remotiora, & ea quæ aliqua circumſtantia cohoneſtari poſſunt, *nego*. Porro talis eſt ſolubilitas vinculi conjugalis.

Quæres 11. *Utrum Matrimonium ab infidelibus contractum, dirimatur per unius partis converſionem ad fidem?*

Reſp. Non dirimitur, ſi pars infidelis conſentit habitare pacifice cum parte fideli; ſed ſi pars infidelis diſcedat, vel nolit habitare pacifice cum parte fideli, dirimitur, etiamſi fire-

fuerit conſummatum, ut tradit Apoſt. 1. Cor. 7. *Nam cæteris ego dico, non dominus, ſi quis frater* (id eſt, ad fidem converſus) *uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo* (pacifice) *non dimittat illam .... Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror in hujuſmodi*. Ergo Deus in caſu propoſito diſſolvit prius Matrimonium in gratiam chriſtianæ Religionis.

Quæres 12. *Utrum in lege veteri Matrimonium dirimeretur per libellum repudii?*

Reſp. Probabilius eſt quod dirimebatur, Deo diſpenſante propter duritiam cordis Judæorum; ne graviora mala orirentur, nempe uxoricidia: nam lex repudii, *Deut.* 24. veram licentiam concedebat, tum marito dimittendi uxorem, tum uxori dimiſſæ nubendi alteri viro; ordo dimittens non amplius maritus dimiſſæ: lex enim prohibebat, ne repudiata, poſt mortem ſecundi mariti, poſſet unquam recipi a priori marito, quod alias optimum & valde optandum fuiſſet.

Objicies: Deut. 24. uxor repudiata dicitur polluta & abominabilis: *Non poterit prior maritus accipere eam in uxorem, quia polluta eſt, & abominabilis facta eſt coram Domino*. Ergo ſecundæ nuptiæ, a repudiata initæ, erant peccaminoſæ & nullæ.

Reſp. nego conſeq. Non enim dicitur *polluta & abominabilis* abſolute, ſed relate ad repudiantem, ad quem reditus uxoris abominabilis eſt, & omnino vetitus a Deo, quia hic orbicularis nuptiarum regreſſus ſpeciem præſefert adulterini concubitus, videturque fucatum tantum fuiſſe repudium, quaſi non ſincere repudiata fuiſſet uxor, ſed alteri ad tempus commodata, quod abominabile eſt, ut fert textus hebræus.

Quæres 13. *Utrum Matrimonii vinculum dirimatur per ſolemnem unius conjugis profeſſionem in Religione a S. Sede approbata?*

Reſp. Si ſit conſummatum, non dirimitur; ſi vero ſit ſolummodo ratum, jure divino dirimitur, ita ut liceat alteri ad alias nuptias convolare; ſic enim definit Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *can.* 6. Nulla alia poteſt aſſignari ratio a priori, quam voluntas Chriſti nobis ex traditione perpetua revelata.

Objicies: Fidelitas in promiſſis obligat jure naturæ; atqui conjuges ſibi promiſerunt mutuam & individuam vitæ ſocietatem in Matrimonio; ergo.

Reſp. diſt. maj. Fidelitas in promiſſis abſolutis, *conc.* conditionatis, *nego*. Contractus autem Matrimonii fit cum hac retentione implicita & virtuali, ut, nempe, liceat ante conſummationem Religionem ingredi & profiteri.

Quæres 14. *Utrum divortium ſit licitum?*

Reſp. Eſt licitum, ſi fiat legitima auctoritate, ita definivit Concil. Trid. ſeſſ. 24. can. 8. *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum, ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges quoad thorum, ſeu, quoad habitationem ad certum, incertumve tempus fieri poſſe decernit, anathema ſit.*

Quæres 15. *Quas ob cauſas licitum ſit divortium?*

Reſp. Licitum eſt, 1. Ob culpabile alterius conjugis adulterium moraliter certum; id enim permittit Chriſtus, Matth. 19. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.*

2. Ob crimen vergens in damnum ſpirituale alterius conjugis, quale eſt periculum ſubverſionis, vel a fide, vel a bonis moribus: immo

immo tunc teneretur ad divortium, dicente Chriſto, Matth. 18. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.*

3. Ob periculum gravis damni corporalis compartis, quale reperitur, cum alter conjux laborat morbo contagioſo, eſt amens, furioſus, &c. quia Matrimonium non tollit jus naturale vitandi corporale periculum.

Objicies: Chriſtus ſolius fornicationis meminit; ergo unica eſt cauſa divortii.

Reſp. nego conſeq. Chriſtus enim non excluſit alias cauſas, ſed ſolius fornicationis meminit, 1. quia ſola fornicatio opponitur fidei conjugali; 2. quia Chriſtus loquitur de divortio per libellum repudii, quod erat perpetuum; atqui ſola fornicatio eſt cauſa divortii perpetui; ergo.

Quæres 16. *Quid juris habeat innocens poſt factum divortium?*

Reſpond. Si divortium ſit perpetuum, pars innocens poteſt mutare ſtatum per ſuſceptionem Ordinum, vel profeſſionem religioſam, quia adulter amiſit jus in corpus compartis innocentis, ſed non viciſſim. Si vero divortium non ſit perpetuum, pars innocens non poteſt mutare ſtatum, quia nocens emendatus poteſt, auctoritate Judicis, repetere ſuam compartem.

§. V. *De impedimentis Matrimonii.*

Quæres 1. *Quotuplicis generis ſint impedimenta Matrimonii?*

Reſpond. Duplicis, alia ſunt *impedientia* tantum, quæ Matrimonium reddunt tantummodo illicitum. Alia *dirimentia*, quæ Matrimonium attentatum reddunt nullum & irritum.

Quæres 2. *Quot ſint impedimenta impedientia?*

Reſp. Jure novo ſunt tantum quatuor, verſu ſequenti comprehenſa:

Eccleſiæ vetitum, tempus, ſponſalia, votum.

1. Per *Eccleſiæ vetitum:* intelligitur, prohibitio a Parocho facta nupturientibus, ne contrahant Matrimonium ob aliquam cauſam temporalem; verb. grat. donec inquiratur, an impedimentum, quod objicitur, revera exiſtat.

2. Per *tempus*, intelligitur tempus quo interdicuntur nuptiæ, nimirum, *ab Adventu uſque in diem Epiphaniæ, & a Feria quarta Cinerum uſque in octavam Paſchatis incluſive.* Trid. c. 10. de reform.

3. Per *ſponſalia*, intelliguntur ſponſalia cum alio prius contracta, & nondum diſſoluta.

4. Per *votum*, intelligitur votum ſimplex caſtitatis, vel religionis ingrediendæ, vel ſuſcipiendi ordinem ſacrum, vel nunquam nubendi, ne fides Deo data violetur.

Quæres 3. *Quot ſint impedimenta dirimentia?*

Reſpond. Sunt quindecim, his verſibus expreſſa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Amens, affinis, ſi clandeſtinus, & impos,
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Error

Error, conditio, votum.

Quæres 1. *Quid ſit impedimentum erroris?*

Reſp. Eſt, *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium, orta ex errore circa perſonam, vel circa qualitatem redundantem in perſonam:* Dirimit Matrimonium jure naturali, quia omnino tollit conſenſum.

Dicitur 1. *Orta ex errore circa perſonam;* ut ſi ſupponatur Lia pro Rachele. 2. *Vel circa qualitatem redundantem in perſonam;* ut ſi ſupponatur ſecundo genita pro primo genita, quam contrahens petierat; hæc enim qualitas redundat in perſonam; quia illam determinat & diſtinguit a quavis alia perſona.

Ergo error circa ſimplicem qualitatem perſonæ (ut cum quis ducit pauperem, vel corruptam, quam putabat divitem, vel virginem) non dirimit Matrimonium, quia defectus accidentium non tollit conſenſum abſolutum in rem ipſam.

Quæres 2. *Quid ſit impedimentum conditionis?*

Reſp. Eſt, *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium, orta ex ſervitute ignorantia a parte libera.* Dirimit Matrimonium ſolo jure eccleſiaſtico, quia eſt ſolum error circa ſimplicem qualitatem perſonæ.

Quæres 3. *Quid ſit impedimentum voti?*

Reſpond. Eſt, *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium, orta ex voto ſolemni quod emittitur in profeſſione Religionis approbata ab Eccleſia.* Hocque jure veteri; nam jure novo Gregorius XIII. votum ſimplex emiſſum a Patribus Societatis Jeſu, eſt etiam impedimentum dirimens Matrimonium. Porro impedimentum voti, eſt juris Eccleſiaſtici, cum ab hoc ſolo jure votorum ſolemnitas fuerit inſtituta.

Cognatio.

Quæres 1. *Quid ſit impedimentum cognationis?*

Reſp. Eſt, *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium inter perſonas, vel carnaliter, vel ſpiritualiter, vel legaliter propinquas.* Ergo triplex cognatio Matrimonium dirimit, nempe, carnalis, quæ dicitur *conſanguinitas;* ſpiritualis, quæ dicitur, *compaternitas;* & legalis, quæ dicitur, *adoptio.*

Quæres 2. *Quid ſit conſanguinitas?*

Reſp. Definitur: *Vinculum perſonarum, quarum una ab alia, vel ambæ ab eadem, tanquam a communi & propinquo ſtipite, per carnalem generationem, deſcendunt.* Cum autem deſcendentes ex eodem ſtipite, poſſint eſſe ſtipiti propinquiores vel remotiores, gradus in conſanguinitate debet obſervari.

Quæres 3. *Quomodo computantur gradus conſanguinitatis?*

Reſp. Per duplicem lineam, aliam *directam*, aliam *indirectam*, ſeu, collateralem.

Linea *directa*, eſt, ordinata ſeries perſonarum, quarum una ab alia procedit, ut filius a patre.

Linea *indirecta*, eſt ea quæ continet perſonas, deſcendentes quidem ab uno communi ſtipite, ſed quarum nulla deſcendit ab altera, ut frater & ſoror; conſobrinus & conſobrina. Cum in hac linea perſonæ æqualiter diſtant a communi ſtipite, ut frater & ſoror, dicitur *linea indirecta æqualis*, cum vero inæqualiter diſtant, ut frater & filia ſororis, dicitur *linea indirecta inæqualis.*

Quæres 4. *Quot ſint regulæ ad computandos gradus conſanguinitatis?*

Reſp.

Resp. Sunt tres 1. Reg. *in linea recta, tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, dempto ſtipite, a quo ducitur computationis initium*, v. g. pater, filius, nepos, ſunt tres perſonæ, & duo gradus.

2. Reg. *in linea collaterali æquali, tot gradibus duo diſtant inter ſe, quot ambo diſtant a communi ſtipite.* Sic frater & ſoror, quia diſtant a patre uno gradu, diſtant inter ſe uno gradu.

3. Reg. *in linea collaterali inæquali, tot gradibus duo diſtant inter ſe, quot remotior diſtat a communi ſtipite.* Sic frater & filia ſororis diſtant inter ſe duobus gradibus, quia filia ſororis diſtat a ſtipite duobus gradibus.

Quæres 5. *In quo gradu conſanguinitas dirimat Matrimonium?*

Resp. In linea recta, dirimit Matrimonium in quocumque gradu uſque in infinitum; ſed in linea collaterali dirimit duntaxat uſque ad quartum gradum incluſive.

Quæres 6. *Quo jure conſanguinitas Matrimonium dirimat?*

Resp. 1. In quocumque gradu lineæ directæ, & in primo lineæ collateralis æqualis dirimit jure naturæ: hoc enim dictat pudor & reverentia, quæ homini naturaliter indita eſt erga parentes, & quam ſibi quoque debent fratres & ſorores. 2. In cæteris gradibus lineæ collateralis dirimit ſolo jure Eccleſiaſtico, cum etiam in ſecundo gradu, Papa poſſit diſpenſare, ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 15.

Quæres 7. *Quid ſit cognatio ſpiritualis?*

Respond. Eſt, *Propinquitas, jure Eccleſiaſtico inducta, proveniens ex Baptiſmi & Confirmationis collatione & ſuſceptione.* Dirimit Matrimonium. 1. Inter ſuſceptores in utro-

que

que Sacramento, & ſuſceptum, illiuſque patrem & matrem. 2. Inter miniſtrum & illa Sacramenta ſuſcipientem, illiuſque patrem & matrem.

Ergo hoc impedimentum non contrahunt patrinus & matrina inter ſe, nec procurator patrini, quia non ſuo, ſed mandantis nomine agit.

Quæres 8. *Quid ſit cognatio legalis?*

Reſp. Eſt; *propinquitas perſonarum ex adoptione perfecta conſurgens*. Dirimit Matrimonium, inter adoptantem & adoptatum, ejuſque poſteros uſque ad quartum gradum. 2. Inter uxorem adoptantis & adoptatum, & viciſſim inter uxorem adoptati & adoptantem. 3. Inter adoptatum & filios aut filias adoptantis, quandiu non ſunt liberi a patria poteſtate.

Crimen, cultus diſparitas.

Quæres 1. *Quid ſit impedimentum criminis?*

Reſp. Eſt, *inhabilitas, jure Eccleſiaſtico inducta, ad contrahendum Matrimonium, orta vel ex homicidio ſolo, vel ex adulterio ſolo: vel ex utroque ſimul.*

Dicitur 1. *Ex homicidio ſolo:* quando nimirum; quis occidit conjugem alterius conſpirantis, vel conſentientis in homicidium, ex intentione poſtea Matrimonium ineundi cum homicida.

Dicitur 2. *Ex adulterio ſolo:* quando, ſive arte, ſive immediate poſt adulterium, adulteri ſibi dederunt promiſſionem de Matrimonio contrahendo poſt obitum conjugis.

Dicitur 3. *Ex adulterio & homicidio ſimul*, quando poſt admiſſum adulterium ſimpliciter, & ſi-

& ſine data fide de futuro Matrimonio, conjux unius occiditur ab alterutro adultero, etiamſi adulter ſuperſtes non conſenſerit.

Quæres 2. *Quid ſit impedimentum diſparitatis cultus?*

Reſp. Eſt, *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium inter perſonas, quarum una eſt baptizata, altera non baptizata.* Irritat ſolo jure eccleſiaſtico. Ergo catholici valide, licet illicite, contrahunt cum infidelibus.

Vis, Ordo, Ligamen.

Quæres 1. *Quid ſit impedimentum violentiæ?*

Reſp. Eſt, *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium, orta ex gravi metu, injuſte a cauſa libera incuſſo ad Matrimonium extorquendum.* Dirimit Matrimonium ſolo jure eccleſiaſtico, ſed fundato in jure naturali, dictante poſſe irritari contractum, cui ab initio defuit ſpontaneum plenum, conjunctum injuriæ, quæ non poteſt reparari, niſi per irritationem Matrimonii.

Quæres 2. *Quid ſit impedimentum Ordinis?*

Reſpond. Eſt, *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium, orta ex ſuſceptione ſacrorum Ordinum.* Dirimit ſolo jure eccleſiaſtico, ut definivit Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 24. *can.* 9.

Quæres 3. *Quid ſit impedimentum ligaminis?*

Reſp. Eſt, *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium, orta ex vinculo prioris Matrimonii, ſive rati, ſive conſummati;* quo durante, ſecundum Matrimonium jure naturali & divino eſt irritum. Hoc impedimentum fuit ſufficienter explicatum §. 4. ubi de poligamia ſimultanea egimus.

Hone-

Honeſtas, Amentia.

Quæres 1. *Quid ſit publica honeſtas?*

Reſp. Eſt, *propinquitas orta ex ſponſalibus validis, aut Matrimonio rato, non conſummato.* Dirimit ſolo jure eccleſiaſtico.

Quæres 2. *Ad quem gradum extendatur illud impedimentum?*

Reſp. 1. Ad quartum gradum incluſive; ſi oriatur ex Matrimonio rato, etiamſi fuerit nullum, quale eſt Matrimonium attentatum tempore prioris Matrimonii certo & ſcienter ſubſiſtentis, *capit.* veniens, *de eo qui duxit, quam polluit per adulterium.*

Reſp. 2. Dirimit tantum in primo gradu, ſi oriatur ex ſponſalibus validis, ut ſtatuit Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *can.* 3. porro impedimentum perſeverat, etiamſi ſponſalia poſtea juſte fuerint diſſoluta, ut decidit S. Congregatio Cardinalium Concil. Trid. interpretum, *ann.* 1656.

Quæres 3. *Utrum amentia dirimat Matrimonium?*

Reſp. Dirimit Matrimonium contrahendum jure naturali, cum tollat uſum rationis, ac proinde omnem conſenſum, ſine quo nullus eſt contractus. Quod ſi amentia non ſit perpetua, poteſt, qui ea laborat, contrahere in lucido intervallo.

Affinitas, Clandeſtinitas.

Quæres 1. *Quid ſit affinitas?*

Reſpond. Eſt, *propinquitas orta ex copula carnali, ſive licita, ſive illicita, inter cognoſcentem & conſanguineos perſona cognita; & viciſſim inter cognitam & conſanguineos cognoſcentis.*

Quæ-

Quæres 2. *Ad quem gradum ſe extendat illud impedimentum?*

Reſp. Ad quartum incluſive, ſi oriatur ex copula licita; ad ſecundum vero, ſi oriatur ex copula illicita. Quod ſi ſuperveniat Matrimonio contracto, non illud dirimit, ſed illius uſum impedit quoad debiti petitionem, non vero quoad redditionem.

Quæres 3. *Quomodo computentur gradus affinitatis?*

Reſp. Eodem modo computantur, quo gradus conſanguinitatis. Unde quo gradu aliquis viro eſt conſanguineus, eodem gradu eſt affinis uxoris, & viciſſim.

Quæres 4. *Utrum affinitas pariat affinitatem?*

Reſp. Non parit, unde duo fratres poſſunt contrahere cum duabus ſororibus.

Quæres 5. *Quo jure affinitas Matrimonium dirimat?*

Reſp. In linea collaterali, dirimit, ſolo jure eccleſiaſtico, nam Jacob eum duabus ſororibus contraxit, quod certe non feciſſet, ſi juri naturali fuiſſet contrarium. 2. In linea recta, probabilius etiam eſt quod illud dirimat ſolo jure eccleſiaſtico: nam Concilia Agathenſe, *can.* 6. & Aurelian. III. *can.* 10. ſtatuunt non eſſe diſſolvenda paganorum Matrimonia, etiam in primo gradu lineæ rectæ affinitatis contracta; ergo cenſent ea jure naturali fuiſſe valida.

Quæres 6. *Quid ſit impedimentum clandeſtinitatis?*

Reſp. Eſt, *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium, orta ex defectu præſentiæ proprii Parochi, & duorum ſaltem teſtium.* Dirimit jure novo a Concil. Trid. inducto. Unde Matrimonia clandeſtina ſunt invalida in omnibus locis,

cis, ubi Concilii decretum promulgatum & receptum eſt.

Quæres 7. *Quis cenſeatur proprius Parochus, an originis contrahentium, an domicilii?*

Reſp. Eſt Parochus domicilii, ſive ſit viri Parochus, ſive mulieris: uſus tamen invaluit, ut Matrimonium celebretur coram Parocho mulieris, de licentia Parochi viri, qui debet teſtificari ſe proclamaſſe banna, nemine contradicente.

Quæres 8. *Quandiu quis debet in aliquo loco commorari, ut in eo ſortiatur domicilium?*

Reſpond. Juxta ſtatuta diœceſana, regiis edictis firmata, domicilium ſufficiens ad contrahendum non acquiritur, niſi contrahentes per 6. menſes in Parochia habitaverint, ſi ſint ejuſdem Diœceſis, & per annum, ſi ſint diverſæ?

Quæres 9. *Coram quo Parocho debent contrahere vagi?*

Reſpond. Coram Parocho loci ubi verſantur dum contrahunt, obtenta prius Ordinarii licentia, ut ſtatuit Concilium Trident. *ſeſſ.* 24. *can.* 7. *de reform.*

Impotentia, Raptus.

Quæres 1. *Quid ſit impedimentum impotentiæ?*

Reſp. Eſt, *inhabilitas ad contrahendum, orta ex incapacitate conſummatam & completam copulam exercendi:* unde ſterilitas non eſt impotentia.

Quæres 2. *Quotuplex ſit impotentia?*

Reſp. Dividitur 1. In *perpetuam*, quæ abſque miraculo, vel peccato, vel vitæ periculo, non eſt vincibilis; & *temporalem*, quæ abſque prædictis eſt vincibilis.

Dividitur 2. In *abſolutam*, quæ eſt inhabilitas

litas

ſitas viri ad omnes mulieres, & viciſſim; & *relativam*, quæ eſt inhabilitas reſpectu quarumdam tantum perſonarum.

Quæres 3. *Quanam impotentia dirimat Matrimonium?*

Reſpond. Sola impotentia perpetua, Matrimonium antecedens, dirimit Matrimonium, *abſoluta* quidem reſpectu omnium; *reſpectiva* vero, reſpectu illius perſonæ ad quam eſt. Ratio eſt, quia tunc nulla eſt contractus matrimonialis materia, quæ eſt corpus, non qualecumque, ſed corpus ad congreſſum maritalem aptum; ergo impotentia eſt impedimentum juris naturalis.

Ergo, ſi ſeparatione facta, appareat impotentiam non fuiſſe perpetuam, conjuges reſtaurari tenentur, etiamſi a comparte aliud Matrimonium fuiſſet contractum, quia prius celebratum fuit validum, & eſt indiſſolubile, cap. 5. de frigidis.

Quæres 4. *Quid ſit raptus?*

Reſpond. Generatim deſcribi poteſt: *Feminæ abductio de loco in locum, vi, aut ſeductione facta, Matrimonii ineundi, vel libidinis explendæ cauſa.*

Quæres 2. *Quotuplex ſit raptus?*

Reſpond. Duplex, nempe, *violentiæ*, qui fit quando filia familias renitens abducitur e domo paterna. Et *ſeductionis*, qui fit quando filia familias, blanditiis & promiſſis ſeducta, conſentit ſuæ abductioni, non conſentientibus parentibus, ſub quorum eſt poteſtate.

Quæres 3. *Utrum raptus dirimat Matrimonium?*

Reſpond. Ex Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 24. *can.* 6. Matrimonium dirimit inter raptorem & raptam, quandiu manet in poteſtate raptoris:

ris : nam ſi rapta, a raptore ſeparata, & in loco tuto ac libero conſtituta, conſentiat, validum erit Matrimonium. Porro cum juxta mentem Senatus Pariſienſis, puella non cenſeatur in loco tuto ac libero conſtituta, niſi paternæ poteſtati reſtituatur, raptus ſeductionis Matrimonium non minus dirimit, quam raptus violentiæ.

§. VI. *De diſpenſatione ab impedimentis Matrimonii.*

Quæres 1. *Quis poſſit diſpenſare ab impedimentis Matrimonii impedientibus?*

Reſp. Poteſt Epiſcopus, exceptis, 1. ſponſalibus, quæ obligant jure naturali, 2. votis caſtitatis perpetuæ, & ingrediendi religionem, quæ ſunt Papæ reſervata. Si tamen Matrimonium jam ſit contractum, in illis etiam poteſt Epiſcopus diſpenſare.

Quæres 8. *Quis poſſit diſpenſare ab impedimentis dirimentibus?*

Reſpond. 1. In impedimentis jure naturali & divino dirimentibus, nulla poteſt eſſe diſpenſatio.

Reſp. 2. In impedimentis jure eccleſiaſtico dirimentibus, ſolus Papa, ex communi Eccleſiarum uſu, habet jus diſpenſandi, ſaltem ordinarie loquendo.

Dixi : *Saltem ordinarie loquendo*, nam ex communi Epiſcopus poteſt diſpenſare in impedimentis occultis poſt Matrimonium contractum, ſi iſta occurrant. 1. Si præmiſſæ ſint denuntiationes. 2. Si fuit ignoratum impedimentum. 3. Si Matrimonium ſit conſummatum. 4. Si facilis non ſit ad Papam vel Legatum recurſus. 5. Si inſtet periculum incontinentiæ, aut infamiæ.

Immo

Immo plures Epiſcopi in Gallia exiſtimant, ſe, ex antiquo prædeceſſorum ſuorum uſu, poſſe diſpenſare ab aliquibus impedimentis, etiam publicis, ſive de contrahendo, ſive de contracto, atque eo titulo diſpenſant, nemine contradicente: alii aliter ſentiunt & agunt: unuſquiſque igitur ſequatur uſum certum & probatum ſuæ Eccleſiæ.

Quæres 3. *Quid requiratur ad valorem diſpenſationis?*

Reſp. Requiritur. 1. Ut cauſa finalis diſpenſationis ſit vera, & ſubſiſtat dum conceditur. 2. Ut in petitione nihil omittatur eorum quæ jus & ſtylus curiæ exigunt, nihilque reticeatur veri, ratione cujus diſpenſatio, vel nullo modo, vel nonniſi cum certa conditione aut limitatione, daretur: alioquin diſpenſatio foret, *ſubreptitia*, aut, *obreptitia*.

Quæres 4. *Quomodo Matrimonium debeat revalidari, impetrata diſpenſatione?*

Reſpond. 1. Si impedimentum ſit publicum, novus præbendus eſt conſenſus coram Parocho & teſtibus: quia nunc urget ratio Concil. Tridentin. quæ eſt ut poſſit probari validitas Matrimonii.

Reſp. 2. Si impedimentum ſit occultum, de quo non ſit periculum ut aliquando innoteſcat, tunc ſatis erit ut partes contrahentes ſecrete mutuo conſentiant, ut declaravit Pius V. motu proprio, apud Navarrum.

Quæres 5. *Utrum neceſſe ſit, ut pars conſcia nullitatis Matrimonii, illam alteri parti aperiat?*

Reſpond. Non eſt neceſſe, cum hæc via ſemper importet graviſſimas ſuſpiciones, rixas, & alia incommoda: ſed ſufficit, ut compartem blanditiis deliniat, & bene diſpoſitam ſic alloquatur: *Ita te amo, ut ſi*

non

non eſſet inter nos Matrimonium, te in Conjugem acciperem, & nunc ita te accipio: tu ne idem ex tua parte facis? Si reſpondeat, *facio*, aut ſimili verbo conſenſum novum declaret, tunc valebit Matrimonium, non ſufficit autem ſi dicat: *Vellem*, *facerem*, quia conſenſus tunc non eſſet de præſenti abſolutus, ſed tantum ſimplex approbatio prioris conſenſus invalidi.

FINIS.

MAG 4874

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google